BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LXII
B
39
NAPOLI

LXII-B, 39

Digitized by Google

Digitized by Google

MEMORIARUM HAMBURGENSIUM

Volumen Tertium,

cui præmittuntur

PETRI LAMBECII

Orationes & Programata,

curante

JO. ALBERTO FABRICIO,

D. & Prof. Publ. Scholæque Rectore.

HAMBURGI,

Sumptu CHRISTIANI LIEBEZEIT,

A. C. M.DCCXI.

Digitized by Google

Clariſſimo & Excellentis
Doctrinæ Viro
JO. FRIDERICO WINCLERO,
Linguarum Orientalium Profeſſori
Publico digniſſimo Gymnaſii Hamb.
Fautori & Collegæ ſuo Honoratiſſimo,

S. D.
JO. ALBERTUS FABRICIUS.

ET conjunctio amicitiæ noſtræ qua gaudeo, & munus quod geris comune mecum, WINCLERE Vir optime, nec minus judicio litterarum quam in omni vitæ colore

terſiſſime,(liceat enim Te iisdem verbis quibus *Meliorem* ſuum Papinius olim, affari) & ipſa præſentis Voluminis quod tibi trado conditio ſic poſita eſt, ut nulli magis quam Tibi à me conſecrari debuerit. Totum enim verſatur in ejuscemodi monumentis ab oblivione vindicandis, quibus vel Eccleſiæ Hamburgenſis celebrantur Doctores, vel eorum qui in Gymnaſio & Schola cum laude juventuti ſtudioſæ pridem operati ſunt, ſive memoriæ ſive acta continentur. Atque inter ſacros illos Evangelii præcones non Tibi magis quam toti Civitati & Eccleſiæ noſtræ deſideratiſſima Parentis tui oculos Tuos feriet imago, eique proxima alterius, meritiſſimi itidem Viri, cui ſucceſſorem te multorum vota & exſpectatio, virtutibus Tuis ſuffragantibus deſtinat. Horum vero qui inſtillandæ teneris mentibus Pietati ac

bonarum literarum amori omne tempus inpenderunt ſuum, & quorum erudita ac fideli voce acroateria noſtra jam dudum in hac urbe perſonuerunt, non minus gratam ac jucundam Tibi recordationem eſſe oportet, qui eorum veſtigiis per plures jam annos rectiſſimo tramite inſiſtis, nec minore quam illi ſtudio hoc agis, ut ſtudioſæ juventuti veram & regiam viam commonſtres præeasque ad ſolidam eruditionem ac ſapientiam, pandasque illis totius theſauros Orientis atque adyta, & ad recte intelligenda divina Oracula lumen fulgidiſſimum præluceas. Quemadmodum cæteroqui unica voluptas tua eſt doctis ac ſacris præſertim, chartis impalleſcere, & in lectiſſima ac copioſiſſima Bibliotheca Tua abditum paſci ſanctiſſimis frugibus ſapientiæ ac doctrinæ ſalutaris, nihil tamen ut habeas antiquius, quam

eorundem fructuum alios quoque facere participes, & juvenibus bonæ indolis ſine invidia impertire quæ ex re illorum eſſe cognoveris. Quod igitur multis modis in te quadrat tibique convenit præſens volumen, habe Tibi a me ſinceri in amoris fidem & æſtimationis virtutum tuarum veriſſimæ documentum, utut tenue, at publicum & ab omni fuco alieniſſimum. Vale. Hamburgi X. Cal. April. Anni Chriſtiani cIↄ Iↄ CCXI.

AD

AD LECTOREM.

TErtio huic quod vides Volumini Memoriarum Hamburgenſium præfigenda eſſe duxi V.C. *Petri Lambecii* Programata & Orationes, quas ſcripſit, habuit & publicavit cum Profeſſorem Hiſtoriarum & Rectorem Gymnaſii Hamburgenſis ageret, jamdiu enim in tabernis librariis deſiderari illas & argumentum earum à meo inſtituto haud alienum eſſe animadverti. Inter alia videbis in his deſcriptam vitam Ampliſſimi viri *Davidis Penshornii*, J.U.L. & Senatoris optime meriti, tum celebratam memoriam Mathematici clariſſimi

mi *Jo. Adolphi Taſſii*, licet, quod dolendum, non abſolverit illam telam Lambecius, ſed vix inchoatam abruperit. De Gymnaſio etiam Hamburgenſi ejusque originibus nonnulla jucunde in his monumentis tradita leguntur. Inter memorias vero Rev. Paſtorum atque Miniſtrorum Eccleſiæ Hamburgenſis, quas deinceps ſubjunxi, noli quæſo mirari te non reperire in hoc volumine *Nicolaos, Sluteros, Dedekennos, Rumpios, Reiſeros, Hinckelmannos* aliosque, data opera enim prætermittendos eos eſſe ratus ſum, quorum vitæ jam habentur atque in promtu ſunt in Memoriis quæ omnium in manibus verſantur virorum ſumme Reverendorum D. HENRICI PIPPINGII, ac D. GEORGII HENRICI GOEZII & qui exemplo ſuo illis ad laudatam hanc operam bono publico navandam auctor fuit, Clariſſimi Viri HEN-

HENNINGI WITTTENII. Quo autem loco ſingulæ illæ vitæ inveniantur, diligenter annotare me memini in volumine ſuperiore ſecundo, ubi ſingulos qui Rev. Miniſterio Hamburgenſi à temporibus emendatorum ſacrorum usque nomen dederunt recenſui. Idem cogitare te velim de Profeſſoribus Clariſſimis Hamburgenſibus, quorum vitas itidem fruſtra hic requires, *Jungio*, *Lambecio*, *Capello*, *Ankelmanno*, *Placcio*, quemadmodum & loca ubi ſingulæ hæ obviæ ſunt indicata à me fuerunt in eodem Volumine ſecundo, illo nempe loco ubi Profeſſores Gymnaſii Hamb. ordine temporis quo munere illo functi ſunt tradidi. Ob eandem cauſam prætermiſi Epiſtolam *Joannis Blomii* de morte Cl. Viri *Henrici Vagetii*, quam non eram neglecturus, niſi eam nuper admodum Decadi ſecundæ Memoriarum ſuarum inſeruiſſet

AD LECTOREM.

Clariſſimus Vir *Reinhardus Henricus Rollius*, quibus Philoſophorum præſtantium nomina ab interitu vindicat & Libitinam vitare docet. Scriptum Evchariſticum quod Germanice A. 1640. editum poſt Lambecii Programmata primo loco poſui p. 135. auctorem habet JACOBUM FABRICIUM, τὸν μακαρίτην, qui licet tunc cum illud vulgaret non Hamburgi verſatus eſt, ſed Sereniſſimi Principis Holſatiæ Friderici fuit à ſacris, & Eccleſiarum Sleſvicenſium ſummum ſive generalem ut vocant Superintendentem geſſit, tamen inſerendum cenſui huic volumini, quia ante id tempus de Eccleſia & re Scholaſtica Hamburgenſi inſigniter virum illum promeritum eſſe conſtat, Paſtorem Eccleſiæ ad S. Jacobi, & Gymnaſii recens tum conditi Inſpectorem. Neque tantum plura de ſe ipſo narrat in hoc ſcripto vir optimus, ſed etiam illa quæ refert lectu digna ſunt, &

argu-

argumentum ipſum præcipuum quo ad ſcribendum teſtatur ſe compulſum eſſe, ſingulare eſt cumprimis & ad confirmandos atque inflammandos ad fiduciam in DEUM animos aptiſſimum. Narrat quippe ſe anno 1623. (ætatis tertio & ſexageſimo) correptum eſſe graviſſimo morbo, ita ut de vita Medici deſperarent, ſolus ipſe non quidem in humano auxilio ſpei quicquam reponeret, tamen vitæ ſibi prorogandæ flagrans deſiderio, fiduciam haberet ab auctore vitæ DEo precibus hoc ſe poſſe beneficium impetrare. Itaque ardentiſſima oratione ad eum fuſa Hiskiæ inſtar vitam rogavit, nec aliter quam Hiskias exauditus eſt. Refert certe ſe in ipſo illo orationis fervore tanta eſſe perfuſum lætitia ſpiritus, tamque certa fiducia opis divinæ & adjiciendorum quindecim adhuc annorum vitæ à precibus ſurrexiſſe, ac ſi ex ore DEI ipſius fidem ſibi hujus rei dari auribus ſuis percepiſſet. Mox etiam levari morbus, ægrotus vires colli-

colligere & cum valetudine in gratiam redire, atque in integrum convaleſcere iterum cœpit. Obſtrinxit inde ſe voto vir tam provectæ ætatis & tribus jam annis major ſexagenario, ſe publico ſcripto hanc gratiam divinam celebraturum, quando annos illos quindecim adhuc exigere ſibi licuiſſet. Hos igitur cum vivendo poſtea non attigiſſet modo ſed etiam ſuperaſſet, iſtud ipſum ſcriptum quod hic habes, vernaculo idiomate in lucem edidit, atque ita ſe ſe exſolvit voto, nec diu poſt eodem anno 1640. die 5. Nov. Sleſvici in Domino obdormivit, ſucceſſore relicto filio cognomine quem per plures annos jam optionem vivus habuerat.

Quod ſupereſt ſpicilegium ſive ſupplementum, alii Volumini à me ſervabitur, ſi quando licebit eorum qui nullis muneribus publicis Hamburgi functi in patria, vel extra patriam Hamburgum alibi locorum

corum ingenii laude vel ſcriptis claruerunt, memorias perſequi, & monumenta typis edita tradere. Tu interim, Honorate Lector, Vale, & optimæ Civitati bene mecum ominare.

In hoc Volumine continentur:

PETRI LAMBECII Orationes & Programmata. p. 1 (Indicem eorundem vide pag. 133. 134.)

JACOBI FABRICII Bericht wegen einer ſonderbahren Wohlthat/ ſo GOTT der HERR an ihm gethan. 134.

Vita JAC. WERENBERGII, Paſtoris ad Mariæ Magdal. & Profeſſoris Publ. ſcripta ab HENR. VAGETIO. p. 165

M. JACOBI GROSSEN, Paſtoris zu St. Catharinen/ Lebens-Lauff/ geſchrieben von M. GOTFRID GESEN, Paſtore zu S. Nicolai. p. 203.

Cata-

Catalogus Scriptorum M. Jacobi Groſſii. p. 222.

Memoria M. NIC. STAPHORSTII, Paſtoris ad S. Joh. p. 224. M. VINCENTII PETERSEN, Eccleſiaſtæ ad S. Cath. p. 229. D. JOH. MULLERI, Paſtoris ad S. Petri, Memoria celebrata à D. SAM. BENEDICTO CARPZOVIO. p. 240.

Memoria M. NIC. HARDKOPFII, Paſtoris ad S. Nic. & Rev. Miniſterii Senioris. p. 397. JOHANNIS SURLAND, Eccleſiaſtæ ad S. Mich. p. 296. M. HERMANNI PETKUM, Paſtoris ad S. Petri, p. 307. JO. STEMANNI, Archidiaconi ad S. Nic. p. 319. D. DAVIDIS KLUG, Paſtoris ad S. Cath. & Rev. Miniſterii Sen. p. 328.

p. 328. L. GEORGII HACCII, Paſtoris ad S. Mich. p. 401. D. SAM. SCHULTZII, Paſtoris ad S. Petri, & Rev. Miniſterii Sen. p. 340. JO. WINCLERI, Paſtoris ad S. Mich. & Rev. Miniſterii Sen. 351. D. FRANCISCI WOLFII, Paſtoris ad S. Nic. p. 371. M. FRANCISCI SIMONIS, Paſtoris ad S. Georgii. p. 387.

Lebenslauff M. PETRI HESSELII, Paſtoris zum Peſt-Hof / p. 406.

Memoriæ PROFESSORUM Gymnaſii Hamb. D. MARTINI FOGELII, p. 430. D. MICH. KIRSTENII. p. 441. JO. VAGETII. p. 461. HENR. SIVERI, p. 528. L. DAN. BUTNERI, p. 539.

Memoriæ

Memoriæ RECTORUM Scholæ Johañeæ, M. DAN. ARNOLDI, p.551.
M. HENR. DASSOVII, p.554.
L. GODFRIDI VOIGTII, p.567.
JOHANNIS SCHULTZE, p.578.

Memoriæ CONRECTORUM, M. ZACHARIÆ MOSERI, p.597. & M. JOACH. HENNINGII, p.605.

Memoriæ Collegarum Scholæ, FRID. HOFMANNI, p.610. FRANCISCI HENRICI MESCHMANNI, 622. & M. GEORGII BUSCHII, p.629.

PETRI

PETRI LAMBECII
HAMBURGENSIS

ORATIONES
ALIQUOT

IN ILLUSTRI
GYMNASIO HAMBURGENSI
HABITÆ,

UNA CUM

PROGRAMMATIBUS
NONNULLIS PUBLICE IBIDEM
PROPOSITIS.

JUXTA EDITIONEM QUÆ LUCEM VIDIT

HAMBURGI
TYPIS MICHAELIS PIPERI
A.Æ.C. cIↄ Iↄc LX.

Digitized by Google

SUA
QUEMQUE SORS
MANET.

Google

Spectatisſimis, Prudentisſimis
Doctiſſimisq; Viris,

DNN. MATTHIÆ
ET
GERARDO BODEN

Amicis ſuis & Fautoribus plurimum colendis

PETRUS LAMBECIUS, J.U.L.
& Gymnaſii Hamburgenſis Rector.

S.

DEcimus quartus hic agitur annus, cùm primùm fortuna nobis Lutetiæ Pariſiorum familiaritatis & amicitiæ contrahendæ occaſionem præbuit. Ex quo tempore & eximiam veſtram eruditionem, & ſummam modeſtiam, & rariſſimum candorem, & incredibilem humanitatem, aliaſque præclaras virtutes adeò admirari & amare cœpi, ut nihil mihi curæ magis atque cordi fuerit, quam ut benevolen-

tiam veſtram debitâ obſervantiâ promererer, omnique officiorum genere perpetuùm retinerem. Vos autem viciſſim non tantùm affectui meo pari reſpondiſtis voluntate, verùm etiam quaſi per æmulationem quandam & concertationem benignitate veſtrâ deſiderium meum prævenire & ſuperare contendiſtis. Deliberanti igitur jamdudum mihi, quâ ratione mutui iſtius amoris noſtri, & gratitudinis, quam pro inſignibus multis beneficiis vobis debeo, perennaturum aliquod monumentum poſteritati relinquerem, condigna quidem ejus rei occaſio nondum occurrit, ſed talis tamen, quam haud uſque quoque aſpernandam eſſe credidi. Cùm enim ſtudioſæ juventutis rogatu Orationes aliquot, in illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi à me habitas, unà cum nonnullis Programmatibus, publicè ibidem propoſitis, conjunctim imprimi curaverim, vos potiſſimùm mihi deligendos cenſui, quibus Syllogen hanc dicarem, quorumque nomini ex receptâ conſuetudine eam inſcriberem. Accipite ergò qualemcumque hanc conſtantiſſimæ amicitiæ teſſeram ſolitâ æquanimitate, nec tàm opuſculum ipſum, quàm animum, quo vobis offertur, intuemini. Valete Spectatiſſimi Doctiſſimique Viri, &, ut antehac feciſtis, ita porrò indeſinenter mihi ſtudiisque meis favete. Dabam Hamburgi d. XVI. April. A.C.Æ. cIↄ Iↄc LX.

PETRI

PETRI LAMBECII HAMBURGENSIS

ORATIO

De Hiſtoriarum cum cæteris Sapientiæ & Literarum ſtudiis conjunctione, habita in illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi, cum publicam Hiſtoriarum Profeſſionem A. Æ. C. clɔ Iɔc LII. d. XIII. Jan. ordiretur.

Illuſtres & generoſiſſimi Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Sereniſſimæ Suecorum Reginæ Legati; Magnifici Conſules: Reverendiſſime Capituli Cathedralis Decane: Nobiliſſimi Syndici: Excellentiſſimi & Experientiſſimi utriusque Juris & Medicinæ Doctores: admodum Reverendi Paſtores & Reverendi Eccleſiaſtæ: Ampliſſimi, Prudentiſſimique Senatores: Conſultiſſimi Juris utriusque Licentiati: Clariſſimi, Doctiſſimique Magiſtri: Spectatiſſimi Civium primates: Studioſiſſimi Adoleſcentes: & quotquot, Auditores Optimi, adeſtis:

SI quis unquam optatus atque ſpecioſus mihi illuxit dies, ſi quæ hora unquam mihi obvenit aliis omnibus longe præferenda, is profecto hic dies, hæc ea ho-

ra eſt, qua ampliſſimum publice docendi munus ſuſcepturus, & uberrimam nanciſcor bene de Patria promerendi occaſionem, & vigiliarum atque laborum, quos ab ineunte ætate literarum ſtudiis impendi, uti (*) præmaturum, ita maxime glorioſum fructum conſequor. Quo quidem felici atque fortunato eventu quanquam ſummo jure lætari poſſim ac debeam, ſi vobis tamen tremebundus ac pallens locum hunc conſcendere, & tam illuſtrem tot eruditiſſimorum hominum conventum, tot clariſſimorum civium ora, tot juvenum bene de me ſperantium conſpectum erubeſcere & quodammodo vereri viſus ſum, velim minime hoc admiremini, cum plerumque evenire ſoleat, ut nova publicorum munerum adminiſtratio non minus gravitate & pondere ſuo timoris, quam dignitate & ſplendore jucunditatis afferat. Quoties ego ſane paulo accuratius mecum conſidero, quanti ſit momenti res hiſtoriarum ſcientiam profiteri, & quid inde commodi tam in privatis, quam publicis rebus petendum ſit, recta ratione ac via diſcentibus præire, confeſtim hac de re cogitanti mihi plurimæ difficultates ſe offerunt, quæ licet publico veſtrum de me judicio confirmatum animum a tanto munere deterrere non valeant, terrent tamen, nec mediocriter anxium me habent & ſolicitum. Jamprimum enim omnium fere divinarum ac humanarum rerum notitia ad hanc profeſſionem per-

(*) *Nempe anno ætatis vigeſimo quarto.*

pertinet: deinde non libris tantum & inanibus artium præceptis inſtructus eſſe debet, cui ea committenda eſt, ſed ipſa etiam experientia, quippe cujus rerum geſtarum memoria quoddam quaſi eſt compendium. Ad hæc ſumma in eo requiritur ingenii vis, ſumma authoritas, ſumma eloquentia; nec minor ad excitandum & flectendum auditorum animos, quam ad docendum ſolertia & facilitas. Quæ omnia cum nec omnino mihi deficiant, neque vero per ætatem niſi mediocria in me eſſe non poſſint, eo fit, ut tenuitatis meæ ipſe mihi conſcius, ſine timore quidem & verecundia tam grave onus non ſubeam; ſubeam tamen, ne ſimulata recuſatione modeſtiæ gloriam quærere, vel etiam ignorare videar, quantum judicio eorum tribuendum ſit, qui me ex ampliſſimi Senatus authoritate ad hoc munus elegerunt. Quod felix igitur & fauſtum ſit univerſæ Reipublicæ noſtræ, & huic inprimis Gymnaſio, & mihi, & vobis, qui olim me audituri eſtis, Adoleſcentes, nunc demandatam mihi provinciam aggredior, cui ut condigne & cum laude præſim, quantum in me erit, diligentiſſime curabo. At enimvero cum iſtiuſmodi muneris ſuſceptionem ſolenni præfatione inchoari moris ſit, recte atque ordine me facturum eſſe credidi, ſi illud potiſſimum dicendi argumentum deligerem, quod perſonæ meæ atque profeſſioni quàm maxime conveniret. Quid enim ineptius, quid ridiculum magis, aut magis incongru-

gruens viro ſapienti, quam extra chorum, ut ajunt, ſaltare, & rem propoſitam intempeſtivo procemio exordiri? Quod ne committam, de Hiſtorico ſtudio in præſens paucis diſſerere conſtitui; non equidem ut originem ejus, & naturam, & conſtitutionem vos doceam, (hæc enim in aliud tempus reſervanda ſunt) ſed ut hoc duntaxat demonſtrem, non jucundiſſimam tantum ejus eſſe, ſed & maxime neceſſariam cum cæteris omnibus Sapientiæ & literarum ſtudiis conjunctionem; neque quenquam in quacunque arte, vel ſcientia ad ſolidæ eruditionis gloriam pervenire poſſe, ſi cognitione caruerit antiquitatis & hiſtoriarum. Qua de re hoc etiam libentius & liberius dicam, quod non paucos ſcio reperiri, qui & hoc ſtudium ut Philologiæ ſeu humanioris literaturæ partem, vel leve & ſuperfluum judicant, vel etiam omnino contemnunt, cum ipſi, hac omiſſa προπαιδεία, præpropera feſtinatione ad ſupremas artes advolarint, neque quidquam, niſi quod ipſi capiunt, laudandum & erudito homine dignum cenſeant. His igitur ſaniorem mentem precor: Vos vero, Auditores Optimi, quam poſſum maxime, rogo, ut pro ſingulari veſtra erga me voluntate, quam ex frequentiſſimo hoc conventu clariſſime cognoſco, verba facienti mihi animum atque aures commodetis, ut & vos, quid ego ſentiam, rectius percipiatis, & quem ego a vobis aſſenſum deſidero, facilius conſequar.

Prin-

Principio igitur ita ſtatuendum eſt, Auditores, ſolidam illam eruditionem, quam optimum quodque ingenium affectat, non intra unam aliquam vel alteram ſcientiam & artem ſe continere, ſed per omnes quaſi in orbem diffundi, nec pati terminum ullum aut finem, niſi quem mentis humanæ vis & ſolertia transgredi non poteſt aut contingere. Quod quidem eo præcipue fit, quia omnes diſciplinæ, quæ animum noſtrum docent vel erudiunt, communi quodam vinculo & naturali cognatione inter ſe colligatæ ſunt & connexæ, ideoque melius conjunctim, quam ſeparatim intelliguntur. Huc accedit, quod ipſa etiam anima noſtra, cum igneæ naturæ, cœloque cognata & divinæ auræ particula ſit, nunquam quiete torpet, ſed continua flagrat cupidine omnia luſtrandi, omnia cognoſcendi, ut nihil tam invium ſit, quo non penetrare, nihil tam obſcurum, quod non perſpicere, nihil tam arduum, quod ſuperare non adnitatur. Quanquam vero ita, uti dixi, & ſcientiæ omnes inter ſe cohæreant, & ingenium humanum natura diſcendi cupidum ſit, minime tamen fieri poteſt, ut unus aliquis homo tot, tamque variis diſciplinis & artibus accurate cognoſcendis pertractandiſque ſufficiat, cum quod ipſa animi capacitas tantæ moli impar ſit, tum vel maxime ob nimiam vitæ noſtræ brevitatem. Ubi vix dum enim aliquantulum ſapere occœpimus, abripimur de medio quaſi ſtudiorum curriculo,

adeo ut feliciſſimus is cenſendus ſit, cui mors ſemidocti ſaltem diſcipuli titulum gratificatur. Quamobrem cum nec omnia ſimul perfecte cognoſci poſſint, neque tamen niſi ex generali omnium rerum cognitione conflata eruditio, ſolida ſit nominanda, rectiſſime is mihi facere videtur, qui præcipue quidem uni alicui arti vel diſciplinæ intentus eſt, exquiſitumque ſtudium in ea collocat, in tantum vero cæterarum etiam rerum notitiam ſibi acquirit, quantum ea principali ſcientiæ ſubſidii ornamentique gratia vel præmittenda vel conjungenda eſt. Præſcripſit jam olim hanc ſtudendi rationem lectori ſuo Princeps Romanorum Architectorum Vitruvius. Nequa ſane aliam inſtitere viam, quotquot vel hoc noſtro, vel ſuperioribus ſeculis illuſtrem ſapientiæ & eruditionis gloriam ſibi pepererunt. Cæterum ſive πολυμαθείαν ſive ἐγκυκλοπαιδείαν vocemus illum diſciplinarum liberalium orbem, qui ad ſolidam eruditionem pertinet, certiſſimum profecto eſt, nullam ejus partem eſſe, quæ Hiſtoriarum ſtudio vel dignitate, vel amplitudine, vel utilitate præferenda ſit, cum cæteras omnes diſciplinas non tantum pervagetur, illuſtret & connectat, ſed quodammodo etiam eas ex ſe progenuerit. Si enim, ut vetus Poeta Afranius veriſſime opinatus eſt, Sapientia uſus & memoriæ filia ſit; Hiſtoria vero Experientiæ locum obtineat, quippe quæ multis ſeculorum decurſibus longoque rerum uſu obſervata refert & conſignat memoriæ:

quis

quis quæſo eam non ſummo jure cum Dionyſio Halicarnaſſenſi ἀρχὴν φρονήσεως καὶ σοφίας, & cum Diodoro Siculo τῆς ὅλης φιλοσοφίας μητρόπολιν appellandam exiſtimet? Verumenimvero quo Hiſtoriæ hæc cum reliquis artibus & ſcientiis inde ab earum primordiis repetita conjunctio clarius eluceat, quo ſolidius demonſtretur, quo propugnetur fortius, ordine diſpiciendum cenſeo quæ cum ſingulis ei ſit neceſſitudo, quam arcta, quam antiqua, quam indiſſolubilis. Cum itaque Hiſtoria omnis in tres ſpecies potiſſimum diviſa ſit, Naturalem, Sacram & Civilem, primum agam de iis ſcientiis, quæ ad naturæ cognitionem pertinent. Quis vero neget originem illas & incrementum ſuum Hiſtoriis debere, cum quaſi e promptuaria cella inde depromenda ſint rerum experimenta, quibus ſolis in inveſtigandis cognoſcendisque cauſis optime tutiſſimeque credi, apud omnes ſaniores Philoſophos in confeſſo eſt. Sane quod ad Medicinam attinet, teſtatur Plinius, moris olim fuiſſe, ut liberati morbis in templo Æſculapii ſcriberent, quid auxiliatum eſſet, eamque remediorum Hiſtoriam primum omnium ab Hippocrate exſcriptam, & in artem redactam fuiſſe. Quo reſpexiſſe videtur Cornelius Celſus, qui inventa prius ait remedia, quam in cauſas inquireretur. Nihil jam de Plantarum & Animalium Hiſtoria dicam, nihil de Mechanicarum artium inventione, nihil de infinitis Cœli admirandis, quorum arcanæ cauſæ & oc-

culti

culti effectus niſi longinquitate temporis & longa experientia non poſſunt indagari. Adeo enim in his clare, adeo dilucide hiſtoricarum obſervationum neceſſitas ſe oſtentat, ut ſi has ſuſtuleris, ſcientiæ ipſæ una pereant neceſſe ſit. Quippe non una dies, neque una hominis ætas artes invenit, & conſummavit; ſed ut nos ipſi concipimur, naſcimur, creſcimus & augemur, ita & quæ ingenio noſtro exercentur ſcientiæ ex ſingularum rerum obſervationibus, tanquam minutiſſimis quibusdam elementis principio oriuntur: quæ ſi a primo inventore conſignentur memoriæ, eademque diligentia, quid ſequentium ſeculorum curioſitate his acceſſerit incrementi, tradatur poſteris, naſcitur demum ex hiſtorica hac obſervationum ſucceſſione integra ars; & quæ initio exemplis indiguerant experimenta, deinceps certiſſimarum regularum authoritatem obtinent. Poſſem, Auditores, hanc rem multo prolixius perſequi, poſſem innumera clariſſimorum Virorum exempla proferre, qui cum ingenti publici boni fructu, cum ſingulari ſui nominis gloria, Hiſtoriæ ſeu Experientiæ Naturalis conſignatione, & medendi artem, & Mathematicas ſcientias, & univerſam Naturæ Philoſophiam mirum in modum illuſtrarunt atque excoluerunt. Sed cum longioris hæc ſint diſſertationis, conſulto ea prætereo, ne quæ reſtat orationis pars in nimiam excreſcat prolixitatem. Hactenus ergo vidimus, quantum Philoſophia naturalis, &,

quæ

quæ ex ea naſcitur, medendi ars, quod ad originem ipſam attinet, Hiſtorico ſtudio acceptum ferant. Unde quivis, ut opinor, facile per ſe intelligit, quam utraque caſſa, quam infirma futura ſit, ſi, quo præcipue innititur fundamento, id iis ſubtrahatur. Neque vero Medicina, ſi primordia tantum ejus ſpectemus, Hiſtoriarum auxilio obſtricta eſt, ſed & addiſcendæ ejus ratio tam arctum cum earum cognitione habet commercium, ut prius cavum a convexo disjungas, quam veteres Medicarum rerum ſcriptores Græcos, Latinos, Arabes ſine accurata antiquitatis & Hiſtoriarum notitia recte intellexeris. Quam enim ibi multa memorantur antiquorum edulia, propomata, medicamenta, venena, inunctiones, morbi, plantæ! quam diverſa menſurarum, ponderum, ludorum & exercitiorum genera! quam variæ Thermarum aliorumque Ædificiorum diſpoſitiones & partes! Certe in meris verſabitur tenebris, qui Hiſtoriarum expers ejusmodi ſcripta pervolvere aggredietur. Quod cum ipſa luce clarius ſit, ſupervacaneum eſt diutius his immorari. Venio itaque ad Theologiam, cujus cum Hiſtoriarum doctrina conjunctionem & neceſſitudinem ſi quid aliud comprobat, tum vel maxime authoritas ipſius Sacræ Scripturæ. Cum enim maxima ejus pars hiſtorica conſtet narratione, credendum profecto eſt, facillimam Deo viſam & compendioſiſſimam voluntatis ac providentiæ ſuæ declarandæ rationem, ſi quid facien-

ciendum boni, quid vitandum mali, quid ſperandum rebus adverſis, quid ſecundis timendum, aliorum nos exemplis doceret. Etenim multum quidem præcepta poſſunt, poſſunt & minæ multum, & præmiorum promiſſa; ſed multo tamen plus exempla commovent, multo nos magis excitant; cum nempe nec ut impoſſibile recuſari poſſit, quod ab aliis ante nos præſtitum eſt, nec intolerabile vocari, quod alios generoſe videmus pertuliſſe. Adhæc nemo tam obſtinate improbus eſt, nemo tam deſperate triſtis, nemo tam ſuperbe felix, cui ſi hiſtoriæ ſacræ lectio velut in ſpeculo quodam aut tabula picta, modo abſtruſa Dei judicia repræſentet, & præter ſpem ſero immiſſas vindictas, modo ſubitanea auxilia, & miſeriarum per tortuoſos caſuum meatus optatas converſiones; modo ſtupendas abjectiſſimorum hominum exaltationes, & contra incredibiles attenuationes eorum & interitus, quorum votis tantum & cogitationibus ipſe non ſuffecerat terrarum orbis; hæc, inquam, qui attente intuetur, nemo eſt, quin ſupremo numini res mortalium curæ eſſe agnoſcat, quodque omnibus accidere poſſe, & nonnullis jam accidiſſe animadvertit, vel metuat ſibi, vel ſperet. Quanquam autem ea præcipue, quæ veteri ac novo Teſtamento comprehenditur Hiſtoria, Sacra appellanda eſt, & in doctrina fidei ſupremam merito authoritatem obtinet, minime tamen negari poteſt, quin & ea, quæ præter hanc poſt Chriſti tem-

tempora de rebus & ſtatu Eccleſiæ Hiſtoria conſcripta eſt, ſtudio Theologiæ indiſſolubili vinculo annexa ſit, & cum ſummo fructu ei ancilletur. Hinc enim Chriſtianæ religionis per univerſum orbem diſperſio diſcenda eſt, hinc ſucceſſiones Epiſcoporum, hinc variarum hæreſium ortus & extirpationes, hinc Conciliorum generalium ſtatuta, hinc tyrannorum in oppugnanda veritate crudelitas, hinc conſtantia martyrum, hinc denique, quod primo quidem loco ponendum fuerat, univerſalis & perpetuus antiquæ Eccleſiæ conſenſus eruendus eſt. Neque vero profanæ hiſtoriæ notitia Theologia magis poteſt carere: quippe cum ex hac quoque de veritate religionis noſtræ adverſus Paganorum Idololatriam egregia teſtimonia poſſint depromi. Cujus rei clariſſima nobis reliquere exempla Clemens Alexandrinus, Euſebius, Theodoretus, Tertullianus, Arnobius, & quotquot præterea ex veterum Eccleſiæ Patrum numero adverſus gentes, vel hæreſes ſuorum temporum aliquid ediderunt. Adeo enim ex horum ſcriptis abunde elucet, quantum Hiſtoriæ Sacræ profana ſubſerviat, ut, ſi quis hac de re etiamnum dubitet, non alio hunc, quam eo ablegandum exiſtimem. Quare, his omiſſis, ad Juriſprudentiam nunc accedo, & civilem moralemque diſciplinam; quarum nulla eſt, quæ ſtudio hiſtoriarum, uti areæ atque ſolo ſuo firmiſſime non innitatur. Quod ſi ab iis ſejunxeris, certiſſimum eſt, perinde eas fore confu-

ſas,

ſas, emortuas, tenebricoſas, ac ſi ſolem ab orbe terrarum, a corpore Animam, Lucem a pulcherrimis ædibus abſtuliſſes. Verum quo ordine magis progrediar ſeparatim primum agam de Jurisprudentia, deinde & ad cætera veniam. Et Jurisprudentiæ quidem cum Hiſtoriis conjunctio ex eo præcipue apparet, quod juri operam daturum ante omnia noſſe oporteat, quibus moribus legibusque omnes civitates, nationes ac populi quovis tempore recti fuerint: cum nimirum ſine hujus rei notitia ad juris gentium & naturalis æquitatis cognitionem non poſſit perveniri. Itaque ergo quod veteri tantum & novo Teſtamento continetur jus divinum, perdidiciſſe non ſufficit, ſed Perſarum etiam, & Ægyptiorum, & Græcorum inſtituta ſtudioſe perluſtranda ſunt: maxime vero Lacedæmoniorum & Athenienſium; quippe ex quibus duodecim tabulæ poſtea, & reliquum fere omne Romanorum jus civile ortum eſt. Quanquam autem nullius vel regni vel Reipublicæ jus recte intelligi poteſt, niſi regendæ ejus ratio & Magiſtratuum officia, & ſolennia judiciorum, & actionum formulæ, atque alia ejus generis exacte prius cognita ſint, inprimis tamen ad ſcientiam Romani juris comparandam neceſſario id deſideratur; cum omnes fere ejus tituli, omnia denique verba meram ſapiant antiquitatem, leges omnes, omnes paragraphi, & ſine Hiſtoriæ luce non poſſint explicari. Quid enim aliud totum fere legum Romanarum cor-

pus

pus crepat, quam Conſules, Prætores, Præſides Provinciarum, Dictatores, Triumviros, Ædiles, Comitia, Senatus conſulta, Curias, Cenſus, Tribus, atque ejusmodi innumeras alias Reipublicæ Romanæ antiquitates? Certe niſi quis formam ejus ex Cicerone, Saluſtio, Livio & cæteris ejus ævi ſcriptoribus prædidicerit, in denſiſſimis tenebris miſere hic oberrabit. Nec ſatis eſt antiquæ duntaxat noſſe Reipublicæ ſtatum, ſed & quæ Cæſarum jam ſtabilito imperio, & quæ jam publice confirmata Chriſtianorum religione, & quæ jam diviſo Orientali atque Occidentali imperio, vel abrogata fuerunt vel introducta, plurimum Jureconſulti intereſt ſcire. Scire autem hæc non poterit, niſi Hiſtorias eorum temporum conſulat & perſcrutetur. Cæterum multa jam hic addenda eſſent, Auditores, de Jure Canonico, quod totum dependet ab hiſtoria Conciliorum: nec pauca etiam dicenda eſſent de antiquis Francicis, Allemannicis, Gotthicis, Longobardicis, Saxonicis aliarumve gentium legibus, quas conſtat, & Jureconſulto cognitas eſſe debere, & niſi ex Hiſtoriis non poſſe erui, aut absque earum ope illuſtrari: ſed cum nimis longum foret, pro amplitudine materiæ de his diſſerere, cum ipſa res, ad quam probandam hæc producenda eſſent, ſatis per ſe clara ſit & manifeſta, cum inſuper etiam non pauci hic adſint Conſultiſſimi Viri, qui ita feliciter hiſtoriarum cognitionem cum ſumma peritia juris conjunxerunt, ut mi-

nime dubitem, quin plus eorum apud vos exempla & authoritas, quam mea poſſit Oratio; hanc ob rem quæ de Jurisprudentia dicenda ſuperſunt, in præſens prætermittam & ad alia transſibo. Verum ſentio me revocari, & curſus cogor relictos iterare. Audire enim mihi videor, qui quidem hiſtoriarum & antiquitatis notitiam Jureconſulto decori eſſe & ornamento non negent, neceſſariam autem omnino non eſſe, plurimorum exemplis probare annitantur, qui ante humaniorum literarum inſtaurationem non abſque ullo tantum hiſtoriarum auxilio, ſed ſemibarbara etiam Latinitate callide atque acute de utroque Jure multa conſcripſerunt. Neque exemplis ſolum, qui hoc nobis cupiunt perſuadere, armati veniunt, ſed rationibus etiam & argumentis. Nam & ævi brevis hominem eſſe ajunt, & de vaſtitate juridici ſtudii queruntur, nec poſſe exiſtimant tot parergis intentum animum ad interiora ejus penetrare, & ſingula exacte contemplari. Ut igitur his, qui ita ſentiunt, pari ratione reſpondeam, neque ego inficior, Rabulam facile quenquam & Legulejum vel ſine hiſtoriarum adminiculo evaſurum: ſufficit enim ad hoc, verſutum eſſe, ubi & gratioſum, & unius alicujus loci, ubi quis victurus eſt, ſtatuta noſſe & conſuetudines forenſes: at enimvero ut ſolidam illam Jurisprudentiam, quæ ſecundum Ulpianum noſtrum non juſti tantum & injuſti ſcientia eſt, ſed omnium etiam divinarum at-

que

que humanarum rerum notitiam comprehendit, hanc, inquam, ut quis aſſequatur, nullo ſane doctrinæ genere minus carere poteſt, atque ſtudio hiſtoriarum; quippe cum hujus duntaxat ſubſidio varia hæc, quæ a perfecto Jureconſulto deſideratur eruditio, commodiſſime poſſit comparari. Quod ſi exemplis etiam hoc confirmandum eſt, fingite jam, quæſo, animis veſtris, Auditores, reviviſcere in præſens & ante oculos veſtros hic adeſſe clariſſima illa Jurisprudentiæ lumina Cujacium, Alciatum, Budæum, Briſſonium, Hotomannum, aliosque ejus generis illuſtres Viros. Tacite illi pro me loquentur, & nominis ſui glorioſa fama antiquitatis & hiſtoriarum ſcientiam commendabunt. Hæc, inquient, aureus ille hamus eſt, quo ex profundiſſima tot ſeculorum barbarie Græcorum & Romanorum jura protraximus in lucem: hæc divinum illud eſt remedium, quo priſtinæ ea reſtituimus ſanitati: hæc juſtiſſima illa trutina, qua tot dubias, controverſas & inter ſe repugnantes leges examinavimus, diſſolvimus & in antiquam reduximus conſenſionem: hæc lucidiſſima illa fax eſt, qua perſpicua reddidimus, quæcunque in iis occurrunt priſca, obſcura & obſoleta: hæc denique compendiaria illa eſt via, qua non ad Jurisprudentiæ tantum, ſed omnis etiam humanioris eruditionis faſtigium aſcendimus, & apud poſteros glorioſam nominis noſtri immortalitatem ſumus conſecuti. Illi igitur ſummi Jure-

conſulti, ſi nunc reviviſcerent, ita profecto hiſtoriarum utilitatem deprædicarent, atque exemplis ſuis eorum vel nequitiam vel errorem redarguerent, qui, cum aliud ignorantiæ atque ſocordiæ ſuæ perfugium non inveniant, de brevitate vitæ & ingenii noſtri anguſtia falſo conqueruntur. Quod ſupereſt, dimiſſa nunc Jurisprudentia, paucis videamus, quanta cum morali etiam & civili doctrina hiſtoriis intercedat neceſſitudo. Id vero luculentiſſime omnium Polybius, graviſſimus ſane ſcriptor, compendio nos docet, qui hiſtoriæ ſuæ initio, nullam, ait, homini ad vitam recte inſtituendam expeditiorem viam eſſe, quam memoriam rerum geſtarum, eandemque veluti Gymnaſticam quandam eſſe præparationem ad tractandas res civiles & utriuſque fortunæ caſus generoſe perferendos. Equidem haud diffiteor, habere magnam vim Philoſophorum præcepta, nec mediocriter moveri, rapi, incitari vel corruptiſſimum quemque, ſi Ciceronem, vel Senecam, vel Plutarchum de ira, de avaritia, de moderatione animi, de conſtantia, de contemptu mortis, aliiſque ejuſmodi rebus facundiſſime pariter atque graviſſime audiat diſſerentem: attamen quem ulla unquam vel doctiſſima adverſus iracundiam diſceptatio ita commovebit, ut non multo etiam magis vitium hoc fugiendum exiſtimet, ſi ab hiſtorico nativa deſcriptione relatum legat, quomodo iracundiæ violentia furibundus Alexander Lyſimachum

chum objecerit Leoni, haſta trajecerit Clytum, Calliſtratum juſſerit mori, & his trium amicorum injuſtis cædibus victoriarum omnium laudem atque gloriam perdiderit? Quis tantundem afficiatur, ſi fortitudinem animi & patientiam inani verborum pompa efferri audiat, ac ſi Mucium Scævolam obſtinata conſtantia dexteram videat cremantem? ſi Attilium Regulum, ne frangat datam fidem, ad certiſſimos cruciatus Carthaginem revertentem contempletur? ſi puerum conſpiciat Macedonem, ne ſacrificium Alexandri concuſſo thuribulo impediat, carbonem ardentem in brachio delapſum ſine ulla doloris ſignificatione ſuſtinere? Si denique Anaxarchum aliquem, vel Zenonem, vel Theodorum in eculeo cernat, inter verbera & ignem patientiæ beneficio tyrannicidii conſcios reticere, & tortorum manus contemptu doloris fatigare? Quis terricula mortis & anilem ejus horrorem æque facile ſpernat, ſi metus remedia ex otioſis petat præceptis, ac ſi cum Phædone aliisque Philoſophis velut in ipſo carcere aſſiſtat apud Socratem injuſte condemnatum, eumque jamjam venenum potaturum ſecure & hilariter de immortalitate animæ audiat diſputantem? Habent enim profecto, habent hujusmodi hiſtorica exempla quid neſcio efficacius nuda commonitione: præferunt nempe virtutis lumen, concitant æmulationem, inſpirant confidentiam eadem patrandi, per quæ ad æternam laudem & ſummæ gloriæ

faſtigium alios videmus perveniſſe. Sic Themiſtoclem Miltiadis trophæa de ſomno excitarunt. Sic Alexandrum Magnum Homeri Ilias, quam noctu ſub pulvinum recondebat, ad Achillis virtutem imitandam inſtigavit: Sic Achilles ipſe, quo ad gloriam vehementius inflammaretur, majorum res geſtas fidibus cecinit; Sic Julium Cæſarem Alexandri Magni gloria commovit; cujus cum imaginem conſpexiſſet, ingemuiſſe fertur, quod, qua ætate terrarum orbis magnam partem ille jam devicerat, nihildum memoratu dignum præſtitiſſet. Verum enim vero uti diem dicendo eximerem, Auditores, ſi, quantum hiſtoria, quod ad exemplorum efficaciam, in Philoſophia morali valeat, prolixius vellem enumerare, ita neque ullo verborum ambitu ſatis exprimere poſſum, quantum eadem Prudentiæ Civili ſerviat & auxilietur. Sive enim eam ejus partem ſpectemus, quæ circa adminiſtrationem Reip. tempore pacis verſatur, ſive alteram, quæ ad militarem diſciplinam pertinet, neutra recte & commode tractari poteſt, ſi hiſtoriarum ſubſidio deſtituatur. Hinc enim imperii arcana, hinc conſiliorum trepidationes, hinc prætextuum occultæ machinæ, hinc ſtratagematum doli, hinc ſeditionum remedia, hinc conſpirationum dubii ſucceſſus, hinc fortunæ aulicæ viciſſitudines, hinc Tyrannorum, Principium & Aſſentatorum characteres, hinc denique quicquid belli & pacis tempore ad publicam rem domi

mi ac foris bene & feliciter gerendam ſcire expedit, petendum eſt. Quanquam vero negari non poſſit, regnandi artes & militarem diſciplinam multo certius ſolidiusque per experimenta propria, quam ex libris comparari, adeo tamen vita hæc, qua fruimur, brevis eſt, adeoque magna eſt rerum & caſuum multitudo & varietas, ut qui vel omnem ſuam ætatem in negotiis publicis tractandis periclitandisque contriverit, puer nihilominus ſit cenſendus, niſi præteritorum etiam temporum Experientiam ab hiſtoria mutuetur, quippe cujus beneficio terrarum omnium, omniumque ſeculorum conſilia, acta & eventus cognoſcet & quid in quavis repræſenti vel imitetur, vel vitet ex anteacta humanæ vitæ fabula compendioſe pariter atque ſecure judicabit. Nempe idem ſemper iisdem recurrentibus argumentis in ſcena hujus mundi agitur drama iidemque hominum affectus, eademque conſilia, perſonis duntaxat & locorum mutatis circumſtantiis repræſentantur. Eorum vero, qui ſpectatum admittuntur, prudentiſſimus is habendus eſt, qui, ut quamque perſonam ab antiquis feliciter & cum laude expreſſam videt, ita ſtudioſiſſime eam imitatur. Et hæc quidem ſunt, Auditores optimi, quæ hiſtoriarum profeſſionem exorſurus, ex priſco Gymnaſii noſtri more præfanda eſſe duxi; neque dubito, quin qualicunque mea ingenii & verborum tenuitate, id, quo omnis hæc tetendit oratio obtinuerim, ut ſcilicet per-

ſuaviſſimum habeatis, ſcientias atque diſciplinas omnes inſtar fluviorum & fontium ab Hiſtoria, ceu Experientiæ oceano, originem cœpiſſe & incrementum, adeoque magni momenti & ponderis eſſe naturalem hanc cognationem, ut, jactis hiſtoriæ fundamentis, reliqua ſtudiorum pars nullo negotio conficiatur. Quod ſi forte nonnullis multa ad rem pertinentia prætermittere viſus ſum, quæ vel commode potuiſſem addere, vel quodammodo etiam neceſſario debuiſſem, illi hoc eo potiſſimum a me factum ſciant, quod hiſtoriarum hæc cum cæteris ſtudiis conjunctio & per ſe ſatis eluceat, & jam pridem a multis clariſſimis viris copioſe ac diſerte demonſtrata ſit; ſimul etiam ne ſingulari veſtra humanitate & patientia abutar, qua me verba facientem hactenus auſcultaſtis. Quod reliquum itaque eſt, ad vos ſermonem nunc converto, Patres Patriæ, Conſules & Senatores ampliſſimi: macti eſtote virtutis veſtræ gloria & ingenti in Rempublicam merito, cui hoc tantum boni contuliſtis, ut aliquando tandem urbs noſtra non jam amplius mercatura duntaxat & opibus, ſed literarum etiam & ingenii cultu celeberrimis Europæ civitatibus vel ſuppar ſit, vel æqualis. Gratulor ſane vobis hoc die, & vehementer quidem gratulor, de felici Gymnaſii hujus inſtauratione, quæ quo obſtinate magis oppugnata ab imperitis, quo ab improbis callidius impedita, quo a pleriſque firmius, quo demum ab optimo & doctiſſimo quoque vehementius

fuit

fuit deſiderata, hoc & animi veſtri fortitudinem, & vigilantiam & indefeſſam ſtrenuitatem certius lucidiusque demonſtrat; hoc vobis cumulatius bonorum omnium applauſum conciliat & amorem, hoc denique glorioſius nominis veſtri famam poſteritati commendabit. Huic enim, Patres, uti optimum quemque decet, maxime ſervitis, eademque olim uti ſummo cum fructu ſentiet, ita æternis laudibus deprædicabit, quanto beneficio cives veſtros & univerſos urbis hujus incolas in perpetuum obſtrinxeritis, dum conſtruendæ Bibliothecæ publicæ & Gymnaſii reparandi præclaro inſtituto, ſaluti juventutis prudentiſſime in poſterum proſpexiſtis: quippe quæ poſthac in parentum amicorumque conſpectu prævio ſolidioris eruditionis guſtu animum firmabit & ſtudiorum rationem, priusquam propriæ commiſſa curæ, cum maximo ſumtuum optimæque ætatis diſpendio ad periculoſiſſimam Academiarum libertatem ablegetur. Habet equidem, habet profecto peregrinationis exercitium multum utilitatis & incredibilem affert multarum rerum uſum; ſed peregrinari antequam vitæ modum ſciamus, antequam gravioribus ſtudiis ſolidum fundamentum ſubſtructum ſit, antequam novam & inſolitam libertatem ætas queat ferre, id vero non peregrinari eſt, ſed quaſi cæcum & titubantem in lubrico ſolo otioſe oberrare; neque minus ejusmodi peregrinationes juventuti ejusque inſtitutioni noxiæ ſunt, quam conva-

leſcenti loca gravia, & ædificiorum recentibus fundamentis motus & concuſſio. Qua igitur prudentia, Patres, qua cura, qua induſtria, huic tanto periculo occurrendum eſſe credidiſtis, eadem Gymnaſium hoc renaſcens perpetuo defendite, augete, conſervate, certumque vobis promittite, ſalvo illo ac rite ordinato, nec patriæ bonos cives, nec Reipublicæ idoneos Rectores defuturos. Cæterum ſpeciatim etiam vos oro & obteſtor, ut in fidem veſtram atque patrocinium me recipiatis, quo & hiſtoriarum profeſſionem, ad quam ex authoritate veſtra electus ſum, cum dignitate ſuſtineam, & quas de urbis noſtræ gloria literis celebranda jam pridem ſuſcepi cogitationes cum ſecura tranquillitate perficiam. Quod uti me a vobis impetraturum confido, ita conſilia veſtra fortunet Deus, ita proſperet incœpta, ita dignitatem vobis a majoribus traditam conſervet, ita hoſtium veſtrorum pervertat conatus, ita denique vires vobis & animum largiatur, qui tantæ Urbis imperio fortiter ſuſtinendo ſufficiat. Vos vero Adoleſcentes optimi, quotquot adeſtis, qui Gymnaſium hoc deinceps eſtis frequentaturi, animis nunc & linguis muneris mei primordio favete. Veſtra enim maxime res agitur: veſtrum præcipue ſpectatur commodum. Ego equidem quantum in me erit, ſedulo operam dabo, ut ſuſceptam provinciam digne adminiſtrem, neque patiar adeo nobilem & egregiam de vobis parentibusque veſtris atque univerſa

hac

hac Republica bene merendi occaſionem fruſtra ſe mihi obtuliſſe. A qua certe ſententia neque laboris magnitudo unquam me dimovebit, quippe quem lubens ſuſcepi: neque invidiæ obtrectatio avocabit; cum ut virtutis comitem ultro eam amplectar: nec malevolorum iniqua judicia avertent; quod adverſus ea jampridem occalluerim, &, cum virtuti ipſi nihil afferant detrimenti, audienda, non auſcultanda exiſtimem. Reſpondete vos duntaxat Adoleſcentes, ſpei atque voto meo, eamque mihi præſtate diligentiam, eum animi vigorem, eam diſcendi cupiditatem, quæ propoſito ſtudio conveniat. Satis enim, ni fallor, ex me audiſtis, quam hiſtoriarum cognitio late ſit expanſa, & quam prolixe ad omnes ſcientias omniumque divinarum & humanarum rerum notitiam uſus ejus ſe extendat. Erigendus igitur eſt animus, & multo labori præparandus, cum ſine lectione varia & diligenti meditatione tam vaſta eruditio non poſſit comparari. Quo autem facilius id fiat & ardentius, expellenda penitus ex animo eſt ſuperſtitioſa illa & generoſo homine indigna opinio, quæ ita unam univerſalis ſcientiæ partem colendam præſcribit, ut cæteræ omnino negligantur: neque negligantur tantum, ſed ignorantiæ velandæ gratia ut inutiles etiam & ſupervacuæ damnentur. Adhæc accendendus eſt animus illuſtrium Virorum exemplis, & quo quisque ſolidæ eruditionis gloria magis inclaruit, quove

magis

magis ob virtutem, diligentiam & egregia merita amatur, laudatur, ſuſpicitur, hoc vehementiori animi contentione eſt imitandus. Contendendum etiam eſt cum paribus: nec cedendum ulli in eodem curriculo ad laudis metam properanti. Non licita enim tantum eſt, ſed & laudabilis hæc æmulatio & gloriæ cupiditas: modo abſit inanis faſtus, ſtulta jactantia, & externa illa tetrica ſuperbia, quæ pravam & perverſam ambitionem plerumque comitatur. Si itaque Adoleſcentes, quam dixi, animi alacritatem ad Hiſtoricum ſtudium attuleritis, & laborem meum atque operam bene apud vos collocatum iri confido, & vos ipſos olim non ſine ſumma jucunditate ſenſuros, hiſtoriarum cognitionem cuivis literarum generi dedito homini non ſingulari tantum eſſe ornamento, ſed ſummæ etiam & neceſſariæ utilitatis fructum præbere. Jam vero ad tuum denique auxilium confugio, ſummum & æternum Numen, cujus mirabili ductu & ſingulari providentia ad arduam hanc publice docendi provinciam electus ſum. Ecce, coram Te ſupplex hic aſſiſto; Tuis auſpiciis tam grave cœptum aggredior; cui niſi Tu adſpiraveris, fruſtra erit & irritus omnis meus labor. Sis ergo, Clementiſſime Deus, volens mihi & propitius: da animo & corpori meo vires, quæ tanto oneri ſuſtinendo ſufficiant. Rege voluntatem meam & conſilia, dirige linguam, ut quicquid cogitem, quicquid agam, quicquid loquar, honori

nori tuo & publicæ utilitati ſerviam. Adoleſcentium etiam, quos mihi committes, animos optimarum artium cupidine accende, & ad doctrinæ ſatus accipiendos ita præpara, ut nec docilitas voluntati deſit, nec a voluntate docilitas deſtituatur. Exaudi quæſo, æterne Deus, has preces meas, &, uti ab orationis initio precatus ſum, ita hunc diem Senatui Populoque Hamburgenſi, & renaſcenti huic Gymnaſio fauſtum, felicem & ſalutarem eſſe largiter concede.

DIXI.

PETRI LAMBECII HAMBURGENSIS ORATIO

habita in illuſtri Hamburgenſi Gymnaſio Anno 1653. die 10. Junii, cum explicationem T. Livii aggrederetur.

CUm primum, Auditores, cathedram hanc conſcendi, ut publico docendi officio fungerer, huc inprimis omni ſtudio incumbendum mihi eſſe credidi, ut vaſtiſſimam omnis ævi hiſtoriam ordine, quam poſſem aptiſſimo ita proponerem, ne amplitudo & varietas argumenti impediret, quo minus intra biennium vel triennium universus ille omnium divinarum ac humanarum rerum orbis circumagi poſſet, & veluti in ſcena compendioſe repræſentari.

Quam-

Quamobrem ſtatim in principio explicandum mihi deſumpſi Joannis Sleidani opuſculum de quatuor ſummis Imperiis, ut rudes hiſtorici ſtudii juvenes, generali prius imbuerentur notitia ſucceſſionis omnium temporum quam ad particulares gentium hiſtorias accederent. Nam quod illis evenit, qui obligatis oculis in incognitum aliquod ædificium perducuntur, ut inde reverſi, unum quidem illud conclave, in quo liberis oculis eſſe licuit, deſcribere poſſint; reliquas autem ædium partes ignorent, nec, ubi fuerint, queant judicare: idem accidat neceſſe eſt iis, qui confuſim & deſultorie ſingulas hiſtoriæ particulas attingunt, nec ſummatim prædidicerunt, quomodo illæ univerſali rerum narrationi temporum, ordinis & locorum reſpectu annexæ ſint aut permixtæ. Præmiſſa igitur expoſitione Sleidani, quaſi Oſteologia quadam diffuſæ omnium ſeculorum hiſtoriæ, quid deinde aggrederer non parum dubitavi. Equidem haud ignorabam ordine me facturum ſi ab Hiſtoria Hebræorum inciperem; quippe quæ & antiquitate & fide & ſanctitudine cæteras omnes tantum ſuperat, quanto divina humanis præſtantiora merito cenſentur. Verumenimvero conſideranti hæc paulo diligentius, opportune mihi in mentem venit, prælectiones publicas, quæ in Gymnaſiis habentur, non tam ad ipſarum rerum dignitatem & naturalem ordinem, quam ad captum & commodum Auditorum eſſe dirigendas. Unde col-

colligebam a Græcorum potius, quam alius cujusvis gentis hiſtoria initium eſſe capiendum: cum hiſtoriæ Græcæ cognitione nemo prorſus carere poſſit, qui Veterum Auctorum monumenta, ex quibus vel Græca vel Latina eloquentia petenda eſt recte intelligere cupit, & ſolidum humaniorum literarum fundamentum gravioribus ſtudiis ſubſtruere deſiderat. Quærenti autem mihi, quod potiſſimum Hiſtoriæ Græcæ compendium explicarem, aliud non occurrit, quam Viri Clariſſimi Ubbonis Emmii opus de Rebuspublicis Græcorum. Quo opere de ſingulorum Græciæ populorum ortu, incremento, inſtitutis, rebus geſtis & interitu docte pariter & ſuccincte agit, ita ut uno quaſi faſciculo omnem fere Græcorum hiſtoriam complectatur. Hujus itaque Auctoris primam & maxime neceſſariam partem de Athenienſium & Lacedæmoniorum ſtatu & Republica hactenus expoſui, gratiaque & auxilio ſummi Numinis proxima ante feſtum prælectione feliciſſime abſolvi. Pergerem nunc ad ſecundam ejus operis partem, qua reliquarum Græciæ vel e Græcis oriundarum civitatum ac gentium origines, varii ſtatus, geſta & occaſus recenſentur: pergerem, inquam, & merito ad ea pergerem, niſi id vetaret complurium optimorum juvenum utilitas, qui tribus circiter abhinc ſeptimanis promoveri e Schola, & in Gymnaſii album adſcribi meruerunt. Quid enim illi vel fructus vel jucunditatis perciperent ex inter-

pre-

pretatione Auctoris, cujus non principium tantum, ſed majorem & maxime neceſſariam partem non audiverunt. Profecto æque hoc mihi atque illis damnoſum foret; quippe cum haud injuria ex Auditorum profectu de Profeſſorum diligentia & eruditione judicetur. Quare ut evitarem hoſce ſcopulos, ad tempus ſeponendum duxi, quicquid ſupererat Hiſtoriæ Græcæ, & ratione recentiorum Auditorum captui maxime accommodata, Hiſtoricum ſtudium denuo quaſi a capite inchoare conſtitui. Nam privatim explicabo Viri doctiſſimi Chriſtophori Helvici Synopſin Hiſtoriæ Univerſalis: quo libro ad cognoſcenda præcipua temporum intervalla & ſucceſſiones ſummorum Imperiorum, nihil extat utilius. Publice vero ex hoc loco Hiſtoriam Romanam a T. Livio, facundiſſimo pariter & prudentiſſimo Viro conſcriptam explanabo. Et jam nunc quidem abſque longiori præfatione præſtantiſſimi hujus Auctoris expoſitionem aggrederer, ni multa eſſent de quibus eos, qui deinceps me audituri ſunt, neceſſario præmonendos eſſe crederem. Nempe faciendum mihi eſt, quod ſolent qui longi itineris comites quærunt. Oſtentant illi maximas ex labore proventuras divitias, commoda, honores: promittunt ingentem ex varietate regionum ſapientiam & jucunditatem: offerunt operam ſuam, ſtudium, conſilia, rem & fidem: extenuant verbis futuras moleſtias & difficultates, omnia denique agunt, ut, quos cupi-

cupiunt habere ſocios, ad ſubeundum iter inflamment, ad rite peregrinandum inſtruant, ad perdurandum confirment. Itidem ego nunc, antequam Livium explicare incipiam, futuros Auditores meos inſtigabo, monebo, cohortabor, ne vel magnitudine operis ſtatim in initio deterreantur, vel inconſtanter ac perverſa ratione prælectionem frequentantes, fruſtra me audiant, vel laboris pertæſi in medio curſu animo & viribus deficiant. Primum ergo mihi videtur de præſtantia & utilitate ipſius auctoris, deinde de mea explicandi ratione, tum de ordinata & conſtanti diligentia, quæ a juventute hac Gymnaſtica deſideratur, eſſe dicendum. Quod dum facio, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, obnixe & qua par eſt obſervantia rogo, ut animos veſtros atque aures dimidiæ duntaxat horæ ſpatio commodare mihi non gravemini. A Vobis etiam, diſcipuli mei, optimi ornatiſſimique juvenes, idem contendo, ſed jure quodam meo, ut nempe vos monita mea de Livio audiendo & utiliter audiendo recte percipiatis: ego vero, quid de ſtudio veſtro & induſtria poſthac mihi ſperandum ſit, vel ex hac attentione prævideam.

Cum primum igitur de Auctore ipſo agendum ſit, quî magis illum vobis potero commendare, quam ſi oſtendero quæ ſingula ſingulis Auctoribus laudandis ſufficiunt, in eo uno univerſa reperiri. Principio vetuſtas ejus tanta eſt, quæ vel ineptiſſimum quemvis & triobola-

rem hiſtoricum charum nobis reddere poſſit & venerabilem. Floruit enim Livius eo inprimis ſeculo, quo nullum unquam celebrius, nullum humano generi magis ſalutare extitit: ſiquidem in illud inciderunt Imperatoris Auguſti bella civilia, triumphi, imperium, pax orbis terrarum, ſumma latinæ linguæ elegantia, maxima præſtantium ingeniorum ubertas, & quod primo dicendum fuerat loco, ſaluberrima Nativitas Noſtri Servatoris; quam quidem inde ab orbe condito promiſſam de cœlo benignitatem, Deus iſti dedit ætati, ut videret, cum annum ageret noſter Auctor quinquageſimum ſeptimum. Patria illi fuit Patavium, nobiliſſima ſimul & omnium fere antiquiſſima totius Venetæ regionis urbs, utpote cujus originem e Trojanæ urbis ruina omnes hiſtorici deducunt, Antenorique aſſignant, qui Troja capta in intimum Hadriatici maris ſinum delatus, & bello ab incolis exceptus, victor eas terras occupavit. Eo ſane tempore, quo Livius vixit, tanta urbis hujus dignitas fuit, ut Strabo, æque antiquus Auctor, & Pomponius Mela, qui non multo poſt ſub Claudio floruit, inter opulentiſſimas Italiæ urbes eam computent. Siquid ergo ad ſcriptoris laudem Patriæ valet claritudo, ſi natalis ſoli ſplendor Virorum illuſtrium æſtimationem auget, habet profecto Livius, quod hoc nomine merito glorietur. Efferat enim ſe quantum velit Roma Regina urbium, jactet Quirites ſuos rerum Dominos, at Patavii major

ea

ea eſt gloria, quod ſemibarbara urbs ejusmodi protulerit civem, qui ipſos Romanos & eos quidem eloquentiſſimos, puriſſimi ſermonis latini uſu vicit, vel certe æquavit. Atenim vero etſi non vulgaris ſit commendatio, celeberrimo loco oriundum & antiquitate ipſa eſſe venerabilem, habere tamen id Livius etiam cum peſſimis ſui ævi hominibus commune potuit, ſiquidem ſoli fortunæ debetur, quando & qua conditione naſcamur, nec magis hoc in noſtra poteſtate eſt, quam id quod minime. Veniamus ergo ad ea, quibus per ſe Livius ſummam inter vivos admirationem, & perennem apud poſteros ſuperſtitis famæ gloriam promeruit. Scripſerat is hiſtoriarum libros centum quadraginta duos, quibus complectebatur Res Romanas ab Urbe condita uſque ad bellum in Germania geſtum a Druſo, ejusque mortem. Sed fortuna, quæ plurimum omnia perverſe agit, hac etiam in re minus ſe poſteritati æquam præbuit, & quaſi invidens poſt mortem Livio, quos vivo conceſſerat honores, vix quartam ejus partem integre ad nos pervenire paſſa eſt. Soli enim ex tanto opere ſuperſunt triginta quinque libri, prima nimirum decas, & tertia, & quarta, & quintæ prior pars dimidia. Cæterorum ſeptem & centum librorum nihil habemus præter nudam famam, & titulos inanes, & paupertina argumenta, quaſi ex naufragio tabulas. Dum hoc dico, Auditores, graviſſime commoveor, eodem enim momento

innumeram mihi videor videre Umbrarum cohortem, quarum aliæ idem ſibi quod Livio, aliæ, & illæ quidem multo plures, pejus etiam accidiſſe conqueruntur. Video veteris Græciæ lumina Hecatæum Mileſium, Hellanicum Mitylenæum, Theopompum, Ephorum, Timæum cum ſexcentis aliis, quorum inæſtimabiles Hiſtoriæ theſauri omnino periere, præter pauca, ab aliis laudata, fragmenta, ne ſcilicet nomen ipſum una cum ſcriptis extingueretur. Video Polybium indignabundum & frementem operis ſui Epitomen calcare; utpote cujus culpa ex quadraginta hiſtoriarum libris quinque duntaxat conſervati ſunt. Video Dionyſium Halicarnaſſenſem obſtupefactum & attonitum, quod ex viginti, quos de hiſtoria Romana edidit libris, non niſi undecim ſupereſſe inveniat. Video Q. Fabium Pictorem, M. Porcium Catonem, Claudium Quadrigarium & complures alios antiquiſſimos hiſtoriæ Romanæ Auctores egregia ſua & ingentia deplorantes volumina, quorum nunc nihil fere præter pauca extant verba, quæ Grammaticorum curioſitati debemus. Video Cornelium Nepotem tres libros ſuos doctos & laborioſos, quibus omne comprehenderat ævum, anxie, ſed fruſtra quærentem. Video Salluſtium, ſqualentem luctu, interitum deflere nobiliſſimi illius operis, quo inprimis hiſtoricorum principis nomen meruit. Video denique Trogum Pompejum ſua amplius non agnoſcentem verba,

ba, & diras pœnas Juſtini manibus imprecantem, qui priſcum honorem & dignitatem ſibi detraxerit. Hi omnes cum infinitis aliis obverſari nunc oculis meis videntur, & dolorem, quem ex tot librorum Livii naufragio percipimus, vel æquali, vel etiam graviori ſorte ſua levare. Ite jam ſcriptores, & dies noctesque ceris & ſtylo incumbite; impalleſcite libris; detrahite prandio, cænæ, ſomno tempus, maximis operibus componendis neceſſarium; aſpirate per aſſiduos labores, incuriam corporis, defraudationem genii ad immortalitatem nominis; nempe incendium aliquod, aut excidium urbis, aut furor maris, aut gravis peſtilentia, aut vis belli, aut principum ira, aut ſeculorum barbaries, aut mutatio religionis, aut quævis alia mediocris rerum viciſſitudo omnem diligentiæ veſtræ memoriam, omnia veſtra conſilia & vota magnarum cogitationum ſubvertet, obruet, delebit. Sed nimium me abripi ſentio, Auditores, & longius a via declinare, dum infœlicem plerorumque veterum Auctorum ſortem tota mente repeto, dumque ſpeciatim Livii noſtri tam fœde detruncati miſereor. Verum quid juvat, nil proficientes emittere gemitus? quid prodeſt irreparabilem lugere caſum? quin potius æqui bonique conſulimus tanti Auctoris particulam, quantulacunque etiam ſit, quam Majorum cura nobis conſervavit. Audacter enim hoc affirmo, adeo hunc utilem eſſe ſcriptorem, & juventutis ſtu-

 diis

diis accommodatum, ut vel ex unica ejus prima decade, ſi idoneum & attentum nanciſcatur lectorem, incredibilis fructus poſſit hauriri. Eſt is autem præcipue quadruplex; hiſtoria nimirum ipſa, deinde antiquitatis cognitio, tum Sermo & Eloquentia, denique Prudentia civilis. Quod primum igitur ad Hiſtoriam ipſam attinet, ſatis ea, ut opinor laudata eſt, ſi Romanam eſſe dixero. Etenim cum tanta fuerit Populi Romani fortitudo & magnanimitas, ut non contentus Italiæ dominio, omnium fere gentium rebus ſe immiſcuerit, quis quæſo mecum non fatebitur, variam eam eſſe oportere & perjucundam & maxime neceſſariam hiſtoriam, cui univerſus terrarum orbis implicatum ſe vidit, poſtquam vel armis ſubjugatus, vel armorum metu, nec repugnare amplius, nec laceſſere audens, ſupremo Romæ imperio coactus eſt parere. Nolo jam his diutius immorari, Auditores, nolo rem vel pueris notam operoſius confirmare. Loquantur vicem meam camini, aut Curtio aliquo inſignes, amore patriæ in peſtiferum barathrum ſe præcipitante; aut Mutio Scævola, erroris pœnam propriæ manus combuſtione ultro luente. Loquantur vulgaria ædium ornamenta, pictæ in parietibus tabulæ, Cæſarum repræſentantes vultus, aut infantes futuros tanti imperii fundatores hiantia ora ad Lupæ ubera porrigentes; aut Lucretiam violentæ nequitiæ maculam ſanguine ſuo eluentem. Hæc atque alia ejus generis indi-

dicia abunde declarant, tantam eſſe Hiſtoriæ Romanæ jucunditatem & præſtantiam, ut ipſum etiam indoctum vulgus, & qui per ætatatem aut ſexum ſequioris judicii cenſentur, eam agnoſcant & revereantur. Illi ergo, ut faciunt, uſque inhæreant ſoli hiſtoriæ contemplationi, nudam ſectentur rerum varietatem; jucundum duntaxat ſpectent, utile vero aliis relinquant, qui non aures tantum & oculos oblectare, ſed animum eruditione & doctrina inſtruere cupiunt. Nam qui hoc ſibi propoſuere, nec vanam modo delectationem, ſed ſolidum fructum ex Livii lectione percipere deſiderant, iis præter narrationem rerum geſtarum, maxima habenda eſt ratio antiquitatis. Antiquitatem autem voco originem & formam Romanæ Reipublicæ, legum, ſacrorum, magiſtratuum, pacis bellique inſtituta, conſuetudines, habitus, ſolennia verba, & quæ ejuſdem modi alia his poſſunt annumerari. Quarum quidem rerum cognitio omnibus ſumme neceſſaria eſt, qui Ciceronem, & cæteros latinæ linguæ claſſicos Auctores legere cum fructu, & penitus intelligere annituntur. Quis enim in iis occurrit locus, quod folium, quæ pagina, qui verſus, ubi Conſulatus, vel Dictaturæ Romanæ antiquitatum non fiat mentio? quam plena ibi omnia ſunt priſcarum conſuetudinum veſtigiis? quam referta fragmentis veterum formularum? Fruſtra illa leget, fruſtra audiet, qui antiquitatis Romanæ rudis, quaſi inexerci-

tatus miles, ſerio iſti certamini ſe immiſcere conabitur. Neque vero ſcholaſticis tantum & juvenilibus ſtudiis Antiquitatis in Livio obſervata cognitio inſervit, ſed cæteris etiam gravioribus artibus & diſciplinis; inprimis tamen magnificentiſſimæ & ſplendidiſſimæ omnium Jurisprudentiæ. Agite igitur, optimi Adoleſcentes, quotquot juri operam daturi eſtis, agnoſcite apprehendite, uſurpate egregiam hanc occaſionem tanti, tamque ampli ſtudii fundamentum ſolide ac firmiter jaciendi. Diſcite jam ex Livio, quomodo ſub Regibus jus Romanum ortum fuerit, qui ab illis magiſtratus inſtituti, quæ leges promulgatæ. Diſcite qua occaſione ejectis Regibus primi fuerint creati Conſules, mox Dictator & Magiſter Equitum, deinde Tribuni plebis, Decemviri, Tribuni militum conſulari poteſtate, Cenſores, Prætores, Ædiles Curules, Quæſtores, aliique magiſtratus. Diſcite, quæ illorum fuerit poteſtas & jurisdictio, quas tulerint leges, quomodo convocarint ſenatum vel populum, quomodo dimiſerint, quomodo interceſſerint: quæ fuerint leges Regiæ, quæ ſacratæ, quæ duodecim tabularum: quæ actionum privatarum & judiciorum publicorum formulæ; quis modus ferendi leges aut abrogandi, ſuadendi aut diſſuadendi: qui fuerint inde a Papyrio, primo legum Regiarum collectore, Jurisconſulti ſeu legum Interpretes, & quomodo paulutim eorum creverit autoritas. Hæc atque innumera ejus generis

alia

alia prolixe a Livio deſcripta invenietis: quæ didiciſſe plus quam initium eſt Jurisprudentiæ; ſolidæ nempe illius, quæ humanioribus literis conjuncta, ſummis viris ſemper placuit. Equidem ſi meum aliquid apud vos poteſt exemplum, ſic habete, tantum mihi, cum primum juri operam dare cæpi, Antiquitatis Romanæ cognitionem profuiſſe, ut unico hujus adminiculi beneficio, omne propemodum, quicquid in Digeſtis & Codice ſubobſcurum occurrit, per me intellexerim. Quod dum dico, de verborum ſenſu, non de Juris applicatione loquor, quippe ad quam comparandam plura requiruntur. Et hæc, ut opinor, de Antiquitate ex Livio petenda ſufficiant. Venio nunc ad ſtylum ejus & eloquentiam, quam ipſum Auguſti ſeculum ſatis meo judicio commendat. Nunquam enim Latinitas magis expolita & elegans, & minus tamen fucata fuit, quam ea ætate, qua princeps ipſe & ſummus Romanæ rei dominus, purum & minime affectatum dicendi genus adamavit. Sed quo hæc clariora ſint, operæ eſt audire, quibus verbis Suetonius Auguſti ſtylum deſcribat & poſteritati commendet. Genus, inquit, eloquendi Auguſtus ſecutus eſt elegans & temperatum, vitatis ſententiarum ineptiis atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, ut ipſe dicebat, fœtoribus. Præcipuamque curam duxit, ſenſum animi quam apertiſſime exprimere: quod quo facilius efficeret, aut nec ubi lectorem vel auditorem obturbaret ac

C 5 mo-

moraretur, nec præpoſitiones verbis addere, neque conjunctiones ſæpius iterare dubitavit: quæ detractæ afferunt aliquid obſcuritatis, etſi gratiam augent. Cacozelos, hoc eſt affectatores ineptos & antiquarios, ut diverſo genere vitioſos pari faſtidio ſprevit. Exagitabat nonnunquam inprimis Mecænatem ſuum, cujus μυροβρεχεῖς, ſeu unguento delibutos orationis cicinnos uſque quaque perſecutus eſt, & imitando per jocum irriſit. Sed nec Tiberio parſit, exoletas interdum & reconditas voces aucupanti. M. quidem Antonium, ut inſanum increpuit, quaſi ea ſcribentem, quæ mirarentur potius homines, quam intelligerent. Hæc aliaque plura de Auguſti latinitate & eloquentia Suetonius. Qui totus locus aureus eſt, digniſſimusque, qui millies legatur & relegatur, immo vero, qui non ab adoleſcentibus tantum, ſed & magiſtris ipſis ad verbum ediſcatur, ut aliquando tandem cognoſcant, quis fuerit genius priſcæ illius & genuinæ latinitatis ſeculi Auguſti, quo ut Suetonius teſtatur, & ipſa Auctorum ejus ævi ſcripta confirmant, nihil æque damnabatur, quam Aſiaticorum Oratorum inanibus ſententiis, epithetis, figuris aliisque intempeſtivis ineptiis, ornata verborum profuſio. Inerat enim, ut Gellius de Epiſtolis Auguſti loquitur, ſtylo & eloquentiæ ejus ſeculi elegantia orationis neque moroſa, neque anxia, ſed facilis & ſimplex. Omnis autem prava affectatio tanquam ſcopulus exitabatur. Poſſem, Auditores, ad hoc

con-

confirmandum ſexcenta alia veterum Auctorum teſtimonia proferre, poſſem tot & tanta in laudem eloquentiæ iſtius ſeculi dicere, ut tempus me citius, quam oratio deficeret, ſed abunde illam vobis per ſe commendatum iri exiſtimo, ſi Senecæ, Taciti, Plinii utriuſque, Apuleji, Marciani Capellæ, aliorumque inferioris ætatis Auctorum ſcripta exadverſum legeritis. Ita enim hi longe a priſca illa & pura latinitate receſſerunt, ut, ſi verba tantum ſpectemus, noceat magis eorum lectio juventuti, quam proſit. Variis nempe modis tum corrupta fuit eloquentia, ſed plurimi in eo peccarunt, quod præcipuam oratoris virtutem poſuerint in ſententiarum argutiis, quibus naturale orationis robur enervatur, vera pulchritudine in fucum & nugas degenerante. Quo nomine Quintilianus eloquentiam Senecæ damnat, qui ad nauſeam uſque eſt ſententioſus. Tacitus etiam in eandem merito incurrit reprehenſionem, qui affectatione obſcuræ brevitatis ſtuporem vulgi meruit. Contra vero alii falſa ſublimitatis ſpecie decepti, ventoſam & enormem affectarunt loquacitatem, nec animadverterunt, veram orationis magnitudinem longe aliis rationibus parari quam dictionum & periodorum longitudine. Conferunt ſane aliquid ad ſublimitatem ampla ac grandia verba, & periodi longiores, verum ita demum, ſi illa prius adſint, in quibus vera magniloquentia eſt poſita: materia nimirum grandis, verba cum judicio electa & col-

locata, figuræ cum verborum, tum ſententiarum non temere uſurpatæ, ſed ex arte. His ſi oratio careat, & ſeſquipedalibus tantum turgeat verbis, aut longis incedat periodis, grandem quidem habebit ſtrepitum, ſed a vera magnitudine erit quam alieniſſima. Videtis ergo, ni fallor, Auditores, vel hoc ſolo nomine vobis de Livii ſtylo bene ſperandum eſſe, quod eo ſcripſerit ſeculo, quo eloquentia Romana ſummum elegantiæ nativæ ſplendorem obtinuit. Reſpondiſſe autem Livium ſeculi ſui genio & gloriæ, vel me tuente, res ipſa ſatis indicat. Quam enim dulci, & illuſtri, & minime affectato utitur ſermone in narrando! quam eloquens eſt in concionibus! quam prudenter & ingenioſe cum rebus, tum perſonis verba accommodat! quam vehementer, ubi opus eſt, commovet, quam blande commotos mitigat, quam appoſite & convenienter utiliſſimas paſſim interſerit ſententias! quam denique totus elegans eſt, quam candidus, quam jucundus. Certe nullus dubito, quin tribus tantum quatuorve perlectis paginis, ultro omnes mecum confeſſuri ſitis, ſummo jure a graviſſimo veterum ſcriptorum Cenſore Fabio Quintiliano Auctoris hujus eloquentiam lacteam ubertatem appellari, ipſumque digniſſimum eſſe, quem ſibi æquari Herodotus non indignetur, & quem juvenes unice ament & imitari ſtudeant. Omitto jam alia ejuſdem Quintiliani de Livio egregia teſtimonia: uti & Senecæ Philoſophi,

qui

qui eum Virum diſertiſſimum appellare non dubitat; & Cornelii Taciti, qui eum vocat ſcriptorem eloquentiæ & fidei inprimis præclarum; & S. Hieronymi, facundiſſimi Eccleſiaſtici ſcriptoris, qui illum ait lacteo eloquentiæ fonte manare. Fuere etiam, qui tanti fecerunt Livium, ut prædicare auſi fuerint, ne Ciceronem quidem ipſum, ſi Hiſtoriam ſcribere voluiſſet, eum æquare potuiſſe. Quod elogium nimis, ut primo aſpectu videtur, favorabile, eruditorum judiciis in medio relinquo. Cætera quoque omnia, quæ cum ab antiquis, tum recentioribus Auctoribus in laudem eloquentiæ Livianæ dicta ſcriptave ſunt, prudens prætereo, ne ultra modum ſim prolixus, aut Viros doctiſſimos, qui illa jampridem ſummo ſtudio congeſſere, laboris & diligentiæ ſuæ gloria defraudare velle videar. Cæterum ut arbores quidem laudantur ob viriditatem foliorum, ob proceritatem trunci, ob denſitatem ramorum, amantur vero omnium maxime ob fertilitatem, ſic Livium quoque elegantia & magnitudo ac varietas operis admirabilem ſane reddunt, ſed nihil æque commendat, quam prudentia civilis; quæ tanta in eo eſt, ut lectoris ſui animum, modo is non omnino agreſtis ac hebes ſit, omnibus fere publicarum rerum intimis conſiliis poſſit informare. Quamvis enim Livius narrationi rerum geſtarum ubivis data opera non interſerat præcepta, & monita, & conjecturas, ita ut extent & a quovis ſemidocto pri-

primo intuitu agnoſcantur, nihilo tamen minus lectorem ſuum inſtruit, dum ipſa continenti factorum commemoratione clam docet, quam ſi judicium ſuum & conſilia, & ſuſpiciones ſingulis exemplis palam ſubjunxiſſet. Equidem eſt Hiſtoriæ & Philoſophiæ morali, ac Politicæ unus & idem finis, inſtitutio nimirum Vitæ in ſocietate hominum prudenter & fortiter agendæ, ſed hiſtoria eum conſequitur exemplis, Philoſophia præceptis & diſſertationibus de natura virtutum & vitiorum. Quemadmodum tamen nonnunquam Philoſophiæ exemplis, ita & Hiſtorico præceptis uti licet, ſed parciſſime. Nam quo quis caſtius hiſtoriam ſcribit, & minus interponit ſui, eo melior habendus eſt hiſtoricus. Quare jampridem haud immerito Tacitus a probatiſſimis hujus & ſuperiorum ætatum Viris non tantum Livio poſthaberi, ſed & reprehendi ac damnari meruit; cum ad oſtentandam prudentiam ſuam & rerum experientiam ubivis cumulatim quæ neſcio callida monita, & acutas conjecturas, & obſcuras ſuſpicionum umbras lectori ad nauſeam uſque obtrudat, nonnunquam etiam cum detrimento hiſtoricæ veritatis. Adhæc ſtylus ejus hiſtoriæ minime convenit. Eſt enim obſcurus, confuſus, male cohærens, &, ut paucis omnia complectar, contortus & affectatus. At veritatis, quæ præcipua Hiſtoriæ virtus eſt, ſimplicem eſſe decet orationem, & æquabilem & illuſtrem. Unde & in Thucydide, Græciæ hiſto-

ſtoricorum acutiſſimo, non probat Cicero ſententias conciſas, nec ſatis apertas, quæque brevitate ſua & nimio acumine moleſtæ ſint & intellectu difficiles. Aſſignat enim is hiſtorico tractum & fuſum orationis genus cum lenitate quadam æquabili profluens, ideoque Quinctilianus recte docet, frequentes clauſulas hiſtorico ſtylo minime convenire. Quid autem his frequentius in Tacito? Attamen ille ſolus nunc hiſtoricus, ille ſolus optimus doctrinæ politicæ magiſter habetur. Nempe miratur vulgus obſcura, amat ſpecioſa, ſectatur inania, ſtupet inuſitata, laudat plerumque vituperanda. Ego vero ſemper perſuaſiſſimum habui, quicunque interpretationes ſuas & judicium rerum geſtarum narrationi permiſcet, & pravis cauſarum ac conſiliorum indagationibus, ambigua quæque, nonnunquam & optima in deteriorem partem trahit, & hac ratione animos legentium nequioribus ſuſpicionibus imbuit, eum nec bonum eſſe Hiſtoricum, nec bonum Civem, cum ſcelera & fraudes non narret tantum, ſed & doceat. Nec immerito ex eo tempore quo hiſtoriæ ita conſcribi cæperunt, Politici nomen, quod, ut tyranni, laudis olim & honeſtatis fuit, vitii cæpit eſſe vocabulum & odii publici. Verumenimvero, quæ contra Tacitum hactenus a me dicta ſunt, auditores, non ita velim accipiatis, quaſi rejiciendum illum omnino arbitrer; multa enim in eo, ſupra quam enarrari poteſt, egregia

gia ſunt; ſed ad ſolam Livii defenſionem neceſſarioea a me allata exiſtimetis, ut ſcilicet oſtenderem, etſi is ſimplici ac plane diverſa ratione ſcripſerit, nec politica præcepta ex aperto & dedita opera oſtentet, non tantum tamen in hac hiſtorici officii parte Tacito non poſtponendum eſſe, ſed longe etiam eum ſuperare. Quod ſi quis mihi hac in re minus credit, is legat, quæ eruditiſſimi Viri de utriuſque hiſtorici laudibus & vitiis prolixe conſcripſerunt; inprimis vero conſulat Nicolaum Machiavellum, Auctorem, quod cum pace diſſentium dicam, ab his, qui eum carpunt, vel non lectum prorſus, vel male intellectum, vel ex præconcepto odio condemnatum. Is enim tres in Livium edidit Diſſertationum libros, quibus abunde declaravit, vix ullam eſſe abſtruſam atque callidam Reipublicæ vel Dominationis conſtituendæ atque conſervandæ viam, quæ non æque facile ex Liviana hiſtoria atque ex Tacito deſumi poſſit & addiſci. Cum itaque, ut hactenus demonſtravi, omnia hæc in Livii ſcriptis conjuncta reperiantur, quæ vix ſingula ſingulis Auctoribus ineſſe conſueverunt, maxima nempe hiſtoriæ varietas, ſumma antiquitatis copia, probatiſſima elegantia ſermonis, & perfectiſſima prudentiæ civilis inſtructio, haud mirum eſt tantam ejus jam tum, cum adhuc viveret, gloriam & famam fuiſſe, ut ea commoti nobiliſſimi homines inde a Gaditano mediterranei maris termino Romam viſendi illius cauſa properaverint.

Mor-

Mortuo equidem tantus honos habitus eſt, ut ſepulchrum ejus etiamnum Patavii ſuperſit, & lingua cum maxilla ſeorſim ſublimi curiæ majoris loco aſſerventur, & pro ſingulari atque inæſtimabili theſauro oſtendantur. Aſſervatum ibidem fuerat & alterum ejus brachium; ſed hoc anno Æ. C. milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, Alphonſo Arragoniæ Regi, ſummo ſtudiorum fautori, a Republica Veneta dono conceſſum eſt. Atenimvero cum livor, odium & maledicentia perpetui ſint comites excellentium virtutum, nec Livio defuere, qui variis modis debitam illi laudem detrahere attentarunt. Nam Aſinius Pollio, coætaneus ſcriptor, vivo adhuc Patavinitatem objecit, hoc eſt, ut ego interpretor, idioma ſeu proprietatem linguæ patriæ. Sed quid quæſo eſt nodum in ſcirpo quærere, niſi hoc eſt? Ego certe juraverim ipſum Pollionem, cum Livio id exprobravit, ignoraſſe, quid iſta eſſet Patavinitas & in quo conſiſteret. Ideoque a Quintiliano aliiſque doctiſſimis Viris, judicium hoc tanquam frivolum & ab occulta ſimultate profectum merito rejicitur. Cæterum multo etiam gravius de Livio judicavit Imp. Caligula, qui, teſte Suetonio, eum carpſit, ut verboſum in hiſtoria & negligentem; paullumque abfuit, quin ſcripta & imagines ejus ex omnibus Bibliothecis amoverit. Caligulæ hoc de Livio fuit judicium, &, dum dico fuiſſe Caligulæ, ſatis mihi videor levitatem

ejus & malignitatem confutare. Quî enim communis ille omnium doctorum Virorum oſor aliter judicare potuit? quem conſtat de Homeri carminibus & omnium Juriſconſultorum ſcriptis abolendis cogitaſſe, Virgiliumque, ut nullius ingenii, minimæque doctrinæ improbaſſe. Quamobrem neminem ſanum movebit auctoritas ejusmodi beſtiæ, quæ præter formam & vocem nihil fere hominis habuit. Ego quidem Caligulæ malignitatem illam haud gravatim ignoſco, utpote qui omnium rerum rudis ſolo naturæ impetu peccavit. At hoc graviter & ex animo doleo, quod noſtro etiam & ſuperiori ſeculo Viri & ingenii præſtantia, & varia eruditione celeberrimi, partim quidem Livium, ut ſupinum, & frigidum & ταυτολογον damnare non fuerint veriti; alii vero eundem malevolentiæ etiam reum egerint, quod Polybium, ex quo nonnulla ad verbum deſumpſit, frigido, ut illi putant, haudquaquam ſpernendi Auctoris elogio dignetur. Quas obtrectationes & calumnias prolixe refellerem, Auditores, niſi id jam pridem ab incomparabili Viro Gerardo Jo. Voſſio ita præſtitum eſſet, ut poſt ipſius defenſionem mea prorſus ſit ſuperflua. Hactenus ergo A. O. O. Honoratiſſimi, quid de Auctore ipſo vobis exiſtimandum ſit, percepiſtis. Quod jam ad me attinet, non multa pollicebor, ſed ut revera multa præſtem, quantum in me erit, annitar. Si quid tamen promittendum eſt, promitto, ita me Livium explicaturum,

rum, ut nec ſuperfluis nimium immorer, neque neceſſarium quidquam ac ſcitu dignum ſilentio prætercam. Ideoque ut ordinatim omnia proponam, neque plus minuſve dicam ex tempore, ſolenne meum ſervabo, ut nihil niſi compoſitum & meditatum in medium afferam. Judicent alii, utcunque volent, de hac mea profitendi ratione; rideant, vituperent, calumnientur: nihil ego hoc moror, cum certum habeam, me & juventuti ea ratione plurimum prodeſſe, &, ubi opus erit, æquo cuivis judici officii mei adminiſtrationem poſſe approbare. Quod ſupereſt, optimi Adoleſcentes, Auditorii hujus frequentatores ordinarii, quid a vobis deſiderem, & quales vos eſſe cupiam, paucis cognoſcite. Tria ego animadverti fuiſſe diſcipulorum genera, qui me inde ab initio meæ profeſſionis audiverunt. Horum primum peſſimum fuit & prorſus abominandum; illorum nempe qui hunc locum frequentarunt, non ut aliquid diſcerent, (didiciſſe enim ſe jam omnia credebant, cum revera eſſent imperitiſſimi) ſed ut ſublegerent aliquid, quod in pejorem partem acceptum æſtimationi Profeſſoris poſſet obeſſe; ſibi vero apud avidas calumniarum aures gratiam conciliaret & favorem. Secundum genus non quidem malum fuit, ſed neque bonum; illorum ſcilicet, qui obiter & inconſtanter numeri duntaxat augendi gratia huc venerunt, & utilitati ex prælectionibus percipiendæ otium & quamcunque aliam voluptatem

prætulerunt. Tertium genus optimum fuit, & nunquam ſatis laudandum; illorum videlicet, qui conſtanter acceſſerunt, attente auſcultarunt, notatu digna ſtudioſe exceperunt, labores Præceptorum rite æſtimarunt, atque ipſos, ut par eſt, amarunt & coluerunt. Eligite jam vobis juvenes ex tribus hiſce claſſibus, quam ſectemini. Quarum primam juſta manet vindicta & vituperium; ſecundam ſera pœnitentia & dedecus; tertium favor cœleſtis, affectus omnium bonorum, ſummum emolumentum, maxima dignitas. Sed quid? multo vos hic attentiores video, quam ante. Placet omen, arripio. Hoc enim ipſo ſilentio clamare mihi videmini, hoc ipſo ſtupore palam confiteri, cepiſſe vos ingens deſiderium ampliſſimi illius & ſplendidiſſimi præmii, quod ex me audiſtis probos & diligentes diſcipulos remunerari. Teſtamini ergo inpoſterum re ipſa, quod tacite, nunc annuitis; & prælectiones Livii adeo ſtudioſe, & attente, & conſtanter audite, ut abſoluta tanti Auctoris explicatione, vobis maxima remaneat utilitas, mihi autem ex veſtro profectu ſumma gloria.

DIXI.

PETRI

PETRI LAMBECII HAMBURGENSIS ORATIO

habita in illuſtri Hamburgenſi Gymnaſio Anno 1653. die 7. Octobris, cum ſecundum T. Livii librum publice explicare aggrederetur.

SUpervacaneum forſitan nonnullis videbitur, Optimi ſtudioſiſſimique Juvenes, ſolenni me præfatione ſecundi Hiſtoriæ Livianæ libri explicationem inchoare, cum & de ipſius auctoris dignitate, & de inſigni varioque fructu, qui ex attenta ejus lectione percipitur, quatuor abhinc menſibus abunde præfatus fuerim. Ego vero tanto nunc mihi majorem verba ad vos faciendi cauſam eſſe arbitror, quo pluribus gravioribusque retinaculis diligentiam veſtram oppugnatum iri prævideo. Primo enim continua ejuſdem auctoris auditio plurimum ſecum affert faſtidii; deinde ipſa inſtans anni tempeſtas matutinis ſtudiis infeſta eſt; quippe a quibus ſæpe & diligentiſſimos, vel dulcedo ſomni avocat, vel frigoris durities abſtrahit. Vereor inſuper etiam, ne malevolorum improba obtrectandi libido non tam a prælectionibus publicis, quam ſpeciatim a me meaque profitendi ratione animos veſtros abalienare tentave-

rit. Nam cujus quæſo virtus ita ſpectata eſt, quin invidiæ obnoxia ſit? cujus adeo omnibus numeris perfecta induſtria, ut calumniæ morſus omnino poſſit declinare? Equidem lubens ac merito fateor, & publice affirmo, ita pleroſq; veſtrum hactenus ſe geſſiſſe, ut non minus de conſtanti diligentia veſtra, quam de ſingulari erga me affectu poſſim gloriari. Expertus reipſa ſum, eum, quem optavi, locum apud vos inveniſſe nuperam admonitionem meam, ubi ex tribus auditorum generibus optimum vobis eligendum propoſui. Quanta ego vos alacritate, qua contentione animi ſingula prope verba mea vidi ſublegentes! Quam ſæpe aures veſtras audiendo nunquam feſſas, quam ſæpe manus excipiendo nunquam defatigatas, quam ſæpe animum eruditionis hauſtu nunquam ſatiatum, unice ſum admiratus. Profecto certaſſe mecum videmini & palmam conati præripere, ne ego vobis operam meam enixius obtuliſſe dicerer, quam vos arripuiſſe eam & uſurpaſſe. Qua æmulatione inter Profitentem & Auſcultantes, nec ad induſtriam meam inflammandam, nec ad proſperandum ſtudiorum veſtrorum curſum, nec ad augendam Gymnaſii noſtri gloriam & dignitatem, efficacius aliquid fructuoſiusque poteſt reperiri. Laudo itaque vos, Optimi Juvenes, laudo & meritiſſimo laudo; ſed ſimul etiam moneo, rogo, obteſtor, perſeveretis conſtanter in eodem ſtudio, affectu, voluntate. Neque dum hoc moneo,

inju-

injuriam facio probitati veſtræ, velut ſine cauſa illi diffidens inpoſterum, ſed plenus optimæ ſpei de vobis conceptæ, ne quid forte præter ſpem contingat, ſum ſolicitus. Nempe ut victor Olympici certaminis equo haud diffideret, cujus opera ſemel viciſſet, nec propterea tamen tanquam omnis curæ expers eundem lætis acclamationibus excitare intermitteret, ſi denuo eſſet certandum: Itidem ego nunc ſimul & præteritæ diligentiæ veſtræ memoria lætor, & futuræ curâ ſum anxius. Calcaria igitur, ut veteri verbo utar, ſponte currentibus addam, & novam veteris laboris partem nova ad perſeverantiam exhortatione incœptabo. Cæterum inpræſens quidem haud opinor, me Livianæ lectionis continuationem ulla ratione magis vobis commendare poſſe, quã ſi oſtendero, quantum utilitatis jam inde perceperitis, quantum poſthac ſperandum ſit, & qua animi fortitudine iis reſiſtendum ſit moleſtiis & avocamentis, quæ vos de priſtina diligentia videntur poſſe dimovere. Quod ergo ſupereſt, Optimi ornatiſſimique Juvenes, non tam peto, quam meo quodam jure & pro auctoritate a vobis contendo, ut ſemihoræ duntaxat ſpatio dicturo mihi debitam attentionem præſtetis. Quam uti me haud gravatim impetraturum confido, ita neque dubito, quin orationi meæ propoſitum finem æque facile ſim conſecuturus.

Antiquum eſt Sapientis monitum, Auditores, niſi utile eſt, quod facimus, ſtultam eſſe gloriam: id ego cum cæteris omnibus hominibus, tum vel maxime iis, qui rem tractant literariam, dictum exiſtimo. Etenim ſive legamus, ſive meditemur, ſive ſcribamus, ſemper nobis in oculis animoque verſetur utilitatis ratio, qua vel prorſus neglecta, vel perperam habita, quicunque labor, utut magnifice fulget, & ſplendida ſubtilitatis, aut privatæ delectationis ſpecie blanditur, merito a prudentibus contemnitur. Quod utinam probe ab omnibus conſideraretur, minus ſe profecto ætas noſtra oneratam videret peritura charta, in quam ineptiſſimus quisque ingenii ſui ſomnia evomit, neque tam difficilis foret ac longa ad ſolidam eruditionem via, quam vulgo ſuperfluis ambagibus & damnoſis diverticulis efficitur. Verum non ego nunc cenſorem agam alieni laboris; ſed an ipſe hactenus in prælectione Livii eum ad utilitatem reſpectum habuerim, ut jam perceptus inde fructus excitare vos poſſit ad continuationem diligentiæ, paucis excutiam. Jamprimum igitur ut viatoribus maximi ſolatii loco eſt, ſi veſperi in diverſoriis ſupputent, quantum per diem confecerint itineris, eoque alacrius poſtridie pergunt, quo minus reſtat ſpatii; ſic & veſtros animos haud opinor jucundiori nunc mulceri poſſe delinimento, neq; vehementiori fomite inflammari, quam perpendendo, quantam Hiſtoriæ Romanæ partem unico

unico ſuperiori quadrante anni jam abſolveritis. Abſolviſtis enim ſexcentorum ſeptuaginta quatuor annorum res geſtas. Nempe ſpectaſtis mecum excidium Trojæ: profugum comitati eſtis Æneam in Latium: interfuiſtis nuptiis Laviniæ: Lavinii ædificationi adfuiſtis: pugnantibus adverſus Turnum & Mezentium cogitatione opem tuliſtis Latino & Trojanis: cœleſtium numerum Jove vidiſtis auctum Indigete: naſcenti applauſiſtis Albæ longæ, miſeraturi non multo poſt interitum: Sylviorum frequentaſtis aulam: Numitorem doluiſtis regia pulſum: ſacrum Veſtæ adytum cum Rhea penetraſtis: fatalem admirati eſtis Romuli & Remi originem: conſpexiſtis rapidum Tiberim infantibus parcentem, maximi olim Imperii fundatoribus: lupam horruiſtis pueris ſubmiſſas præbentem mammas præter naturæ indolem: venando cum geminis jam adultis peragraſtis ſaltus: Amulium injuſta regni poſſeſſione deturbatum, primaque principis terrarum urbis fundamenta jacta ſimul & fraterno ſanguine dedicata eſtis contemplati. Aſylum quibuſcunque transfugis ſine diſcrimine apertum, & raptas violenta fraude uxores, originem tot illuſtrium Virorum, ſtupuiſtis. Septem denique Regibus, ut quæ ſuperſunt, paucis complectar, velut arbitri aſtitiſtis, & quam variis ingeniis, quibusque artibus domi militiæque imperium auxerint, inſpectaſtis: nec ultimum minus, quam cæteros Urbi animadvertiſtis pro-

fuiſſe, dum impotens ejus dominatus & filii nequitia patriæ liberandæ occaſionem Bruto præbuere. Hæc omnia, o Juvenes, intra quadrimeſtre ſpatium ſi non corporis, at certe animi oculis luſtraſtis: incendio ſine periculo fortunarum; navigationi ſine metu naufragii; pugnis ſine formidine mortis; conſiliis principum ſine guſtu moleſtiæ aulicæ interfuiſtis. Profecto aut me amor fallit opinionis meæ; aut hæc tam ampla tot illuſtrium rerum cognitio tanti eſt, ut pœnitere vos non poſſit temporis & operæ, quam illi impendiſtis. Cæterum quamvis ſatis per ſe magna ſit utilitas, tantam tantillo tempore abſolviſſe hiſtoriæ Romanæ partem: habet tamen hoc Liviana lectio cum aliis commune; cum ex quibuſcunque vernaculæ linguæ ſcriptoribus nuda hiſtoriæ narratio poſſit hauriri. Non ergo hic tantum ſpectate, quot abſolveritis folia, & ad quem paginarum numerum perveneritis: ita enim diligentia longe vos ſuperaſſe videbuntur, qui uno forſan die plus perlegerunt nugarum, quam vos toto menſe rei ſeriæ: ſed ad illa mihi pro ſe quisque acriter intendat animum, qualis Auctor & qua ratione lectus fuerit. Quem verborum delectum, quam orationis elegantiam, quam deſcriptionum pulchritudinem, quam veterum formularum copiam, quam antiquitatis ſacræ, civilis & militaris ubertatem, quem denique bellicarum & moralium ſententiarum theſaurum, quot monita politica & abſtruſa domina-

tio-

tionis myſteria unicus Livii liber vobis ſuppeditaverit. Quantum, bone Deus, in ſola præfatione latet eloquentiæ, quantum acuminis! quam pura ſimul & bene elaborata dictio eſt! Quod ſi ad ipſam pergimus hiſtoriam, & paſſim interſperſas proſopopœias intuemur, quem quæſo non moveat Romulus, inclinata jam ſuorum acie, Jovis Statoris opem contra Sabinos invocans? Cui non perſuadeat Julius Proculus Romuli conſecrationem? Quis pacis conditionem offerenti Metio Suffetio haud aſſentiatur? Quis, patre Horatio cauſam orante, filium damnet ſororicidam? Cui Tullus Metium proditionis crimine non reddat inviſum? Quem prolata in condemnatum ſententia non terreat? Quem tam ignobilem aut ignavum non erigat Tanaquil, Servium Tullium ad regnum occupandum excitans? Quem tam probum furens regnandi cupidine Tarquinia minor improba exhortatione non pervertat? Cujus animum Turnus Herdonius a Tarquinio non abalienet? Quis non ignoſcat Sexti Tarquinii minis cedenti Lucretiæ? Quis, ea maritum ultimo alloquente, a lachrymis ſibi temperet? Quem demum quamvis patientiſſimum ſervitutis non incendat ad libertatis propugnationem Bruti conjuratio? Certe ſi quis negaverit, magnam orationibus illis ineſſe vim, magnos ſpiritus, nec elegantiæ minus quam vigoris; is Livio injuriam non faciet, ſed ſuo ipſe prodet judicio aut negligentiam ſuam, aut ſtupidi-

piditatem. Si porro jam ordine & ſingulatim recenſere vellem, quam locupleti veterum ſolennium verborum & cæremoniarum penu idem liber vos ditaverit, ſingula fere verba, non ſolum paginæ & verſus mihi forent repetendi. Si inſuper etiam in doctrinæ civilis fructum inquiramus, quam eum copioſum quam varium deprehendemus? Fundandæ urbis & civibus replendæ artes ſuggeſſit Romulus. Numa religionis utilitatem & pacis commoda oſtendit. Tullus ſeveritatem commendavit diſciplinæ militaris. Ancus, introducto jure fœciali, etiam in bellis æquitatem ſervandam docuit. Tarquinius Priſcus exemplum præbuit in aulis & peregrina urbe emergendi. Servius cenſendi vires populi viam monſtravit. Tarquinius Superbus tyrannidis ſtabiliendæ rationes præſcripſit, exiliumque ſuum reliquit documentum punitæ inſolentiæ. Non jam perſequar cætera ejus generis monita, ne diem dicendo eximam. De Sententiarum quoque numero, quas inde collegiſtis, prudens ſileo, ne vobis meam potius operam oſtentare velle videar, quam perceptam utilitatem in memoriam revocare. Cum igitur tantus & tam multiplex fructus ſit, quem hactenus ex Livio eſtis conſecuti, prorſus ſuperfluum reor auctorem ſatis jam per ſe commendatum prolixo verborum lenocinio venditare. Ideoque, cum nunc ſecundum ejus librum publice explicare aggrediar, id tantum in limine polliceor, non minorem

rem ex prælectione ejus ad vos perventuram utilitatem, quam ex præcedenti libro percepiſtis. Quo promiſſo nullum opinor ad continuandam diligentiam blandius incitamentum poſſe reperiri. Diſcetis enim inde originem celeberrimi imperii conſularis: Tarquiniorum irritum regni recuperandi conſilium: Bruti patriæ magis, quam filiorum amantis rigidam adminiſtrationem juſtitiæ: Horatii Coclitis pro patria pugnantis periculoſam pontis defenſionem: Mucii Scævolæ ſponte ſua manum comburentis patientiam: Clœliæ virginis intrepidam Tiberis tranſnatationem: irritatæ plebis ſeceſſionem in ſacrum montem: primam tribunorum plebis inſtitutionem: C. Marcii Coriolani exilium, & patriæ bellum inferentis obſtinatum animum, promulgationem primæ legis agrariæ, graviſſimarum deinde ſeditionum cauſæ & fomitis: Sp. Caſſii regnum affectantis ſupplicium: vivæ veſtalis virginis ob inceſtum defoſſionem, & Fabiæ gentis pugnam ad Cremeram fluvium adverſus Vejentes infœliciſſimam. Quid plura? Eandem, quam antehac reipſa jam experti eſtis, rerum varietatem, eandem ſtyli elegantiam, eandem copiam antiquitatis & ſententiarum, eandem doctrinæ civilis inſtructionem, ſecundo etiam hoc libro abunde & bona fide vobis polliceor. Age ergo, Optimi Juvenes, ſi amor vos tenet ſolidæ eruditionis; ſi multifaria vos delectat peritia; ſi puriſſimi ſermonis vos capit ſplendor; ſi de-

ni-

nique animum veſtrum tangit gloriæ ex virtute proficiſcentis cura, erigite vos, & ad novum laborem novos ſumite ſpiritus. Cogitate multo eſſe turpius, ut transfugam induſtriæ caſtra deſerere, quam nunquam illi meruiſſe. Excitet vos exemplum meum. Primus enim nomine omnium ſacra faciam Deæ Strenuæ. Murciæ vero nihil nobiſcum rei ſit, utpote quæ Muſis, quas nos veneramur, eſt inimiciſſima. Quod ſi quis numini ejus hactenus fuit devotus, vel poſthac a cultoribus ejus aliave ratione ſeductus in ſectam illam nomen dederit, is aut religionem tam pernicioſam animo ejiciat, aut converſatione melius ſentientium excludatur. Neque ego hoc eo moneo, quod diligentiæ veſtræ diffidam, ſed ut animum obfirmetis adverſus varia impedimenta, quæ abſterrere vos a propoſito, & in medio curſu ſubſiſtere poterunt. Etenim ſi imminentem ſpectemus anni tempeſtatem, quid ab hyeme ſperandum eſt præter pluviam, nives, tenebras & vim frigorum? quæ omnia uno impetu vos invadent, & a matutina prælectionum publicarum frequentatione abſtrahere conabuntur. Magnum ſane hinc conſtantiæ periculum vobis eſt, ſi corpus magis quam animum amatis: at ſi fervida ingenii excolendi cupidine ardetis, in æſtatem hyems mutabitur, ubi haud fruſtra injuriam temporis vos perpeti ſenſeritis. Certe ſi mercatores minimi ſæpe & facile perituri lucelli gratia maximas longiſſimorum itinerum incom-

commoditates capitali periculo ſubeunt: ſi milites parvo ære graviſſimas ſuſtinent belli moleſtias: ſi agricolæ in ſpem meſſis adhuc incertæ quamcunque cœli faciem ſub dio perferunt, abſurdum foret & pudendum, a literarum ſtudio deditis juvenibus minoris fieri inæſtimabiles ingenii opes, parvique temporis laborem detrectari, quem ſummo emolumento ac perpetua gloria compenſatum iri prævident. Verum meliora ominemur, & quæ eventura deprecamur, ea ne cogitatione quidem præſumamus. Equidem mihi ita perſuaſum eſt, ut ab aperta hoſtium vi facilius nos tuemur, quam a ſubdolis eorum machinis, ſic minus conſtantiæ veſtræ ab hyemis ſævitia intentari periculum, quam ab aliis minus violentis retinaculis. Cujuſmodi eſt magnitudo operis reſidui, quæ plerumque juvenes ſpecioſo prætextu avertere ſolet & deſertores ſtudiorum efficere. Audio enim jam muſſitantes nonnullos: Unum ſcilicet nos abſolviſſe librum & eum vix ægre quadrimeſtri ſpatio: ſupereſſe integros triginta quatuor: Trojam citius capi poſſe, quam illi exponentur. Hic, Auditores, multorum vanus erit angor: ſed ſciant, qui ita ſentiunt, calculum ſuum minime meo reſpondere. Quis ille ſit requiretis; apparebit tempore. Interea hoc duntaxat moneo. Vos quod veſtrum eſt agite, hoc eſt, accedite conſtanter, attente auſcultate, excipite ſtudioſe, repetite diligenter; reliqua autem Deo ac mihi committite.

Imi-

Imitamini nautas, qui pernavigaturi fretum aliquod, deterreri ſe non patiuntur, ſi e longinquo tranſitus velut obſtructus videatur: imitamini ruſticos, qui ſegetes demeſſuri, magnitudinem camporum non conſiderant. Minuetur labor aſſidue laborando, & quamvis paulatim, decreſcet tamen, & ad finem perducetur. Id tandem omnium maxime a vobis contendo, ut ſedulo vobis caveatis ab illo omnium mortalium ſtultiſſimo ſimul & improbiſſimo genere, qui ut ſapere præ cæteris videantur, vel prælectiones publicas omnino contemnunt, vel ſi iis, quod tamen rarum, interveniant, non accedunt diſcendi gratia, ſed ut garriant, ut rideant, ut captent aliquid, quod in malam partem interpretentur. Lateant illi tenebriones intra parietes ſuos: ubicunque virus ſuum effundat peſſima illa publici commodi peſtis, modo factionibus ſuis noſtram non turbet quietem. Vos vero, Optimi Juvenes, quorum mihi hactenus ſpectata ſatis eſt induſtria & probitas, cum abunde ex his quæ a me dicta ſunt, cognoveritis, plurimum vobis jam profuiſſe Livianam lectionem, nec minus inpoſterum quoque profuturam: arripite egregiam hanc & haud vulgarem variæ eruditionis acquirendæ occaſionem, Utimini ea, dum ultro ipſa ſe offert, ne elapſam fruſtra deſideretis. Quod ſi moleſtum & grave videbitur, hibernis tempeſtatibus corpus exponere, contra ſolatii loco reputate, moleſtiam quidem illam cito a vobis

re-

receſſuram, fructum autem laboris perpetuo apud vos permanſurum. Quod reliquum eſt, tuum ſupplex invoco numen, Summe Deus: Tu, qui intimos cordis mei receſſus penetras, & ſolus optime noſti, quanto favore ſtudeam commiſſum officii munus recte & utiliter exequi, adſis volens & propitius, & proſperes conſilia mea ac labores. Suſtenta valetudinem corporis defatigati: renova alacritatem animi nimio onere labeſcentis. Patientiam inſolentiis inimicorum tentatam confirma, & in ipſos, qui vel palam vel clanculum nocere mihi conantur, tela ſua retorque. Inflamma denique auditorum meorum mentes cupiditate diſcendi, & ſtudia eorum ſic fœlicita, ut ego illorum profectu lætari poſſim, ipſi ad ſtrenue pergendum alacriores reddantur, omnes vero conjunctim benignitatem tuam admiremur, & glorioſa commemoratione æternum efferamus.

D I X I.

PETRI LAMBECII HAMBURGENSIS
ORATIO
in obitum Clariſſimi doctiſſimique
VIRI
JOANNIS ADOLPHI TASSII,
Profeſſoris Mathematum in illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi.

ILluſtrium Virorum memoriam publica laudatione poſt mortem proſequi, nec novum eſt, Auditores, nec a communi utilitate alienum. Alterum enim unanimis gentium conſenſus & innumera præteritorum ſimul & noſtrorum temporum exempla comprobant: alterum vero ita per ſe eſt manifeſtum, ut nemo tam ſtupidus ſit, aut perverſus, quin publicæ felicitatis intereſſe intelligat, præclara merita condigno præconii genere compenſari & defunctorum honores poſteris ad majores etiam promerendos, quaſi faces & calcaria admoveri. Nempe inſitum natura eſt optimo cuique ardens laudis deſiderium: nec quidquam ad exercitationem virtutum, ad laboris patientiam, ad periculorum & invidiæ & obtrectationis atque adeo ipſius mortis contemptum æque valet, ac in-

indubitata ſuperſtitis gloriæ ſpes & bonæ manſuræque famæ præſumptio; quam ego quidem, ut nulla non ratione & arte & induſtria ambiendam cenſeo, ita neque ullis voluptatum delectamentis, nec ulla ſplendidi, ſed parum duraturi faſtus umbra, nec omnium Craſſorum divitiis & opibus commutandam exiſtimo. Quod igitur ipſe, ſi meruero, excedenti mihi e vita cupio evenire, id ego nunc alteri præſtiturus, proceſſi in medium, & ampliſſimum hunc dicendi locum occupavi. Etenim meminiſtis, Auditores, neque obliviſci hoc vos patitur juſtiſſimus dolor, quanto cum periculo totius rei literariæ, quanto cum detrimento illuſtris hujus Gymnaſii, quanto cum damno ſtudioſæ hujus juventutis exequias Viri Clariſſimi * Joannis Adolphi Taſſii abhinc octiduo celebraverimus. Meminiſtis profecto: nam turgent adhuc oculi lachrymis: madent genæ recenti fletu; agitatur etiamnunc pectus ſuſpiriis, & vultus in terram converſus ubi triſtitiæ cauſa lateat, teſtatur. Placet mihi equidem, placet hic habitus, qui gratitudinis veſtræ erga bene meritos cives eſt indicium. Juvat me ita vos videre mœſtos, quia tacite quodammodo eundem affectum aliis poſthac æque dignis pollicemini. Verumenimvero id demum præ cæteris valde me delectat, quod

* *Natus fuit Vorda in Archiepiſcopatu Bremenſi A. Æ. C.* 1585. *Profeſſor Mathematum Hamburgi electus fuit A.* 1629. *obiit prid. Non. Januar. A.* 1654. *ætat.* 69. *Sepultus fuit IV. Id. Januar. in templo S. Catharinæ.*

cum privatim debito mœrore tanti Viri manibus ſatis feceritis, inſuper etiam publicum hunc Muſarum luctum frequenti veſtra præſentia approbetis. Lachrymæ nimirum & gemitus & ſuſpiria omnibus conveniunt funeribus. Tralatitia hæc, plebeja, vulgaria ſunt; quæ ſæpius ab humanæ naturæ imbecillitate, quam legitimo rationis delectu proficiſcuntur. At multo aliter lugendum eſt præſtans & illuſtre ingenium, quod opiniones vulgi & virtutes ſupergreſſum, omnem ætatem omneſque vires ſapientiæ ac cognitioni rerum impendit; quodque aſſidua induſtria & publici commodi promovendi ſtudio amorem atque admirationem omnium promeruit. Illi enim, ubi corporis reliquit anguſtias, proprium hoc & maximum ſupremæ benevolentiæ officium exhibetur, ſi perennaturis literarum monumentis laudes ejus celebrentur. Et certe ſi militari gloria conſpicuis Viris inveterato more conceditur, ut in honorem eorum ac memoriam, inſignia bellicæ artis, quæ in vita maxime adamarunt, galea ſcilicet & clypeus & calcaria & gladius & vexillũ in ipſis etiam templis ſuſpendantur: æque profecto juſtum eſt & conveniens Viris literatis eum ex literis honorem haberi, ut funebri oratione nomen eorum & dignitas & virtutes poſteritati commendentur. Cæterum A.O.O.P. quod in tam ſpectabili tot eloquentiſſimorum ſimul & doctiſſimorum hominum conſeſſu ego potiſſimum dicendi munus ſuſcipio, non hercle fit,

ut

ut ſine dubio nonnulli perperam judicabunt, fiducia facundiæ, quam ſi ullam, tenuem omnino in me eſſe & ſentio & lubens confiteor; neq; vero intempeſtiva laudis ambitione ex re alibi quidem ſatis, in noſtra autem urbe hactenus minus uſitata: ſed longe alia me impellunt, quæ & ſingula plurimum valent, & conjunctim multo urgent vehementius. Debeo enim defuncto ſupremum hoc officium ut præceptori bene olim de me merito, qui ſuo quodam jure profectus, quem in literis feci, fructum a me repetit. Debeo ut amico mei amantiſſimo, quo cum & tempore peregrinationis meæ per epiſtolas, & poſtquam in patriam redii, maxima mihi coram familiaritas interceſſit. Debeo denique ut collegæ optimo ac fideliſſimo, qui me, cum de Gymnaſio inſtaurando ageretur, cathedra hac & laboris ſui conſortio dignum cenſuit. Huc inſuper accedit, quod ipſi moribundo, cum paucis ante obitum horis nominatim id a me poſtulaſſet, manu data promiſerim. Quæ ultima promiſſa ſanctiſſime præ cæteris diligentiſſimeque debent obſervari. Perſoluturus itaque Viro Præſtantiſſimo, quod publica utilitas, quod privatæ obligationis nexus, quod conſenſus omnium bonorum, quod literarii ordinis dignitas, quod denique exiſtimatio hujus loci, & ipſi quodammodo muti illi parietes a me exigunt, haud facilius me propoſitum orationis ſcopum conſecuturum arbitror, quam ſi primum recenſuero, quis ille fuerit, &

qua via quibusque artibus ſolidæ eruditionis gloriam ſibi acquiſiverit: deinde quanta fide quantaque diligentia in Profeſſorio munere acquiſitam eruditionem cum aliis communicaverit: poſtremo quam lætus recordatione bene tranſactæ vitæ & plenus beatæ tranquillitatis a nobis diſceſſerit. Quod ſupereſt, A. O. O. P. obnixe & qua par eſt, obſervantia, vos rogo, ut de his rebus, quam potero breviſſime, dicturo mihi, benevolam attentionem præſtetis. Quod ſi, ut ſpero & æquum eſt, a vobis impetravero, efficiam profecto, ut quivis vel maxime a literis alienus intelligat quantum Virum amiſerimus, & quam ſtudioſe proſpiciendum ſit, ut ingens hoc damnum digno ſucceſſore reſarciatur.

Cum primum igitur quis Taſſius noſter fuerit dicendum ſit, nolim exiſtimetis, Auditores, neceſſarium eſſe, ut minutim inquiram in omnes ejus majores & cognatos & affines: quæ habuerint prænomina, quæ nomina; cujus fuerint originis, cujus conditionis; ubi vixerint, ubi deceſſerint, & quæ ejusmodi alia oſtentandi generis ergo ſolent recenſeri. Ut vere dicam, non placet mihi iſta ratio laudandi viros eruditos: quippe quæ anilis & fallax eſt, & iis proprie congruit, qui lunæ inſtar proprio virtutis ſplendore deſtituti a familiæ claritate, tanquam ſole, lumen ſuum coguntur mutuari. Etenim ut omnes homines animo conſtamus & corpore, quorum alterum nobis cum Deo, alterum cum

bel-

belluis commune eſt, ita duplex quoque in ſingulis ſpectanda eſt nobilitas. Quarum altera, quæ ex corpore originem trahit & per parentes in nos propagatur, deterior ac vilior ſit neceſſe eſt, utpote quæ ex deteriori atque ignobiliori hominis parte deſcendit. Itaque plurimi ſapientia & virtute excellentes Viri, inter quos & Homerus, nobilitatem hanc, ut inanem & imaginariam, merito aſpernati ſunt; nec qui, aut unde eſſent, quibusve parentibus prognati vel in ſcriptis ſuis meminiſſe, vel familiaribus commemorare voluerunt. Altera nobilitatis ſpecies ab animo proficiſcitur, quæ ſola, non dicam meo ſed omnium, qui ſapiunt, judicio, nobilitatis nomen meretur. Nam prior illa, quæ ſanguini innititur, caduca, mortalis, fluxa, inſtabilis eſt, quippe quæ dari poſſit & adimi. Poſterior vero hæc, perinde ac animus ipſe, immortalis eſt, nec externo ulli periculo obnoxia, ipſa per ſe ingenii duntaxat & doctrinæ & virtutis teſtimonio eluceſcit. Solidam ergo hanc & veram nobilitatem, quæ merito primum locum in defunctorum laudibus obtinere debet, eximiam ac ſingularem in Joanne Adolpho Taſſio fuiſſe, omnes, ut opinor, qui ingenii ejus acumen, eruditionis copiam, & virtutis ſtudium cognoviſtis, facile mihi eſtis aſſenſuri. Quod ſi, ut vulgo creditur, animi illæ dotes, quamvis ſine ullo aliunde petito ſplendore ſatis per ſe fulgeant, illuſtriores tamen fiunt honorata conditione natalium, tantum

abeſt, ut Taſſio noſtro felicitatis illa pars defuerit, ut niſi naturâ contemptor fuiſſet alieni hujusmodi ornamenti, ſummo jure, ſi quis alius, de iis potuiſſet gloriari. Pater enim illi fuit Joachimus Taſſius, vir honeſtiſſimus, qui Secretarii, ſeu ut veteri utar vocabulo, Actuarii publici munus Vôrdæ in Aula Archiepiſcoporum Bremenſium multos annos ita adminiſtravit, ut & peritia rerum, quæ varia in illo officio requiritur; & patientia laboris, quæ non minus ibi deſideratur; & integritate vitæ, quæ rariſſima plerumque in foro eſt, ſingulari aliis exemplo fuerit. Hoc patre natus eſt Anno octogeſimo quinto ſuperioris ſeculi. Hujus cura & ſimul matris, fœminæ optimæ lectiſſimæque ſtudio ſic infantia ejus & prima puerilis ætas formata eſt, ut & recte de Deo ſentiret, & numen ejus pie vereretur. Poſt ubi ad eam pervenit ætatem, quæ literis ſerio jam tractandis apta cenſetur, Lubecam a parentibus miſſus eſt, cujus urbis Schola præ cæteris tunc florebat, & deinde multo etiam magis inclaruit. Cujus rei cauſas indaganti mihi, multæ quidem occurrunt, ſed quæ tales ſunt, ut tacitus mecum Perſianum illud exclamem; Ah ſi fas dicere! Unam tamen dicam, quæ nullius aures poteſt offendere: quæ nullam invidiam, nullum periculum mihi poteſt concitare. Ea eſt, quod univerſa Respublica ex animo & conjunctis viribus ad augendam & tuendam eam conſpiraverit. Receptus igitur in illam Scholam Taſſius, latere diu

diu non potuit: ſiquidem ſtatim a principio præclara ejus indoles ita cœpit emicare, ut quis olim eſſet futurus, haud obſcuris indiciis appareret. Nam ſic vita erat: amare præceptores; iis ſeſe dedere, eorum obſequi monitis, magni æſtimare prælectiones publicas, auſcultare attente, notatu digna ſublegere, ediſcere non injuncta tantum, ſed etiam ſuperflua, ex condiſcipulis maxime probos & diligentes colere & imitari, improbos & ignavos fugere, petulantes & moleſtos perferre ac pati, nemini importune adverſari, nunquam ſe jactanter aliis præponere, denique ita ſe gerere, ut apud omnes ſine invidia laudem inveniret. Cæterum inprimis quidem probatiſſimis latinæ linguæ auctoribus legendis diligentiſſime tum incubuit, eoſque ſcribendo, quam potuit ſtudioſiſſime, eſt imitatus. Nempe jam tunc animadvertit, tantam cujusque ſcientiam & eruditionem haberi, quantum ſermone eam aut ſcriptis ſcit ornare & extollere. Ideoque quicquid ex latinis ſupereſt Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum incredibili induſtriæ pervicacia perlegit, imbibit, devoravit. Mox ad Græcæ etiam linguæ ſtudium ſe contulit, cujus uſum itidem ac Latinæ legendo ſcribendoque promptiſſimum ſibi reddere anniſus eſt, quod perſuaſum haberet, nunquam ſe adyta ſolidæ eruditionis ſine ejus adminiculo penetraturum. Ad quam naturalem genii propenſionem cum inſuper doctiſſimorum hominum auctoritas applauſus &

exempla acceſſiſſent, contigit, ut quaſi duplicatis animi viribus literas Græcas aggreſſus, tantum brevi in illis fecerit profectum, quantum quis in juvenili ætate unquam potuit. Junxit deinde linguarum cognitioni ratiocinandi artem & reliquum Scholaſticæ doctrinæ orbem, ſine quo caſſa merito & inanis eloquentia habetur. Neque vero in illa rerum contemplatione, minus quam in aliis aut felix fuit aut induſtrius: immo nuſquam magis, quam in eo ſtudio eximium ejus ingenium ſe prodidit. Ingenium autem appello lumen quoddam mentibus à natura inditum, ſeu potius igneum quendam vigorem & vividam generoſæ indolis ſagacitatem, qua qui præditus eſt, is ad difficillimarum rerum atque rationum arcana abſque multo labore penetrat, veritatem facile odoratur, nec acquieſcit prius, quam illam comprehenderit. Hoc inſtructus tam inſigni, tam raro, tam potenti adminiculo Taſſius, quocunque animum appulit, in eo adeo felices fecit progreſſus, ut non diſcere incognita, ſed quæ jam antea didiciſſet, viſus tantum fuerit recordari. Talem igitur ſe in Schola geſſit: talis inde prodiit; dignus amore magiſtrorum, dignus æqualium æmulatione, dignus admiratione omnium. ****

Cætera fortuito amiſſa caſu deſunt. Prinſquam enim Oratio hæc integra a me pure deſcriberetur, recitatio ejus ſolennis, tanquam res in noſtra Rep. nova, autoritate publica fuit prohibita.

PRO-

PROGRAMMA
Orationis Inauguralis, in ſuſcipiendo Rectoratu habitæ.

PETRUS LAMBECIUS J. U. L. & Gymnaſii Hamburgenſis Rector deſignatus

LECTORI S.

MAgnam omnibus in rebus vim eſſe principii, multumque ominis negotiorum habere primordia, adeo ſine controverſia certum eſt, ut manu prehendi poſſit, adeoque conſtanter ad omnes mortales ſemper in confeſſo fuit, ut merito opinionis hujus origo ipſi humano generi æqualis cenſeatur. Ut ergo rem ſatis per ſe claram compilata ſententiarum, exemplorum & ſimilitudinum farragine illuſtrare ineptum ſimul atque ſupervacaneum arbitror, ita quoque neminem dubitare exiſtimo, quin ex eadem efficaciæ principii perſuaſione, tanquam fonte, omnes profluxerint εὐφημίαι, ſolennitates & cærimoniæ, quæ in publicorum munerum ac dignitatum ſuſceptione apud omnes populos, vel antiquitus adhibitæ fuerunt, vel etiam nunc adhibentur. Inter eas vero haud poſtremum locum obtinent inaugurales Orationes, quæ in Academiis, Gymnaſiis & Scholis cum alias ob cauſas haberi ſolent, tum

tum præcipue, cum Rectorale munus publica autoritate cuiquam demandatur; nempe ut tam arduum æque ac magni momenti onus invocatione auxilii divini ſuſcipiatur, & quis ſperandus ſit ſucceſſus, ex ipſo ſtatim initio tantæ ordiendæ rei qualitercunque appareat. Quandoquidem igitur & mihi, loco Clariſſimi doctiſſimique Viri JOACHIMI JUNGII Phil. & Med. D. qui VIII. Kal. Octob. A. Æ. C. cIↄ Iↄc LVII. vivere inter homines deſiit, Rectoratus Gymnaſii Hamburgenſis legitima electione fuit oblatus, ejusque rei publicandæ & confirmandæ gratia ex recepta conſuetudine ſolennis Inaugurationis actus craſtino die Jovis, hora decima matutina, volente Deo inſtituetur, omnes omnium Ordinum & Dignitatum præſtantiſſimos Viros obnixe & qua par eſt obſervantia rogo, ut ſtato tempore honorificentiſſima frequentia Rectoratus mei ingreſſum condecorare velint, & ſimul benignam exigui temporis mihi præſtare attentionem, dum paucis dicturus ſum de Gymnaſii noſtri origine, & de multiplici fructu, quem ex ejus conſervatione & recto uſu univerſa Reſpublica noſtra & antehac percepit, & hoc tempore percipit, & , ſi neceſſaria adhibeantur remedia, in poſterum uberius, quam unquam percipiet. Quod ſi, ut precatus ſum, impetravero, ſedulam, quantum in me erit, operam dabo, ut fautorum meorum benevolentiæ condigna gratitudine reſpondeam. Vale, quisquis es, CANDI-

DE

DE LECTOR, & inſtantem Inaugurationis ſolennitatem optimis fauſtiſſimisque verbis & ominibus proſequere. P. P. * III. Id. Januarii A. Æ. C. cIↃ IↃc LX.

PETRI LAMBECII HAMBURGENSIS ORATIO

habita in illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi A. Æ. C. cIↃ IↃc LX. d. XII. Januarii, cum Rectoratum legitima electione ſibi oblatum, & publica Ampliſſimi Senatus autoritate ſolenniter demandatum, ſuſciperet.

SI tanta ſublimium honorum beatitudo & felicitas in receſſu eſſet, quantam fronte promittunt, quantusque eſt externus ille ſplendor, qui imperiti vulgi præſtringit oculos, juſtiſſimam profecto viderer nactus occaſionem mihimet gratulandi de oblato Gymnaſii hujus regimine, cujus ſuſcipiendi cauſa ſolennis hic tot præſtantiſſimorum Virorum conventus inſtitutus eſt. Etenim ſi ipſum hoc, quod mihi demandatum eſt, ſpectetur munus, quis inter præcipuas cujusvis bene conſtitutæ Reipublicæ dignitates haud poſtremum illud obtinere locum negaverit? Si florentiſſimæ hujus urbis, ubi Gy-

* *In prima hujus Programmatis editione perperam hic legitur* prid. Id. Januar.

Gymnaſii noſtri ſedes eſt, opulentia cogitetur & celebritas, quis eam officio ſatis per ſe illuſtri multum ſplendoris addere inficietur? Si electionis conſideretur ratio, quis ſine ullo promoveri ambitu, & tacito populi conſenſu ad capeſſendum honorem invitari, glorioſum eſſe dubitet? Si denique, ut alia plura modeſto ſilentio involvam, ſucceſſionis expendatur ordo, quis ſeptuagenario & profunda eruditione clariſſimo Seni ſub virilis ætatis principium in Rectorali cura ſurrogari, ſingulare quid & præclarum eſſe diffiteatur? Verumenimvero utcunque hæc aliis magnifica, ſplendida, & ad invidiam usque ſpecioſa videantur, me ſane tantum abeſt, ut lætitia ulla afficiant, ut contra non niſi ſuſpenſo animo & variarum pleno ſollicitudinum cathedram hanc in præſens conſcenderim. Octavi quippe jam anni ultimus hic agitur, dies, poſteaquam eodem hoc loco, eadem fere pompa, eodemque omnium bonorum applauſu, publicam Hiſtoriarum Profeſſionem aggreſſus ſum, & cum novi iſtius muneris primordio diſcere ſimul experiendo cœpi, ut alia quæque ampliſſima munia publica, ſic & literarias dignitates nil aliud, quam graviſſima onera eſſe, &, quicquid illis extrinſecus vel emolumenti ineſt, vel honoris, occulta longe majoris moleſtiæ & faſtidii mole abunde compenſari. Deus enim mihi teſtis eſt, & teſtis conſcientia mea, quam varios pariter ac graves illo temporis ſpatio pertulerim labores, cum

quam

quam mordaci ac virulenta conflictatus fuerim invidia, quantam malevolorum judiciorum ſuſtinuerim iniquitatem, quam perverſos ſimul & potentes in optimis quibusque conatibus habuerim adverſarios, quam malignas generoſo ſtomacho concoxerim obtrectationes, quam demum ingrato animo, quantaque injuriarum inſolentia diligentiæ ac fidelitati meæ ſerpentina quædam ingenia reſponderint. Cum igitur octennali experientia edoctus, ſatis ſuperque noverim, Profeſſorii muneris dignitatem, quamvis non mediocrem præ ſe ferat felicitatis umbram, revera tamen, ſi quis ea rite fungi velit, laborioſam juxta atque ærumnoſam eſſe, jure merito haud mirum cuiquam videri debet, quod ob Rectoralis officii prærogativam ad id, quod ſatis per ſe grave eſt, Profeſſorium munus adjectam, non lætabundus & quaſi re bene geſta triumphans, ſed conſternatus, & rei bene gerendæ deſiderio trepidus, in Gymnaſtica hac panegyri compareo. Hactenus nempe pro me duntaxat mihi reſpondendum fuit, deinceps vero etiam pro aliis reddenda erit ratio: hactenus particularem tantum communis mihi cum aliis provinciæ curam geſſi, deinceps vero ejusdem generalis ad me pertinebit inſpectio: hactenus alieno periculo tutus ſteti poſt principia, deinceps vero ante ſigna conſtitutus, quo plus in oculis ero & conſpectu omnium, eo magis etiam invidiæ & criminationum patebo ictibus. Paucis; deterior hac mutatione conditio

tio mea reddetur, non melior. Quod cum jamdudum præviderim, quam potui maxime ſemper ſuaſi, ne arduum illud Rectoris munus perpetuo alicui committeretur, ſed ut per certas imperandi parendique vices quotannis penes unum ex Profeſſorum eſſet Collegio. Ubi autem huic conſilio meo per jam receptam perpetui Rectoris creandi conſuetudinem locum in Republica noſtra dari non poſſe intellexi, tranquillitatis & quietis meæ intereſſe credidi, ſi ita me gererem, ne vel minimam minimi ambitus ſuſpicionem, vel Dominis Collegis meis, vel cuilibet alii præberem. Quod an conſecutus fuerim, penes alios eſto judicium; quod ad mentem certe meam & voluntatem attinet ſancte affirmo, direxiſſe me ad iſtum ſcopum omnem vivendi rationem, qua conſtanter uſus ſum, ex quo tempore Gymnaſium noſtrum publica auctoritate conſtitutum caput habere deſiit. Contigit autem illud integro abhinc biennio, anno videlicet hujus ſeculi quinquageſimo ſeptimo, & quidem octavo Kalendas Octobris, qui dies in hac vita ſupremus fuit Clariſſimo doctiſſimoque Viro JOACHIMO JUNGIO Lubecenſi, acutiſſimo ſimul Philoſopho atque excellentiſſimo Medicinæ Doctori; qui cum primum quidem in Academiis Gieſſenſi & Roſtochienſi Mathematum, deinde in Helmſtadienſi ſive Julia Medicinæ, & iterum in Roſtochienſi Mathematum Profeſſorem egiſſet, firmam denique fortunarum ſuarum

rum

rum ſedem & domicilium in noſtra hac fixit urbe, ubi publica ampliſſimi Senatus auctoritate an. Æ. C. milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, decimo quarto Kalendas Aprilis, Gymnaſii ſimul & Scholæ Johannitanæ Rector fuit renunciatus. Quod duplex munus conjunctim adminiſtravit usque ad decimum ſeptimum Kalendas Auguſti anni quadrageſimi, quo propter graviſſimas cauſas inſpectione Scholæ ita ſe abdicavit, ut, quoad deinde vixit, Regimen duntaxat Gymnaſii cum Phyſices & Logices profeſſione retinuerit. Quandoquidem igitur poſt hujus Viri obitum contra omnem ſpem & opinionem Rectoratus Gymnaſii, qui per biennium vacaverat, legitima quidem, ſed admiranda prorſus electione non ambienti mihi fuit oblatus, ejusq; rei publicandæ & confirmandæ gratia ſolennis hic actus inſtitutus eſt, non refragabor omnipotenti voluntati divinæ, non repugnabo patriæ meæ cariſſimæ deſiderio, non adverſabor prudentiſſimorum Electorum de me judicio, non demum vel ſolius ſtudioſæ juventutis precibus reſiſtam, ſed Rectoratum publicâ ampliſſimi Senatus autoritate mihi demandatum debita reverentia ſuſcipio. Suſcipio, inquam, hoc maximæ moleſtiæ, ſed minimi emolumenti onus, ſuſcipio hanc publicæ invidiæ incudem, ſuſcipio hanc variarum curarum ſarcinam, nec meæ utilitatis cauſa, ſed publicæ, nec inanis gloriæ inſtinctu, ſed candido erga ſtudioſam adoleſcentiam amore, nec propria-

rum fretus fiducia virium, ſed auxilio numinis divini, cujus ſtupendam in toto vitæ meæ curriculo manibus quodammodo prehendi providentiam. Cæterum quoniam ex recepta conſuetudine principium novi hujus muneris ſolenni præfatione faciendum eſt, duo potiſſimum hic mihi obſervanda eſſe cenſeo, nempe ut & argumentum deligam tale, quod maxime ad rem faciat, & in eo pertractando ita ſtudeam brevitati, ne ſplendidiſſimi hujus Auditorii in auſcultando patientia abuti videar. Dicturus ergo ſum de Gymnaſii hujus origine, & de multiplici fructu, quem ex ejus conſervatione & recto uſu univerſa Respublica noſtra & antehac percepit, & hoc tempore percipit, &, ſi neceſſaria adhibeantur remedia, in poſterum uberius quam unquam percipiet. Vaſtum equidem eſt hoc argumentum, ſed quantum in me erit, operam dabo, ut præcipua ejus capita carptim attingendo, nec ſilentio neceſſarium aliquid prætermittam, nec diſſertationis prolixitate cuiquam moleſtus ſim. Proinde, Auditores omnium Ordinum & Dignitatum præſtantiſſimi, qua par eſt reverentia & ſubmiſſione rogo, ut mihi de propoſita materia verba facturo, faciles præbere aures, & benigna hac attentione ſingularem veſtrum affectum, cum erga univerſam Rem literariam, tum præcipue erga noſtrũ Gymnaſium, declarare haud dedignemini.

Cum alia itaque multa, A. O. O. P. in ordinanda hac Republica a majoribus noſtris præ-

cla-

clare & utiliter inſtituta fuerint, principem facile locum inter ea obtinere arbitror, quæ ad inſtitutionem juventutis pertinent. Etenim in quot parœcias univerſa civitas diviſa eſt, totidem Scholas inſtituerunt, in quibus præter fundamenta religionis Chriſtianæ, & doctrinam pietatis erga Deum & homines, duæ illæ in vita communi maxime neceſſariæ diſciplinæ, Grammatiſtica & Arithmetica vernaculo ſermone, & omnibus promiſcue admiſſis pueris, traderentur; unam autem cæteris omnibus dignitate præſtantiorem erexere Scholam, quæ non unius alicujus Parœciæ propria, ſed univerſæ civitati communis eſſet, & iis tantum pateret diſcipulis, qui vel indolis ſuæ felicitate, vel præſtantia generis & fortunarum, minus vulgari ſapientiæ & eruditioni, adminiculo latinæ & Græcæ linguæ comparandæ, daturi eſſent operam, & ad publicos honores aliquando capeſſendos præ aliis aſpirarent. Et de prioribus quidem illis parœcialibus Scholis haud opus eſt, ut in præſens agamus: poſteriori vero, quæ ad S. Joannis eſt, ut aliquantiſper immoremur, res ipſa poſtulat. Fundata hæc fuit A. Æ. C. 1529. & exiguo temporis ſpatio adeo cœpit florere, ut Philippus Melanchthon in præfatione carminis de Urbe Hamburgenſi, a quodam Joanne Fredero compoſiti, diſertis teſtetur verbis, in toto Oceani Germanici littore nullam ætate ſua frequentiorem fuiſſe Scholam, & gaudere ſe ſcribat, Hamburgenſes propter egregium

amorem erga ſtudia literarum veterem laudis poſſeſſionem retinere. Magnificum profectò hoc eſt de primitivæ noſtræ Scholæ Johannitanæ ſtatu teſtimonium; cujus generis proferrem alia non pauca, & ſpeciatim quidem de Theophilo & Matthæo Delio, quorum diligentiam & ingenii dexteritatem jam laudato loco Melanchthon deprædicat, pluribus agerem, niſi relictis antiquioribus illis temporibus, ad noſtrum hoc properandum eſſet ſeculum, quo magna apud nos rei literariæ viciſſitudo contigit. Aucta nimirum Reipublicæ opulentia, receſſit paulatim priſca ſimplicitas, & cum ſimplicitate candor, cum candore frugalitas, cum frugalitate verecundia, cum verecundia obſervatio diſciplinæ Scholaſticæ: & vice verſa cum incremento opulentiæ ortus eſt luxus, cum luxu inſolentia, cum inſolentia contemptus legum, cum contemptu legum effrænata licentia. Hinc cum lapſu diſciplinæ & legum labi pariter cœpit Schola, & ab antiqua conſtitutione & claritate in dies magis magisq; degenerans, omnino corruiſſet, niſi Deus pios aliquot & ſtrenuos publici commodi propugnatores ſuſcitaſſet, qui imminentem ruinam matura ſuſtentatione prævenirent. Horum enim ſuaſu, precibus, flagitatione eo tandem res deducta eſt, ut in publico Senatus & Civium conventu, A. Æ. C. 1611. ſeptimo Iduum Novembris celebrato, non tantum decretum fuerit, ut, adhibita diligenti reformatione, Schola in priſtinum reſtitueretur ſtatum,

verum

verum etiam eorum adoleſcentum gratia, qui, etſi abſoluto Scholaſtici curriculi ſtadio, honeſta miſſione e prima claſſe eſſent dimiſſi, ſtatim tamen in Academias ſe vel nollent, vel non poſſent conferre, Gymnaſium aliquod inſtitueretur, in quo more Academico publicæ haberentur prælectiones, & publicis exercitationibus ingenia adhuc rudia acuerentur. O præclarum conſilium! O fructuoſa deliberatio! O perutile decretum! Vivere ſane mihi videor dum hæc dico, illo ipſo, ubi hæc acta fuerunt, tempore; intereſſe mihi videor comitiis; audire mihi videor in utramque partem de hoc negotio diſceptantes; videre mihi videor, quam a nonnullis frigide ab aliis rigide excipiantur, qui prima utiliſſimi hujus propoſiti jecere fundamenta; videre mihi videor, quomodo tanquam novatores irrideantur; videre mihi videor, quomodo traducantur tanquam ambitioſi; videre mihi videor, quomodo rejiciantur tanquam prætextu utilitatis publicæ proprium captantes commodum. Sed olim hæc ita fuere: nunc vero ceſſat invidia, ceſſat criminatio, ceſſat calumnia, & debiti loco præmii, vivit vivetque perpetuo primorum Gymnaſii noſtri fautorum gloria. Ex hiſce nominatim hic commemorandus eſt Vir Reverendiſſimus doctiſſimusque M. Jacobus Reneccius, Eccleſiæ S. Catharinæ Paſtor, qui non tantum ſummo fervore conſilium inſtituendi Gymnaſii promovit, verum etiam primus ejus Inſpector ab

Ampliſſimo Senatu fuit renuntiatus. Quam inſpectionem A. 1612. quarto Nonas Septembris ſolenni aggreſſus eſt oratione, quæ etiamnunc extat, & egregio ipſius opuſculo, quod Oratorium Artificium inſcribitur, præfixa eſt. Munere autem hoc ne annum quidem integrum functus eſt, utpote qui inſequenti Anno 1613. octavo Kalendas Julii deceſſerit. Primum hoc Gymnaſii noſtri interregnum fuit, ſed non diuturnum; quippe cum proximo ſtatim anno 1614. defuncti Reneccii loco Vir Reverendiſſimus doctiſſimusque M. Jacobus Fabricius Eccleſiæ S. Jacobi Paſtor ab Ampliſſimo Senatu Inſpector declaratus fuerit. Felix hujus Inſpectio Gymnaſio noſtro fuit publicatione legum, quæ Anno 1615. poſt feſtum Paſchale contigit. Quales autem primitivæ illæ fuerint leges, & quomodo pro mutatione ſtatus hujus Reipublicæ & ipſæ paulatim mutatæ fuerint, aliaque multa ad hanc materiam pertinentia, dedita opera in præſens referre ſuperſedeo, cum & peculiarem iſta diſſertatio requirat audientiam, & perfecte haberi nequeat, priusquam jam dictæ leges reddantur incudi, & accurata cenſura in illum redigantur ſtatum, ut præſenti Reip. genio conveniant, ideoque ſint obſervabiles. Quorſum enim promulgatio legum, ſi non obſerventur? quorſum publicatio mandatorum, ſi impune illis non pareatur? quorſum intimatio edictorum, ſi transgreſſio eorum ſit licita? Nulla, nulla ſane res adeo magiſtratus majeſtatem imminuit, autoritatem infringit,

po-

potentiam debilitat, quam detectio magni illius arcani, in ſpeciem ſæpe ferri leges, quas ipſi, qui ferunt, non ſint obſervaturi. Prima itaque mihi & maxima in novo Rectoratu meo cura erit, ut leges Gymnaſium noſtrum habeat non multas, ſed quæ ſtricte obſerventur, non rigidas, ſed quæ lenitate ſua ipſos convincant delinquentes, non ſupervacaneas, ſed quas uſus comprobet. Qua quidem de re ipſo promulgationis legum tempore expreſſe acturus ſum: nunc autem in viam, unde defleximus, revertendum eſt. Annus jam agebatur 1616. cum evocatione M. Jacobi Fabricii in aulam Sereniſſimi Principis Holſatiæ, ſecundum Gymnaſii noſtri interregnum, & ſimul notabilis mutatio contigit. Cum enim hactenus penes unum fuiſſet Inſpectio, placuit Ampliſſimo Senatui duobus eam committere Clariſſimis doctiſſimisque Viris, Petro Laurenbergio, Medicinæ Doctori Excellentiſſimo, & M. Henrico Rumpio, Paſtori ad S. Joannis, quorum prior Phyſices, poſterior autem Linguæ Sanctæ in Gymnaſio noſtro tunc temporis egit Profeſſorem. Hi ergo pari poteſtate, &, quod in ſocietate regiminis plerumque ratum eſt, ſumma concordia Gymnaſio præfuerunt uſque ad anni 1620. tertium Idus Julii, quo die M. Zacharias Schefterus, ex illuſtri Gymnaſio Coburgenſi, cujus directorem egerat, accerſitus, primus omnium ſimul & Gymnaſii hujus & Scholæ ad S. Joannis Rector publice fuit renuntiatus. Quam utram-

que dignitatem conjunctim obtinuit usque ad annum 1626. quo vitæ hujus laboribus pio placidoque obitu dixit vale. Proximo deinde anno 1627. & quidem nono Kal. Junii, publica Ampliſſimi Senatus autoritate tam in Gymnaſii, quam Scholæ Joannitanæ regimine ſucceſſit ipſi magnum patriæ ornamentum & ætatis ſuæ decus, Joannes Husvvedelius Hamburgenſis, Vir ſolidiſſime doctus & cum eruditiſſimis cujusque ſeculi hominibus comparandus, qui ex inclyta Academia Roſtochienſi, in qua primum quidem Philoſophiæ Practicæ, deinde autem Græcarum literarum annos circiter duodecim cum ſumma laude Profeſſorem publicum egerat, in patriam fuit revocatus. Optandum ſane fuiſſet, ut tanti Viri diligentia & eruditione Gymnaſium noſtrum & Schola diu potuiſſent frui, ſed quo minus id factum fuerit, quæ neſcio obſtiterunt cauſæ, propter quas poſtridie Calendarum Martii An. 1629. tam Gymnaſii, quam Scholæ Rectoratu ſponte ſe abdicavit, nec multo poſt remigravit Roſtochium, ubi deinceps reliquum vitæ ſpatium in Profeſſoria dignitate cum maxima fide & omnium bonorum applauſu transegit. Poſt voluntariam igitur eximii iſtius Viri abdicationem Rectoratus tam Gymnaſii quam Scholæ eodem A. 1629. decimo quarto Kal. Aprilis publica Ampliſſimi Senatus autoritate Clariſſimo doctiſſimoque Viro Joachimo Jungio fuit demandatus. Quamdiu autem is utramque dignitatem conjun-

junctim obtinuerit, & quo tempore, quaque ratione, avulſo jam regimine Scholæ Joannitanæ ab inſpectione Gymnaſii, in defuncti locum ego ſubrogatus fuerim, in principio Orationis a me fuit expoſitum, ideoque hîc dedita opera ſilentio prætereo, ne iterata illa commemoratio levitatis aliquid habere videatur & arrogantiæ. Et hactenus quidem A. O. O. P. Gymnaſii noſtri originem quam potui breviſſime recenſui: Supereſt, ut, quemadmodum promiſi, de utilitate ejus pauca adjiciam. Jamprimum itaque inquirenti mihi in cauſas, quæ majores noſtros ad Gymnaſium hoc inſtituendum impulerunt, duæ occurrunt præcipuæ, ſed maxime generales, nempe Gloria Dei & Salus Reipublicæ. Quod enim recta juventutis inſtitutione gloria Dei & ſalus Reip. promoveantur, adeo ſine controverſia certum eſt, ut, ſi quis hoc operoſe probare annitatur, & ſibi injuriam faciat, & iis, quibus hoc perſuadere conatur: quippe cum ipſe quidem ut ineptus ludibrio ſit, auditores autem ſuos tanquam communis ſenſus expertes evidentiſſimæ rei probatione arguat. Proinde non hîc mihi immorandum eſſe cenſeo generali diſſertationi de utilitate, quæ ex qualibet juventutis recta inſtitutione percipitur, ſed properandum potius arbitror ad ſpecialem hanc & magis reſtrictam quæſtionem, quonam publici & privati commodi reſpectu Majores noſtri contenti eſſe noluerint Schola Joannitana, ſed Gymnaſium inſuper illi

adjungendum eſſe crediderint, & an eventus pio iſti conſilio reſponderit. Quo autem ea, quæ hac de re dicenda ſunt, melius percipiantur, inprimis diligenter conſiderandum eſt, Gymnaſia media quædam eſſe docentium & diſcentium Collegia inter infimæ conditionis Scholas, quæ vulgo triviales vel claſſicæ dicuntur, & ſupremas illas, quæ Academiæ & Univerſitates appellantur. Scholæ enim triviales Gymnaſiorum, & Gymnaſia Academiarum ſeminaria ſunt, adeoque arcta inter hæc Collegia eſt cognatio, ut a ſalute Scholarum trivialium ſalus Gymnaſiorum, & a Gymnaſiorum ſalute ſalus dependeat Academiarum. Quippe in Scholis prima jaciuntur eruditionis fundamenta, in Gymnaſiis ad ædificium, poſitis jam fundamentis ſuperſtruendum, materia convehitur & contignatur, in Academiis ultima accedit manus & faſtigium operi imponitur. Quare ſi in Scholis non ponatur ſolidum fundamentum, nec in Gymnaſiis ideonea convehatur materia & probe contignetur, totum, quod in Academiis abſolvitur ædificium infirmum eſt & ruinæ obnoxium. Hinc luce meridiana clarius apparet, quam egregii Architecturæ literariæ magiſtri majores noſtri fuerint, qui non tantum ſoliciti fuere, ut bene ordinatam haberent Scholam, in qua fundamenta eruditionis ponerentur, verum etiam ut bene inſtructum haberent Gymnaſium in quo adoleſcentes, ſuperata ſcholaſticarum claſſium meta, ſubſiſterent aliquantum,

tum, &, priusquam in Academias evolarent, ad graviora ſtudia, liberioremque vivendi rationem præpararentur. Experientia enim, locupletiſſima certiſſimaque omnium rerum teſtis, jam dudum docuit, & hodieque docet, inanes plerumque reverti domum, qui inanes proficiſcuntur in Academias & præmaturam in exteris regionibus vivendi licentiam ut plurimum cum detrimento ſtudiorum, diſpendio ſumptuum, & ſæpe etiam cum ipſius vitæ periculo conjunctam eſſe. Hæc, hæc graviſſima illa cauſa, hæc urgentiſſimum illud incitamentum, hæc evidentiſſima illa fuit neceſſitas, quæ majores noſtros ad Gymnaſium hoc inſtituendum impulit, induxit, inflammavit. In Gymnaſium enim ex Schola recepti adoleſcentes, majorem quidem, quam antea habuerunt, nanciſcuntur libertatem vivendi, non tamen abſolutam, ſed certis circumſcriptam limitibus partim legum Gymnaſii beneficio, partim vero, & quidem vel maxime, parentum & cognatorum præſentia; quippe qua nihil ad diligentiam & frugalitatem eſt efficacius. Aſſueſcunt igitur potius apud nos libertati, quam in libertate ſunt, & ne inſolita libertate alibi abutantur, libertatem in patria primoribus labris guſtare incipiunt. Idem quoque velim de ſtudiis dictum exiſtimetur. Academicis enim prælectionibus & exercitiis adſueſcunt in Gymnaſiis, ne ex Scholis inferioribus recta in Academiam profecti, rudes omnino atque hoſpites ſint, & ſibi

quaſi

quaſi in novum orbem terrarum delati videantur. Quam multi autem præſtantiſſimi Viri hac ratione ex Gymnaſio noſtro prodierint, qui ex Academiis, in quas cum ſumma laude profecti fuerant, domum reverſi, vel patriæ inſervierunt, vel eidem apud exteros propter inſignem eruditionem fuerunt honori & ornamento, hoc, ut alia taceam, abunde teſtatur Gymnaſii hujus matricula, quæ ſi ad manum eſſet, non ſine maxima admiratione a nobis evolveretur. Sed quid chartacea opus eſt matricula, cum vivam hic habeamus ante oculos. Quocunque enim me verto, ſive ſacrum, ſive civilem intuear ordinem, ubivis eximios in omni dignitatum genere conſpicio Viros, qui huic potiſſimum loco eruditionis ſuæ debent primordia. Quemcunque ergo fructum ex publicis privatiſque eorum laboribus patria percipit, eum majori ex parte huic, ex quo prodierunt, debet ſeminario. Certe quod ad me attinet, publice hic & lubens conteſtor, ſi quid in me eſt ſolidæ eruditionis, ad quam confiteor inde a puero me adſpiraſſe, aut ſi qua dicendi ſcribendique exercitatio, in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum; aut ſi quæ diſcendi docendique methodus, quam mihi atque aliis non nego profuiſſe, earum rerum omnium vel inprimis huic liberalium artium & ſapientiæ officinæ poſt Deum tribuenda eſt gloria. Cæterum quamvis hoc Gymnaſium eo potiſſimum fine inſtitutum fuerit, ut civium

&in-

& incolarum hujus Reip. liberi tam ingenti bono fruerentur & gauderent, tantum tamen abeſt, ut exteri ab eo fuerint excluſi, ut contra lubentiſſime admiſſi, eodem cum civium liberis loco habiti fuerint. Incredibile profecto decus, immenſam laudem, inæſtimabilem gratiam benignitate iſta in exteros civitas noſtra ſibi peperit, ſed, niſi me amor propriæ opinionis fallit, longe adhuc majorem ea ſibi comparavit gloriam, ingenti illa, &, ut verum fatear prodiga quodammodo liberalitate; qua non paucos admirandæ prorſus eruditionis cives, quibus ipſa egregie uti potuiſſet, exteris concedere, quam ſibi retinere maluit. Cujus rei probandæ gratia recenſerem hîc non paucos toto terrarum orbe celeberrimos Viros, in noſtra hac urbe natos, & in Gymnaſio hoc noſtro inſtitutos, qui etiam nunc ſuperſtites ſunt, & admiranda eruditione ſua iis, apud quos commorantur populis, occaſionem præbent ſuperbiæ: verum quo minus eos recenſeam, cum alia multa me dehortantur, tum præcipue, quia difficillimum eſt, de viris adhuc ſuperſtitibus & optime de ſe meritis adeo temperate dicere, ne plus amicitiæ & gratitudini, quam veritati tribuere videamur Cum igitur tantum emolumenti & gloriæ tam domi, quam foris, tam publice, quam privatim, ex Gymnaſii noſtri inſtitutione univerſa hæc Reſpublica perceperit, & hodieque percipiat, incipiant tandem aliquando illud amare & revereri, qui antehac oderunt & ſpre-

ſprevere, incipiant ex hoc tempore illud tueri & defendere, qui laceſſiverunt & oppugnavere, incipiant laudare illud & extollere, qui reprehenderunt & culpavere, incipiant illud conſervare & protegere, qui deſtructionem ejus & abolitionem ſpecioſis quidem, ſed revera frivolis & pernicioſis argumentis perſuadere conati ſunt. Quod ſi neceſſaria adhibeantur remedia, certo vobis polliceor & promitto, fore ut hac mutatione Rectoratus priſtina Gymnaſio huic reſtituatur dignitas, & fructus, quem ex eo Reſpublica vel olim percepit, vel in præſens percipit, in dies magis atque magis augeatur. Atenimvero quæſierit hîc aliquis, quænam illa ſint neceſſaria remedia, quorum adminiculo tantum præſtari poſſe prædixi. Ad quam interrogationem utinam & per anguſtias temporis & pace omnium, qui hîc ad ſunt, libere mihi reſpondere liceret: ſed & multa ea ſunt remedia, & nonnulla ejus conditionis, ut nec proponi in præſens commode poſſint, nec in tam promiſcuo variorum mortalium conventu divulgari debeant. Ut tamen aliqua ex parte curioſis ingeniis ſatisfaciam, ecce vobis hæc tria, quæ in anteceſſum tuto publicari poſſe arbitror. Primum videlicet deſidero, ut Profeſſioni Phyſices & Logices & Profeſſioni Eloquentiæ, quæ duæ nunc vacant, maxime idoneis perſonis ſine ullo privatarum rerum reſpectu quamprimum proſpiciatur: quippe cum hæ Profeſſiones adeo ſint neceſſariæ, ut tota Gymnaſii

naſii noſtri conſtitutio ſine illis manca ſit & mutila. Deinde cupio, ut electioni novorum Profeſſorum ſine mora ſubjungatur reformatio legum, præſenti Reip. noſtræ genio conformata, ut tam docentes, quam diſcentes, quid faciendum aut vitandum ſit, ſciant, nec quisquam ignorantiâ officii ſui ſe poſſit excuſare. Denique poſtulo, ut docendi licentia, quam ſibi tempore Gymnaſtici interregni in præjudicium Profeſſorum privata autoritate quidã arrogarunt, publica autoritate interdicatur, & rigida executione abrogetur. Qua quidem de re, ut & de compluribus aliis requiſitis, quibus Gymnaſii noſtri conſervatio & rectꝰ uſus nituntur, tempore promulgationis reformatarum legum pluribus, volente Deo, differam. Nunc autem, ne vobis A.O.O.P. nimia orationis prolixitate creem moleſtiã, inſtitutum de Gymnaſio noſtro ſermonem abrumpo, &, quod ſupereſt, Magnifico, Nobiliſſimo, Ampliſſimoque inclytæ hujus Reip. Senatui, nec non Reverendiſſimo verbi divini Miniſterio, & Spectatiſſimo prudentiſſimoque Duodecimvirorum Collegio, quorum trium Ordinum electione Rectoratus hujus Gymnaſii mihi demandatus eſt, debita reverentia & ſubmiſſione maximas ago gratias de ſingulari erga me affectu, quem in toto hoc negotio cumulate expertus ſum. Simul etiam precor, ut pari benevolentia conſtanter me tueri velint & protegere. Prævideo enim jam, Venerandi Proceres, prævideo inſurgentes adverſus me horrendas invi-

diæ

Digitized by Google

diæ procellas, prægusto jam præparatam moleſtiarum amarulentiam, præſentio jam obtrectantium linguarum virulentos morſus. Succurrite igitur mihi in ferendo onere, quod humeris meis impoſuiſtis; defendite, quem publica autoritate curaſtis inaugurari, & inprimis ejicite ex animis veſtris, ſi quid ibi adhuc hæret ex calumniis illis & falſis criminationibus, quibus apud vos famæ & exiſtimationi meæ qui neſcio maligni homines indelebilem inurere voluerunt maculam, ubi divinam de me eligendo voluntatem voluntati ſuæ adverſari intellexerunt. Revocari autem ea omnia, quæ contra me in vulgus ſparſa fuerunt ad tria poſſunt capita, Religionem nempe meam, Studia & Scripta. Religionem primo poſui loco, quia efficaciſſimum hoc adverſarii mei crediderunt telum, quo me impeterent, æque ut contra Socratem, Alcibiadem, Ariſtotelem aliosque clariſſimos Viros antiquiſſimis jam illis temporibus ſacrum hoc & apud rudem populum prævalens Stratagema ab inimicis ipſorum fuit uſurpatum. Tanta autem obtrectatorum meorum fuit impudentia, ut non tantum me apud vos tanquam alienis faventem opinionibus, verum etiam ut ne Chriſtianum quidem detulerint. Qua diffamatione ecqua atrocior poteſt excogitari? Nulla profecto, nulla. Ego tamen tam horrendæ calumniæ diſſeminatoribus ex animo ignoſco, cum ex illa vivendi ratione, qua ego hactenus publice & privatim uſus ſum, atque

etiam

etiamnunc utor, contrarium manifeſte appareat. Quod porro ad ſtudia mea attinet, tanquam ineptus ad Rectoratum traductus ſum, quod totum vitæ meæ tempus Logicis & Metaphyſicis ſubtilitatibus non impenderim. Ad quam criminationem reſpondeo, Rectorale munus non eſſe alligatum certæ alicui Profeſſioni, nec neceſſarium fuiſſe, cum deceſſor meus D. Joachimus Jungius ſimul & Rector, & Logices atque Phyſices Profeſſor fuerit, ut ejusdem Profeſſionis perſona in Rectoratu ipſi ſuccederet. Logicam equidem & Metaphyſicam magni ego ſemper feci, & etiamnunc facio, ſed non diutius mihi illis immorandum eſſe duxi, quam publici privatique juris notitia, cui me ex profeſſo dicavi, requireret. Non igitur Logices & Metaphyſices ſtudia me Rectore negligentur; ſed, quantum in me erit, ſedulo operam dabo, ut electione idonei Profeſſoris Logices jam memorata ſtudia deinceps multo etiam magis, quam unquam floreant. Quod demum ad Scripta mea attinet, tantum abfuit, ut illa ab inimicis meis, pro incredibili, quam impendi, diligentia, in bonam partem fuerint accepta, ut contra me accuſaverint, quaſi privata negligerem, dum tractarem publica. Maximas certe hic ago gratias obtrectatoribus meis pro egregia illa tot & tantorum laborum mercede, quam mundi dare ſolet ingratitudo. Nam nec aliam expectavi, nec aliam poſthac expectabo; interea tamen non deſinam conti-

nuatione inchoatorum operum bene mereri de poſteritate, utpote certus perannaturæ gloriæ, quam ceſſante poſt mortem invidia conſecuturus ſum. Ne quis tamen exiſtimet privata me neglexiſſe, dum tractavi publica, fidem appello omnium illorum adoleſcentum, quotquot hactenus ſub manu mea fuerunt, annon prælectiones meas publicas & privatas habuerim diligentiſſime, & annon a ſeptima matutina usque ad dimidiam primam totus quotidie in Gymnaſticis fuerim laboribus, adeo ut fere nunquam niſi extreme defatigatus & cum ſudore vultus ad prandium acceſſerim. Quod tempus igitur ſcriptis meis componendis & publicandis impendi, id non Gymnaſticis ſubtraxi laboribus, ſed prandio, cœnæ, ſomno & reliquo tempori, quod quieti dari ſolet, aut otio aut voluptatibus. Ignoſcite quæſo mihi; Venerandi trium hujus Reip. præcipuorum Ordinum Proceres, ignoſcite quæſo mihi, quod neceſſariæ excuſationi meæ pauliſper immoratus ſim, & ſi quæ adhuc jam memoratarum calumniarum animis veſtris inſident reliquiæ, radicitus evellite. Ego autem vice verſa ſancte vobis polliceor, me non tantum de diligentia iſta, qua hactenus in Profeſſoria mea Octaeteride uſus ſum, quidquam remiſſurum, verum etiam pro curæ mihi commiſſæ incremento eandem pro virili parte aucturum, ut & conſcientiæ ſatisfaciam meæ & veſtræ de me exſpectationi reſpondeam. Vobiſcum quoque Clariſſimi do-

doctiſſimique Domini Profeſſores, Collegæ mei obſervandiſſimi, publicum hic percutio fœdus ſinceræ & conſtantis amicitiæ. Veſtro conſilio, veſtra opera, veſtra autoritate in omnibus rebus, ad Gymnaſii noſtri ſalutem pertinentibus, me uſurum promitto, &, ſi quid antea inter nos fuit ſimultatis aut diſcordiæ, fraterno vos precor affectu, ut illa funditus extirpetur, & privatarum rerum reſpectus publico cedat commodo. Ad vos etiam, Ornatiſſimi Studioſiſſimique Juvenes, qui vel in præſens Gymnaſii hujus ordinarii jam eſtis auditores, vel poſthac eritis, prima hæc in novo Rectoratu meo convertenda eſt oratio, adeoque magna dicendi copia hic confluit, ut vix, unde ordiar, inveniam. Cum itaque amplitudo argumenti, de quo mihi ad vos verba facienda ſunt, peculiarem Orationem, commodiori tempore deinceps habendam deſideret, in præſens tantum meo quodam jure peto, ut novi hujus muneris mei primordio animis atque linguis faveatis, & ut illud non tam mihi, quam vobiſmet ipſis felix & fauſtum eſſe precemini. Ego ſane, ut ſuperioribus annis feci, paterno vos amore proſequi pergam, nec tam egregiam bene de vobis promerendi occaſionem inutiliter præterire patiar. Vos vero viciſſim benevolentiæ & fidelitati meæ pari & amore & diligentia reſpondete, nec unius vel duorum ingratorum condiſcipulorum malignam ſuggeſtionem plus, quam tot annis ſpectatum candorem

meum apud vos valere permittite. Quod reſtat, tuam denique DEUS OPT. MAXIME æternam Majeſtatem ſuplex invoco, & , quam poſſum ardentiſſime precor, ut, quod admiranda providentia tua mihi impoſitum eſt onus, benignitate auxilii tui reddas leve, nec concedas, ut infenſiſſimus omnis boni hoſtis de tuo triumphet numine. Adſiſto ecce coram Te ſervus tuus, & quod mihi commiſiſti munus tuis auſpiciis ſuſcipio. Sis igitur mihi propitius, & omnia in poſterum conſilia mea atque acta ad gloriam tuam & univerſæ hujus Reip. Hamburgenſis ſalutem ita dirige, ut juſtiſſimam gratias agendi occaſionem nobis præbeat feliciſſima Rectoratus hujus Gymnaſii mutatio.

DIXI.

PRO-

PROGRAMMA

Orationis de artium liberalium laudibus, in illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi A. Æ. C. cIɔ Iɔc LII. die IV. Junii habitæ.

PETRUS LAMBECIUS J. U. L. & Hiſtoriarum Profeſſor LECTORI S. D.

UT fere nullum reperiri poteſt tam egregium inſtitutum, nulla actio tam præclara, quin ab aliquibus improbetur, ita neque deſunt, qui eam, quam nuper Ampliſſimus noſter Senatus Gymnaſio inſtaurando impendit operam, vellicant & inſectantur; partim quia privato odio illud proſequuntur, &, ut ſoli videantur ſapere, nihil minus cupiunt, quam reſtitutionem priſtinæ ejus dignitatis: alii, quod in una eadem urbe Palladem & Mercurium pariter regnare non poſſe, ſed eruditionem & mercaturam, quaſi ex diametro ſibi invicem oppoſitas, alteram alterius incremento debilitari & deſtrui exiſtiment. Quorum illis quidem malevolis ſanam mentem precor, & ringi eos ac plorare jubeo, ſi quod minime volunt, videant: his autem, qui doctrinarum liberalium ſtudia urbibus negotiationi deditis minus convenire cenſent, quid aliud reſpondeam, quam quod vulgo dici ſolet verbum, *neminem iis de rebus, quas non novit, recte judicare.* Cum

enim qui ita ſentiunt, vel leviter admodum, vel omnino non attigerint literas, fieri haud poteſt, ut earum pretium æſtiment, & quantum Scholæ, Gymnaſia, Profeſſores, Bibliothecæ, atque alia ejus generis ſapientiæ inſtrumenta opulentis civitatibus proſint, recte perſpiciant. Quicquid igitur hanc in partem peccant, merito illis ignoſcendum eſt, cum ipſi quidem hac ratione ignorantiam ſuam prodant potius, quam Eruditioni noceant: quippe cui nihilo minus apud optimum quemque ſua conſtat gratia, ſua reverentia, ſua dignitas. Et hæc forte animo mecum volutabam, cum optimæ indolis & ſpei juvenis PETRUS MEIERUS ad me venit, & de materia orationis, quam ſtyli exercendi cauſa elaborare cupiebat, me conſuluit. Cui ſimul atque indicavi, in qua verſarer cogitatione, quam nimirum multi eos ſumptus, qui in literarum inſtaurationem & incrementum, erogantur, male collocari & perire exiſtiment, recte atque convenienter ſe facturum credidit, ſi dicendi argumentum inde ſibi deſumeret, & literarum honori & gloriæ pro virili parte inſerviret. Orationem itaque *de liberalium artium laudibus* compoſuit; brevem eam quidem, ſed puram, modeſtam & ſine affectatione non inelegantem: quam craſtino die, hora decima antemeridiana in Gymnaſio noſtro publice habiturus eſt; & quidem memoriter, ut illis etiam ſatisfaciat, qui ignorant, uſitatam olim fuiſſe & Græcorum & Latinorum conſuetudinem, ut ora-

rationes ſuas lectitarent. Quem morem non ſuo tantum atque aliorum exemplis, ſed etiam rationibus comprobat Plinius Secundus lib. 7. epiſt. 17. *Miror*, inquit, *fuiſſe quosdam, qui reprehenderent, quod orationes omnino recitarem. A quibus libenter requiſierim, cur concedant, hiſtoriam debere recitari, quæ non oſtentationi, ſed fidei veritatique componitur: cur tragœdiam, quæ non auditorium, ſed ſcenam & actores: cur lyrica, quæ non lectorem, ſed chorum & lyram poſcunt. At horum recitatio uſu jam recepta eſt: num ergo culpandus eſt ille, qui cœpit? quanquam orationes quoque & noſtri quidam & Græci lectitarunt.* Ubi notandum eſt, Plinio idem eſſe *recitare*, quod *lectitare*. *Recitare* enim antiquitus non id ſignificabat, quod vulgo nunc creditur, *memoriter aliquid pronunciare*; ſed contrarium plane, nempe *de ſcripto*, ſeu, *e libello dicere*. Quod quidem diſertis verbis teſtatur Suetonius in vita Imp. Auguſti c. 84. *Neque in ſenatu*, inquit, *neque apud populum, neque apud milites locutus eſt unquam, niſi meditata & compoſita oratione; ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediſcendo tempus abſumeret, inſtituit RECITARE omnia. Sermones quoque cum ſingulis, etiam cum Livia ſua graviores, nonniſi in ſcriptis, & e libello habebat, ne plus minus minusve loqueretur ex tempore. Multa varii generis proſa oratione compoſuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio recitavit: ſicut Reſcripta Bruto de Catone. Quæ volumina cum jam ſenior ex magna parte legiſſet, fatigatus Tiberio tradidit perlegenda.* Hæc Suetonius:

ubi nemo non videt, *recitare*, & *legere*, & *in ſcriptis*, ſeu, *e libello ſermonem habere*, uno eodem ſenſu accipi. Nec alia ratione idem auctor verbum *recitare* uſurpat in ejusdem Imp. Vita cap. 89. *Recitantes*, inquit, *& benigne & patienter audivit: non tantum carmina & hiſtorias, ſed & orationes & dialogos.* Hanc recitandi conſuetudinem deſcribit etiam Perſius Sat. 1. his verſibus:

Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus
Sede leges celſa.

Ubi *ſede leges celſa*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, e ſublimiori cathedra *recitabis.* Cicero id plerumque vocat *de ſcripto dicere*; ut in Bruto, ſeu libro de claris Oratoribus: *Ante ſublatos in Sicilia tyrannos, neminem* ait *Græcorum ſolitum via nec arte, ſed accurate tamen & de ſcripto pleroſque dicere.* Sic & in Oratione pro Plancio: *Recitetur*, inquit, *oratio, quæ propter magnitudinem ejus de ſcripto dicta eſt.* Item Philippica 10. *Ita enim*, inquit, *dixiſti, & quidem de ſcripto; nam te inopia verbi lapſum putarem, niſi tuam in dicendo facultatem noſſem.* Sed quorſum hæc omnia? ut nimirum diſcant, qui id neſciunt, orationes de ſcripto habendi conſuetudinem, nec NOVAM eſſe, nec indecoram, modo quis in pronunciando non ita prorſus lectioni vacet, ut oculos a libello referre non valeat, & ſenſa animi neceſſario vultus to-

totiusque corporis habitu declarare. Licuit hoc Græcis, licuit Romanis, & iis quidem ſummis oratoribus, patria lingua loquentibus; num ergo culpandus eſt, ſi quis hoc ævo, quo minus memoriter dicat, vel *negotiis gravioribus*, vel *ætate*, vel *imbecillitate memoriæ*, vel *naturali pudore & metu*, impeditus, Orationem Latino aut Græco, aut alio quodam exotico ſermone conſcriptam *recitet*, hoc eſt, ut ego interpretor, e libello habeat. Sane ſi memoriæ tantum oſtentandæ gratia orationes habentur, nullum eſſe opinor puerum, nullum hiſtrionem, qui non melius multo & audacius hoc præſtet, quam doctiſſimus quisque illuſtrium illorum hominum, qui nunc ſcriptis ſuis per totum fere terrarum orbem inclaruerunt. Immo vero, ſi ſolam ſpectemus memoriam, vel Pſittacus, ſi probe exerceatur, excellens brevi tempore Orator evaſurus eſt. Verum abripi me ſentio & liberius paulo procedere, dum me ineptæ nonnullorum opinionis piget tædetque, qui hoc quemque magis ſapere & doctiorem eſſe arbitrantur, quo vel ſuis, vel alienis ſcriptis ad verbum ediſcendis aptior eſt, & extemporali variaque, ac confuſa loquentia pollet magis ac prævalet. Ne nimium igitur hi crabrones irritentur, *neve, quod Viris licitum eſt, pueris etiam & adoleſcentibus concedere videar*, monui optimum juvenem PETRUM MEIERUM, ut orationem quam pro literarum ſtudio conſcripſit, memoriter habeat: quod onus, ut par erat, lubentiſſime

in ſe recepit, cum & per ætatem illi memoria ſatis felix ſuppetat, neque occupationibus aliis detractus animus impar huic ſit labori. Quod itaque ſupereſt, omnes omnium ordinum ac dignitatum præſtantiſſimos viros obnixe rogatos volo, ut craſtino die, hora decima antemeridiana, Orationi huic in Gymnaſio noſtro habendæ frequentes intereſſe, & poſt ſedulam attentionem dextre velint judicare. Tu vero, quisquis es, Amice Lector, vale & fave. P.P. Hamburgi d. 3. Junii A. Æ. C. cIↄ Iↄc LII.

PROGRAMMA

Orationis de Peregrinationum utilitate, in illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi A. Æ. C. cIↄ Iↄc LII. die XV. Julii habitæ.

PETRUS LAMBECIUS J. U. L. & Hiſtoriarum Profeſſor

AMICO LECTORI S.

HOminum aliquod genus eſt minus generoſum, AMICE LECTOR, qui umbra tantum & tecto gaudent, & teſtudineum illud, οἶκος φίλος οἶκος ἄριστος, ita penitus animo imbiberunt, ut præ patria ſua reliquam omnem orbis terrarum partem contemnant & averſentur.

tur. Horum ego ſententiam minime compro-
bo, qui jam inde a teneris ſic mihi perſuaſerim,
natali quidem ſolo præ aliis cunctis natura nos
devinctos eſſe, ſed neque ita tamen ſuperſtitio-
e illud adamandum, ut nos reliqui etiam totius
mundi incolas & cives eſſe obliviſcamur. Ma-
imum enim hoc Viro ſapienti eſt ſolatium, Pa-
riam eſſe, ubicunque bene eſt; &, vel maxime
iſſitas regiones, ſi omne hoc univerſitatis cor-
us conſideremus, nonniſi paululum a ſe invi-
em diſcreta magni hujus domicilii eſſe concla-
a, in quæ aliunde expulſa virtus promiſcue
bens admittatur. Cum ipſe igitur ab ineun-
adoleſcentia tam proprii genii mei impulſu,
am illuſtrium Virorum exemplis & appro-
tione incitatus, incredibili flagrarim cupidi-
extra anguſtos natalis urbis limites in publi-
n prodeundi, & nobiliſſimas aliquot magnæ
us & communis omnium Patriæ partes perlu-
ndi, ea re in præſens etiam magnopere me-
mihi laudandum eſt conſimile propoſitum
mæ ſpei & non mediocriter eruditi juvenis
NCENTII PETRÆI, qui, cum hacte-
in Gymnaſio noſtro & Schola patria dili-
tiſſimam literarum ſtudiis impenderit ope-
, & emeritis quaſi ſtipendiis honeſtam miſ-
em impetraverit, in exteras regiones iter
c molitur. Quo magis autem huic loco,
z vitæ & eruditionis primordia debet, gra-
ſe præbeat, orationem DE PEREGRI-
TIONUM UTILITATE doctam &
ſatis

ſatis elegantem compoſuit, quam ſupremæ ſalutationis loco proximo die Jovis, qui erit XV. Julii, hora decima antemeridiana publice in Gymnaſio habiturus eſt. Quod ergo eſt reliquum, omnes omnium ordinum & dignitatum præſtantiſſimos Viros quam poſſum vehementiſſime rogo, ut indicto tempore frequentes convenire velint, & benigna attentione ſuam in nos & Gymnaſium noſtrum voluntatem palam declarare. Tu vero, AMICE LECTOR, quicunque demum es, Vale. Hamburgi die XIV. Julii Anni Æ. C. cIↄ Iↄc LII.

PROGRAMMA

Orationis de profectione Jaſonis in Colchidem ad aureum vellus, in illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi A. Æ. C. cIↄ Iↄc LIII. d. XXI. Aprilis habitæ.

PETRUS LAMBECIUS J.U.L. & Hiſtoriarum Profeſſor

AMICO LECTORI S.

VEtus eſt Comici verbum, LECTOR, *Ita fugias, ne præter caſam;* quod ego his maxime dictum exiſtimo, qui peregrinantur, ne vel minus attente & conſiderate id agant, vel nimium oberrent, & patriæ obliti perpetuum vagentur. In utramque enim partem multi peccant,

cant, dum nempe alii veræ utilitatis loco, quæ ex peregrinatione capienda eſt, inanem ſectantur commodi & jucundi ſpeciem, variaſque percurſant regiones, non ut animum ſolida eruditione & prudentia inſtruant, ſed ut corpus geniumque oblectent, & moribus, habitu, lingua ſimiolos exterorum conterraneis ſuis importune ſe venditent: alii vero non inutiliter quidem, ſed ſupra modum peregrinantur, & quaſi irretiti exercitii hujus blanditiis, ac morbo, ut ita dicam, ambulatorio exagitati, ſemper hoſpites eſſe malunt, quam conquieſcere unquam, & patriæ, vel alii, quem ſors obtulit, loco itinerum ſuorum fructum impertiri. Horum itaque alteris prudentia, alteris conſtantia deeſt: utrique autem & ſibi nocent, & per ſe laudabile diſcernere nequeunt, inviſum reddunt & odioſum. Nam peregrinandi inſtitutum his, qui abuſum ab ipſa rei natura haud aliam opinor fuiſſe cauſam, cur Lacedæmonii veteres peregrinationem juventuti ſuæ interdixerint, quam quod viderent, pleroſque non virtutibus ſed vitiis peregrinis onuſtos domum reverti, & avitam Reipublicæ diſciplinam contagioſis morum exemplis labefactare. Maluerunt ergo, ut evitarent malum, ipſo carere bono, & ad tollendam peccandi occaſionem, ipſum rei utiliſſimæ uſum ſuſtulerunt. Quod medicinæ genus violentum nemo ſanus unquam probabit, niſi una & divitias & bonam valetudinem, & acumen ingenii, & cætera ejus generis damnari ve-

lit, quod nonnulli his abutantur. Mihi quidem æque hoc præpoſterum & perverſum videtur, ac ſi Medicus ægrotum, ut moleſtia morbi liberetur, enecet & ex numero vivorum ejiciat. Verum hac de re prolixius nunc diſſerere intempeſtivum eſt & ſuperfluum. Satis enim pro ſe loquetur ipſa peregrinatio, ſi eorum, qui rite & decenter peregrinati ſunt, exempla intuebimur. Cujusmodi eſt PROFECTIO JASONIS IN COLCHIDEM AD AUREUM VELLUS; quam optimæ indolis & ſtudii literarum amantiſſimus juvenis JOACHIMUS SCHNOBELIUS Hamburgenſis haud ineleganti oratione complexus, antequam a nobis diſcedat, proximo die Jovis, qui erit XXI. Aprilis, hora decima antemeridiana publice in Gymnaſio enarrabit: ſimul &, quid inde peregrinantibus ſumendum documenti, quam poterit breviſſime ſubjunget. Cum igitur me potiſſimum delegerit, cujus auſpicio & ductu id faceret, neque ego petenti officium hoc denegare potuerim, omnes omnium Ordinum & Dignitatum præſtantiſſimos Viros obnixe & qua par eſt obſervantia rogo, ut ſtatuto die ac hora frequentes adeſſe velint, & ſolennem hunc Gymnaſii noſtri actum ſpectabili præſentia ſua condecorare. Hamburgi die XX. Aprilis, Anno Æ. C. cIↃ IↃc LIII.

PRO-

PROGRAMMA

In Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Con-
ſultiſſimi Viri,

DOMINI
DAVIDIS PENSHORNII

J. U. L. & Senatoris Reip. Hamburgen-
ſis digniſſimi & optime meriti funere,
quod A. Æ C. cIↃ IↃc LX. d. XIII. Martii
deducebatur.

PETRUS LAMBECIUS J. U. L.
& Gymnaſii Hamburgenſis Rector

LECTORIS.

CLarorum Virorum exequias publica voce
indicere, & vitæ eorum memoriam fune-
elogio tradere poſteris, non minus lauda-
conſuetudine etiamnunc apud generoſiſſi-
s quosque populos in uſu eſt, quam pruden-
mul & utili conſilio, apud Romanos quidem
L. Junii Bruti, primi a Regifugio Conſulis,
um, poſt *Marathoniam* autem pugnam apud
cos primum fuit inſtitutum. Ut enim ſu-
no ejuſmodi honore, tanquam non vulgari
næ virtutis brabæo, defunctis debita exhi-
r gratitudo, ita ſuperſtites ad defunctorum
tem imitandam excitantur, & aliena in-
nati poſthuma gloria, ad conſimile acqui-
ren-

rendum decus, honeſta æmulatione impelluntur. Veriſſimum quippe eſt, quod a Politicorum Principe Tacito in Agricolæ Vita traditur, *iisdem, quibus optime æſtimantur virtutes, facilime etiam gigni temporibus.* Quod ſi quis unquam in noſtra Republica honorem *Indictivi Funeris* meruit, is profecto omnium bonorum conſenſu eſt,

Nobilisſimus, Amplisſimus & Conſultiſſimus Vir,

DN. DAVID PENSHORNIUS,

J.U.L. & Senator Optimus.

quem præmatura morte nobis ereptum & ſublatum ex oculis, non jam Pietas tantum, & Juſtitia, & Muſæ, & Charites, ſed ipſæ illæ parvarum magnarumque civitatum peſtes, *Ignorantia recti & Invidia* lugent & deplorant. Hamburgi Ille natus A. Æ. C. 1610. d. 29. Maij. Avum paternum habuit *M. Davidem Penshornium*, qui primum quidem A. 1562. electus fuit Paſtor Templi & Xenodochii S. Spiritus, deinde An. 1565. d. 11. Novembris in Paſtorem Eccleſiæ parœcialis S. Nicolai fuit promotus, demum autem A. 1580. Kal. Novemb. publica Ampliſſimi Senatus autoritate renunciatus fuit *Superintendens*, eamque ſummam Eccleſiaſtici ordinis dignitatem obtinuit uſque ad A. 1593. quo d. 23. Septemb. ultimus eorum, qui illud munus hactenus

nus adminiſtrarunt, obiit, & honoris cauſa
octo Sacerdotibus ad ſepulturam delatus eſt.
er illi fuit *M. Joachimus Penshornius*, ſingula-
ſanctimoniæ & eruditionis Vir, qui A. 1608.
9. Octobris Sacerdos Eccleſiæ parœcialis S.
harinæ ſolenniter inauguratus, munere hoc
o per 21. annos pie functus eſt, & A. 1629.
. Septembr. mundo vale dixit. Mater fuit
urgis a Goren, honeſtiſſimo oriunda ge-
, omnibusque virtutibus, quæ Matro-
ejus conditionis conveniunt, uberrime
dita. Eruditionis fundamenta jecit in pa-
Schola ad S. Joannis, tunc temporis floren-
na, quam A. 1616. d. 30. Octobris cæpit
uentare. In ea autem, ut & deinceps, po-
quam honeſta miſſione miſſus in Gymnaſi-
ranſiit, & probitate, & diligentia, & feli-
e ingenii, tam Præceptoribus, quam con-
pulis per 12. annos ita ſe approbavit, ut non
m amorem, ſed & admirationem omni-
ibi conciliaverit. Prima peregrinationis
nenta *Mattiaci* ſive *Marpurgi* poſuit, quo
A. 1628. d. 14. Maji ſe contuliſſet, tantum
t, ut novam libertatem Academicam,
Juvenum, in laſciviam & ſegnitiem ver-
, ut æque ac ſi in parentum adhuc viveret
pectu, aliis modeſtiæ pariter atque indu-
exemplo fuerit. Hic igitur cum ad alias
gias diſciplinas, tum inprimis ad Ampliſſi-
Jurisprudentiæ ſtudium ſerio appulit ani-
, ejusque prima elementa tanta facilitate

H per-

percepit, ut non diſcere ea, ſed quodammodo reminiſci videretur. Relicta deinde Academia *Marpurgenſi*, in *Lipſienſem* A.1629. d.10. Decembris ſe contulit, in qua cum ſex circiter menſes cum magno ſtudiorum emolumento ſubſtitiſſet, petiit porro *Auguſtam Treboccorum* ſive *Argentoratum*, eamque celeberrimam Alſatiæ inferioris urbem A.1630. d. 11. Maij feliciter intravit. Commoratus autem ibi eſt annum integrum & quatuor plus minus menſes, ſtudii potiſſimum *Juridici* cauſa, quod ex eo tempore, ſepoſitis omnibus parergis, unice ſibi excolendum, & ſolide pertractandum eſſe credidit; ut pote ſine cujus adminiculo non poſſet pervenire ad illam vitæ dignitatem & gloriam, quam animus ipſius vividus & ad magnas res gerendas aptus jam illa ætate præſagiebat. Et hactenus quidem intra Germaniæ ſe continuerat fines. Poſt hæc vero vehementiſſima illum invaſit cupiditas exteras perluſtrandi Regiones, ut cum *Homerico Ulyſſe* fieret πολύτροπος & eam, quæ in Politico requiritur experientiam & rerum uſum mature ſibi acquireret. *Argentorato* itaque profectus, *Coloniam Allobrogum* ſive *Genevam*, nobiliſſimam Sabaudiæ ad lacum Lemanum civitatem acceſſit A. 1631. d. 2. Septembris, cumque in ea quantum ſatis viſum fuit, degiſſet, per *Delphinatum* in reliquam penetravit Galliam, & clariſſimam illam totius Celticæ Metropolim *Lugdunum* A. 1632. d. 30. Aprilis inviſit. Hinc non multo poſt diſceſſit

Ava-

aricum Biturigum vulgo nunc *Bourges* dictum:
am urbem non temere, ſed optimo conſilio
em & magiſtram ſtudiorum in Gallia ſibi de-
erat. Præterquam enim quod ea & antiqui-
e, & opulentia, & ſplendore, & humanitate
olarum, aliisque variis rebus cum maximis
præſtantiſſimis Galliæ civitatibus contende-
ummo jure poteſt, vel præcipue tamen illam
nmendat excellentiſſima Academia, in qua
iſprudentia plurimum viget & ſemper viguit.
enim *Andreas Alciatus*, hîc *Franciſcus Baldui-*
hîc *Egvinarius Baro*, hîc *Franciſcus Duarenus*,
Antonius Contius, hîc *Petrus Rebuffus*, hîc *Hu-*
onellus, hîc *Jacobus Cujacius*, omnium ſui ævi
conſultorum Princeps, hîc denique alii
plures, quos longum foret nominatim re-
ere, Utriusque Juris peritiſſimi Viri publi-
rofeſſi ſunt, & præclare illa ingeniorum
um monumenta, quibus immortalem ſibi
paravere gloriam, elaborarunt. Hoc er-
nctiſſimum Juſtitiæ Templum noſter ille
NSHORNIUS, ut jam dudum deſidera-
t, A. 1632. d. 18. Maij ingreſſus eſt, & bre-
tutibus ſuis adeo inclaruit, ut eodem ad-
anno, Kal. Octobris, unanimi omnium
enſu *Præſes Nationis Germanicæ* fuerit decla-
. In ea autem dignitate quinto ſtatim
die, qui fuit ſextus Octobris, inſigne edi-
loquentiæ Politicæ ſpecimen, dum *Primum*
inis Regii Principem HENRICUM CON-
UM nomine nationis Germanicæ elegan-

tiſſima oratione Gallica excepit: admirantibus quidem Gallis in homine Germano nativos linguæ ſuæ lepores; admirantibus & Germanis, tanto applauſu hoc a quoquam ſuæ gentis præſtari potuiſſe. *Avarico Biturigum* A. 1633. d. 12. Maij, venit *Lutetiam Pariſiorum*, ut Epitomen illam Regni Gallici contemplaretur. Ubi cum maximam in aula Regia & ſummo Tribunali multa diſcendi copiam & occaſionem inveniſſet, annum fere integrum illic commoratus eſt. Diſceſſit enim inde A. 1634. d. 18. Februarii ut reliquas Galliæ Provincias, quas nondum viderat, peragraret. In quo itinere *Andegavi* aliquamdiu ſubſtitit, & *Avaricum Biturigum* ſecundum ſalutavit. Abſoluto autem hoc peregrinationis Gallicæ circulo, d. 27. Auguſti, jam memorati Anni 1634. iter ſuſcepit in *Belgium Catholicum*, ubi *Bruxellas*, *Antverpiam*, *Gandavum*, aliasque primarias urbes non tabellariorum more percurrit, ſed attente & ſtudioſe perluſtravit. Hinc relicta continenti trajecit in *Britanniam*, ut tanti Regni conſtitutionem coram inſpiceret & conſideraret. Quo facto in *Belgium* reverſus, *Confœderatarum Provinciarum* urbes ſtudioſiſſime viſitavit; ſed in his præcipue *Amſtelodamum & Lugdunum Batavorum*, in quarum poſteriori totum pene annum, nempe a die 11. Decembris A. 1634. usque ad diem 7. Novembris A. 1635. exegit. Quo elapſo tempore iter fecit in *Poloniam* A. 1636. ut *Sarmatarum* quoque noſceret mores. Ex *Polonia* in *Hungariam*,

m, ex *Hungaria* in *Italiam*, intimum Pruden-
: Civilis penetrale, commigravit, & cum
ı multa veterum Auctorum monumentis ce-
ırata loca, tum inprimis opulentas *Venetias*,
avium doctum, *Neapolim* nobilem & *Romam*
um Dominam, ut non ſine multa moleſtia
ravi vitæ periculo, ita neque ſine ſummo fru-
contemplatus eſt. Annus jam agebatur
;9. peregrinationis autem ipſius undecimus,
n ex *Italia in Germaniam* rediens, *Baſileæ* d. 19.
ruarii *Licentiam* ſummos in Utroque Jure
ıores & Privilegia conſequendi, legitimo
do & optimo jure impetravit. Qua pera-
ſolennitate *Auguſtam Nemetum* ſive *Spiram*
:xit, & cum quinque circiter Menſes Augu-
mi Judicii Cameræ Imperialis gratia ibi
ſegiſſet, ſalvus tandem & incolumis d. 8.
:embr. in Patriam rediit. In ſequenti Anno
). lectiſſimam Virginem *Catharinam Magda-*
n, Patre quidem Nobiliſſimo Conſultiſſi-
ue Viro *Dn. Michaële Wichmanno*, J. U. L.
ɔliſſimi Prudentiſſimique Viri *Dn. Henrici*
manni, Senatoris quondam hujus Reipubli-
igniſſimi filio; Matre autem *Dn. Gertrudi*,
nifici Nobiliſſimique Viri *Dn. Bartholdi Beck-*
i, Conſulis quondam de hac Republica
ne meriti filia, natam, matrimonio ſibi
t, ex qua filias ſuſcepit; duas *Gertrudem*
ſabetham, quas DEUS OPT. MAX.
Matre & Avia ſoſpitet. Cæterum quod ad
ıs attinet, quos ex PENSHORNII no-

H 3 ſtri

ſtri ſtudiis & peregrinationibus univerſa Reſpublica percepit, cooptatus ille fuit A. 1642. in Collegium judicum *inferioris Judicii*. In quo munere adeo egregie ſe geſſit, ut ab omnibus majori honore dignus judicatus, ideoque An. 1649. d. 21. Febr. in *Ampliſſimum Ordinem Senatorium* allectus fuerit. Quamvis autem ſequenti ſtatim anno 1650 *Podagra* laborare cœperit, propterea tamen oneribus publicis non ſe ſubtraxit, ſed graviſſimis quibuscunque negotiis vel peritia juris vel facunda dexteritate expediendis, ab Ampliſſimo Senatu ſemper fuit adhibitus. Memorandum jam hic eſſet, quanta integritate & prudentia *Praturam*, A. 1651. ſuſceptam, geſſerit: dicendum hic eſſet, quanta fidelitate & labore fuerit uſus in perlegendis & examinandis graviſſimarum cauſarum *Actis*, de quibus ad Ampliſſimum Senatum frequentiſſimus retulit: deprædicandum jam hîc eſſet, quã ſingulari affectu inter catenatos fori & Curiæ labores rem literariam proſecutus ſit, quantumque *Bibliotheca publica*, quantum *Schola ad S. Joannis*, quantum *Gymnaſium* noſtrum ipſi debeat: recenſendum jam hîc eſſet, quanto erga patriam & publicam ſalutem amore *Rerumpublicarum Hanſeaticarum* nomine, cum Nobiliſſimo & Conſultiſſimo Viro *Dn. Theodoro Mullero J. U. L.* & Senatore hujus Reipublicæ digniſſimo, A. 1654. d. 28 Maij, *ad Chriſtianiſſimum Sereniſſimumque Galliarum & Navarræ Regem* LUDOVICUM XIV. difficillimum *Legationis*

mu-

ınus ſubierit, qua ſolennitate *Pariſiis* a Rege
Regina Kal. Septembr. fuerit exceptus, quan-
in honore ab *Eminentiſſimo Cardinali Mazarino*
omnibus Aulæ Gallicæ præcipuis Miniſtris
erit habitus, quomodo a Rege in *Ordinem Equi-*
S. Michaelis aſſumptus & ingentis pretii tor-
e aureo fuerit donatus; necnon quanto fru-
& gaudio publico poſt feliciſſime abſolu-
n *Legationem* An. 1655. d. 30. Septembr. Ham-
rgum redierit: ſed cum per anguſtias tem-
ris hæc atque innumera alia, ad tanti Viri me-
ſſimam juſtiſſimamque laudem pertinentia,
tim ne attingere quidem, partim condigna
exquiſita commemoratione nunc non poſ-
proſequi, ſufficiat, ut ultimi duntaxat Actus
us vitæ paucis mentionem faciam. Nem-
cum quam ardentiſſime ſtuderet inſervire,
itatibus Patriæ, cum conſultationibus publi-
quam diligentiſſime intereſſet, cum omnes
quam longiſſimam precarentur vitam, de-
ente d. 2. Martii anni hujus 1660. in vehe-
ntiſſimum incidit morbum. Quo contra
erientiſſimorum Medicorum opem indies
avesſcente, poſtremum d. 7. ejusdem Men-
hora circiter octava matutina, plenus bea-
ranquillitatis piiſſime obdormivit, cum an-
49. menſes 9. & dies 7. in hac vita tranſegiſ-
Vale *Magne* PENSHORNI, Vale Se-
or plusquam Senator, Vale Juriſconſulte,
gioſiſſime, Vale literarum & literatorum
ıme Mæcenas. Vale Amice integerrime,

 Va-

Vale & placide quieſce. Præceſſiſti: nos, quo DEUS juſſerit ordine, Te ſequemur. Tu vero, quiſquis es, BENIGNE LECTOR, *Optimi* illius *Viri* funus, quod hodie poſt meridiem in Templum *S. Nicolai* honorificentiſſima pompa deducetur, debito proſequere luctu, & qualecunque hoc amoris & pietatis meæ monumentum, quod a feſtinantiſſimo proficiſcitur calamo, æqui bonique conſule: ſimul etiam conſideratione alienæ mortalitatis, dum adhuc vivis, diſce mori, & ſuam quemque Sortem poſt hanc vitam manere, aſſiduo cogita.

P. P. d. XIII. Martii, A. Æ. C.
cIɔ Iɔc LX.

PRO-

PROGRAMMA

Orationis inauguralis Clariſſimi do-
ctiſſimique Viri

DOMINI JOANNIS MULLERI

de Scientiarum Mathematicarum laudibus, earumque in vita humana neceſſitate, habitæ in Illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi die XV. Martii A. Æ. C. cIↃ IↃcLX.

PETRUS LAMBECIUS J. U. L.

& Gymnaſii Hamburgenſis Rector

LECTORI S.

CUm (*) omnes homines natura ſcire deſiderent, ſcientiam autem ipſam nihil æque commendet, quam *certitudo* & *utilitas*, jure merito diſciplinis illis, quæ circa *quantitatem* verſantur, & τό ποσὸν καὶ πηλίκον, hoc eſt, *quotum* & *quantum*, ſive *numerum* & *magnitudinem* conſiderant, tantus olim habitus fuit, & etiam nunc habetur honos, ut κατ᾽ ἐξοχὴν Μαθηματικαί, Μάθησις & Μαθήματα appellentur; quod nempe propter invictam demonſtrandi rationem certo addiſci poſſint, & ob multiplicem in omnibus artibus & tota vita humana utilitatem neceſſario addiſci debeant. Tantum enim abeſt,

(*) *Ariſtot. Metaphyſ. lib. 1. cap. 1.* πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει.

ut Mathematicus, inſtar Oratoris, probabilibus argumentis contentus ſit, ut ne judicio quidem ſenſus adhibeat fidem, ſed omnia ad rectæ rationis normam exigens, non prius ſubſiſtat, quam aſſertionem ſuam adeo evidenter demonſtraverit, ut contrarium ejus falſum & prorſus ἀδύνατον appareat. Quo reſpectu ab ipſò Philoſophorum Peripateticorum principe *Ariſtotele Mathematicæ demonſtrationes* pro certiſſimis, & *Mathematicum docendi genus* pro accuratiſſimo & omnibus, ut ajunt, numeris perfecto accipitur; utpote cum Matheſis non ſimpliciter doceat, ſed diſcentis animum ita confirmet, ut fiat ἀμετάπτωτος, & nulla perſuaſione erronea a demonſtrativa ſemel conceptæ ſententiæ veritate poſſit dimoveri. Ex qua ſoliditate fundamenti, quo Mathematicæ ſcientiæ nituntur, etſi illarum præſtantia abunde eluceat, accedit tamen huc inſuper, quod earundem adminiculo ingenium humanum incredibiliter acuatur, & cum ad cætera diſciplinarum liberalium genera, tum ad communem quoque vitam & vulgarem hominum conſuetudinem præparetur. Quis enim ſine Matheſi *Logicam* perfecte intelligat, cum *Magnus* ille *Stagirita* in Organo ſuo non niſi Mathematicis gaudeat exemplis & vocabulis? Quis ſine Matheſi *rerum naturalium* principia, affectiones & cauſas vel inveſtiget plene, vel recte percipiat, cum DEUS omnia μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σαθμῷ, hoc eſt *menſura & numero, & pondere* diſpoſuerit? Quis ſine Mathe-

eſi *Medicinam* feliciter tractet, cum vel ad ſo-
n contemplationem fabricæ corporis huma-
cognitio Geometricæ neceſſario requiratur?
uis ſine Matheſi ad *vitam civilem & adminiſtra-
onem Reipublicæ* tam tempore pacis, quam belli
idoneus, cum nec urbes condi & muniri poſ-
nt ſine Architectonice, nec commercia ſubſi-
ere poſſint ſine obſervatione proportionis A-
thmeticæ, nec præmia aut pœnæ juſte poſſint
iſtribui ſine norma proportionis Geometricæ,
ec ars militaris ſine caſtrametatione, ſtructu-
a acierum & varia machinarum bellicarum ſu-
ellectile poſſit exerceri? Quis ſine Matheſi
Eloquentiam, præcipuum Prudentiæ Civilis in-
ſtrumentum, rite uſurpet, cum potiſſima com-
poſitionis oratoriæ pars circa oratoriũ verſetur
numerum? Quis ſine Matheſi *Hiſtoriam*, omnis
Prudentiæ Civilis fontem, vel legat cum fru-
ctu, vel utiliter ſcribat, cum Chronologia &
Geographia tanquam duo ejus ſint oculi? Quis
tandem ſine Matheſi ipſam *Scripturam Sacram*,
qua æternæ ſalutis noſtræ myſteria continen-
tur, ſolide interpretetur, cum conſtructio ar-
cæ Noæ, & erectio Tabernaculi, & ædificatio
templi, tam a Salomone, quam poſt captivi-
tatem Babylonicam ſub Rege Perſarum Dario
Notho Hieroſolymis extructi, & diſtributio Pa-
læſtinæ inter duodecim tribus, & innumera
alia, quæ ibi paſſim occurrunt, a notitia
Mathematum prorſus dependeant? Quan-
doquidem igitur Mathematicarum ſcien-
tia-

tiarum uſus adeo late per omnes alias diffunditur diſciplinas, & ipſi rerum naturæ univerſitati amplitudine ſua reſpondet, ſatis ſuperque hinc apparere arbitror, ſapientiæ *Platonis* eximiæ, qua *Divini* cognomen meruit, apprime convenire ingenioſiſſimum illud effatum, *τὸν Θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν*, hoc eſt, *Deum ſemper Geometram agere*; nec non ab eadem ſcaturigine profluxiſſe, præclarum iſtud, quod Gymnaſii ſui foribus idem inſcripſerat, edictum, *Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω*; quo Matheſeos imperiti ab Academicis diſſertationibus arcebantur. Valeat ergo propugnator voluptatis *Epicurus*, ſi, ut a nonnullis memoriæ traditum eſt, Mathematicas ſcientias, quæ omnium certiſſimæ ſunt, falſo falſas eſſe credidit. Valeat item *Ariſtippus Sophiſta*, qui eas manifeſtiſſimo errore reprehendere auſus fuit tanquam omnino inutiles. Contra autem meritis extollamus laudibus Majores noſtros, qui, cum primum de Gymnaſio Hamburgenſi inſtituendo actum fuit, bene ac ſapienter animadverterunt, Mathematici ſtudii quam maximam habendam eſſe rationem, quod ſine tantæ excellentiæ & neceſſitatis Profeſſione conſtitutio totius Gymnaſii manca foret atque mutila. Et ſane adeo feliciter hoc illis ſucceſſit prudentiſſimum conſilium, ut Reſpublica n ſtra veriſſime gloriari auſit, ſe ex illo tempore, quod ad Mathematum culturam attinet, cum quacunque celeberrima totius Europæi orbis Academia de palma contendiſſe.

Ne

: itaque a priſtina hac dignitate & gloria
ymnaſium noſtrum degeneraret, omni ſtudio
opera in eam curam & cogitationem incum-
ndum fuit, ut utiliſſima Matheſeos Profeſ-
, poſtquam ea nuper vacare cœpit, quam pri-
um & quam fructuoſiſſime compleretur.
uoniam autem, quod bonum, felix & fau-
m ſit, in ſolenni ea de re inſtituto conventu
enit, ut ad publicum illud Mathemata profi-
ndi munus *Clariſſimus Doctiſſimusque Vir* DN.
OANNES MULLERUS, *Ampliſſimi &
udentiſſimi Viri* DN. GEORGII MULLE-
I, *Senatoris hujus Reipublicæ digniſſimi, filius*, le-
itime electus fuerit, ſupereſt, ut is, tam ſe-
undum leges Gymnaſii, quam ex recepta con-
etudine, demandatam ſibi provinciam *Inau-
urali* aliqua *Oratione de Scientiarum Mathematica-
um laudibus, earumque in vita humana neceſſitate*
ggrediatur. Quare omnes omnium Ordi-
um & Dignitatum præſtantiſſimos Viros, qua
ar eſt obſervantia, precor, ut proximo die Jo-
vis, qui erit *decimus quintus Martii*, hora decima
matutina, novo iſti Mathematicæ Profeſſionis
primordio frequentes intereſſe velint, & Ho-
noratiſſimo Dn. Collegæ meo, de convenien-
tiſſimo ſimul atque graviſſimo argumento ver-
ba, volente Deo, facturo benevolam exigui
temporis præbere attentionem. Qua beni-
gnitate & amica gratificatione ut Me meumque
Collegam perpetuo ſibi obligabunt, ſic vice-
verſa pro virili parte annitemur, ut perceptum
fa-

favorem omni officiorum genere compenſemus. Quod demum ad ordinarios Gymnaſii auditores attinet, operoſa invitatione haud opus eſſe exiſtimo, cum illos, quamvis omnino non invitatos, ſolennitatibus Gymnaſticis præſentia ſua non deeſſe oporteat. Vale, quisquis es, CANDIDE LECTOR, & ſpei de æquanimitate tua conceptæ re ipſa ſatisfacito. P. P. III. Id. Mart. A. Æ C. cIↄIↄcLX.

PROGRAMMA

Orationis inauguralis Clariſſimi doctiſſimique Viri,

DOMINI

M. RUDOLFI CAPELLEN,

de ſumma boni Oratoris neceſſitate, habitæ in Illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi d. III. Aprilis Anno Æ. C. cIↄIↄcLX.

PETRUS LAMBECIUS J. U. L. & Gymnaſii Hamburgenſis Rector

LECTORI S.

QUam non tantum falſo, ſed prorſus impie ab Hiſtoriæ naturalis Scriptore (1) *Plinio* in dubium vocetur, utrum *artifex omnium Natura*,

(1) *Lib. 2. cap. 1. & lib. 7. in Proœm. Vid. & Plutarch. lib. de Fortuna.*

, cujus appellatione *Deus*, ipſius Naturæ con-
tor hic intelligendus eſt, *melior homini a ſe crea-
parens*, *an triſtior noverca fuerit*, id profecto ut
a in præſens taceam, abunde teſtantur duo
a omnium præſtantiſſima munera, *Ratio* &
atio, quibus humanum genus a brutis anima-
ous ſeparavit. Beneficio enim *Animæ rationa-*
, in qua tanquam in ſpeculo imago ſplendet
vinitatis, non tantum ſagaciſſime homo con-
mplatur, quæcunque hac rerum univerſitate
ontinentur, & ad vitam hanc bene beateque
ranſigendam neceſſaria ſunt, verum etiam
preto hoc, quod cum belluis commune habet,
orpore, terrena ſupergreſſus, per cognitionem
ui, quaſi ſapientiæ æternæ veſtibulum, ad ipſa
livinæ Majeſtatis arcana penetrat. *Eloquentiæ*
autem adminiculo admiranda hæc ratiocinandi
vis, cujus, dum occulta eſt, nullus reſpectus,
nullusque uſus eſt in vita communi, redditur
manifeſta, & ſenſa animi, intra privatarum co-
gitationum receſſus latitantia, exprimuntur ac
ad utilitatem transferuntur publicam. Ut igi-
tur *homo*, & revera ſit, & jure appellari poſſit
(1) Ζῶον πολιτικώτατον, h. e. *animal præ cæteris
omnibus animalibus ad ſocietatem civilem natum*, non
ſufficit τὸ νοεῖν, ſive intelligere, ſed requiritur
inſuper (2) τὸ διαλέγεσθαι, hoc eſt, *ſermocinari*
&

(1) *Ariſt. Politic. lib. I. c. 2.* πολιτικὸν ἄνθρωπος ζῶον, πάσης μελίττης καὶ παντὸς ἀγελαίου ζώου μᾶλλον.
(2) *Ariſtot. jam. cit. loco*: λόγον δὲ μόνον ἄνθρωπος

& diſſerere. Quo prudenter animadverſo, ſapientiſſimi quique mortales, qui unquam & uſpiam cœteris ſeſe hominibus præſtare, & de ſalute publica bene mereri ſtuduerunt, tanquam præcipuo & maxime efficaci conſiliorum ſuorum inſtrumento uſi ſunt *eloquentia.* *Eloquentia* nempe fuit, cujus defectu, tanquam juſtiſſima excuſatione, (1) *Moyſes,* ad liberandum populum Iſraëliticum miraculis jam a Deo confirmatus, tam arduæ legationi ſe ſubtrahere ultimum, ſed fruſtra conatus eſt; cum tantam dicendi facultatem, qua par eſſet injuncto oneri, divinitus impetraverit. *Eloquentia* fuit, qua (2) *Abigail* commotiſſimum irati *Davidis* animum mitigavit. *Eloquentia* fuit, qua (3) *Salomon* ſtupendam, quam precibus ſuis a Deo conſecutus erat ſapientiam, ita prodidit, ut (4) *Regina Sabæ* ſervos, qui ſemper ipſum audirent loquentem, beatos prædicaverit. *Eloquentia* fuit, qua ipſe *Servator noſter* CHRISTUS, Diabolum, qui primum deceperat hominem, in carne humana debellaturus, inde (5) a *duodecimo ætatis anno*, ipſis adverſariis ſuis adeo ſe venerabilem reddidit, ut apud (6) *S. Lucam* a *Cleo-*

ἔχει τῶν ζώων & *Hiſt. animal. l.* 4. *c.* 9. τὸ διαλέγεσθαι ἴδιον τοῦ ἀνθρώπου ἐστίν.

(1) *Exod. cap.* 4. *v.* 10. Domine, non ſum Eloquens.

(2) 1. *Sam.* 25. *v.* 24.

(3) 1. *Reg.* 5. *v.* 32. 33. 34.

(4) 1. *Reg.* 10. *v.* 8.

(5) *Luc.* 2. *v.* 42. 47.

(6) *Luc.* 24. *v.* 19.

leopha appelletur προφήτης δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ
αντίον τῦ Θεῦ καὶ παντὸς τῦ λαῦ, hoc eſt, *Prophe-
potens in opere & ſermone coram Deo & omni popu-*
: quod ipſum elogium *Moyſi* quoque a (1) *Ste-
ano* in præclara illa, ante lapidationem ſuam,
Chriſto oratione tribuitur. *Eloquentia* fuit,
a *Spiritus Sanctus*, die Pentecoſtes *SS. Apoſtolos*
inſtruxit & armavit, ut unica (2) *S. Petri*
ncione tria hominum millia ad Chriſtum
nverſa fuerint. *Eloquentia* fuit, qua Neſtor
) τῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτ⊙· γλυκίων ῥέεν αὐδὴ,
lcior a cujus lingua vox melle fluebat, Trojani
lli temporibus tantum ſibi acquiſivit autori-
is, ut *Agamemnon* publice confeſſus ſit, brevi
illum ſi *decem* ſibi contigiſſent *Neſtores*, expu-
aturum. *Eloquentia* fuit, qua (4) *Agrippa
nenius Lanatus* plebem Romanam, quæ odio
trum trans *Anienem* fluvium in montem *Sa-
m* ſeceſſerat, in urbem revocavit, &, quo
nus tanti Imperii ſpes in ipſo pœne ortu ſuo
rrueret impedivit. *Eloquentia* fuit, qua (5)
icles totam Rempublicam *Athenienſem* arbi-
o ſuo egit ac verſavit, &, quamvis voluntati
puli adverſaretur, jucundum nihilominus &
pularem ſe præbuit. *Eloquentia* fuit, qua
) *Demoſthenes*, omnium Græciæ Oratorum

I cla-

1) *Actor. 7. v. 22.*
2) *Act. 2. v. 41.*
3) *Hom. Iliad. a v. 249.*
4) *Liv. lib. 2. in Actis A. U. C. 260.*
5) *Plutarch in Pericle.*
6) *Plutarch. in Vit. Demoſthenis.*

clariſſimus, & acerrimus libertatis publicæ defenſor, potentiſſimi Macedoniæ Regis (1) *Philippi* victorioſis armis privatus & inermis ſe oppoſuit. *Eloquentia* fuit, qua (2) *Cineas Pyrrhi* Epirotarum Regis Legatus plures ſubjugavit Civitates, quam ipſe Rex armis expugnavit. *Eloquentia* fuit, qua (3) Philoſophus *Hegeſias* cognomine πεισιθάνατος, incommoda & miſerias hujus vitæ adeo native depinxit, ut exquiſita illa, ſed miſeranda imagine non paucos ex ſuis auditoribus ad voluntariam mortem adegerit. *Eloquentia* demum fuit, qua (4) Latinæ facundiæ Princeps *M. Tullius Cicero* vitam necemque iis attulit, pro quibus vel contra quos peroravit, & qua primus omnium titulum *Patris Patriæ, Triumphum in toga & lauream linguæ meruit.* Ad quam *Eloquentiæ* potentiam & in auditorum animos imperium reſpexerunt ſine dubio (5) *Celtæ* veteres, qui *Herculem*, ſub cujus nomine præſidem *Eloquentiæ* Deum colebant, vera, ſed inuſitata ratione pinxerunt ſenem, leonis indutum exuviis, & dextra quidem clavam, ſiniſtra autem tenentem arcum, maximamque hominum multitudinem, alacritate & lætitia perfuſam, ſubtilibus admodum catenulis, ex auro electroque confectis, ſine moleſtia ducentem; ita

(1) *Filii Amyntæ & patris Alexandri M.*
(2) *Plutarch. in Pyrrho.*
(3) *Diog. Laert. lib. 2. in Ariſtippo.*
(4) *Plin. Hiſt. nat. lib. 7. cap. 30.*
(5) *Lucian. in* προσλαλίᾳ, *quæ inſcribitur* ἡρακλῆς.

ut altera quidem catenularum extremitas
rterebratæ præcedentis Dei *linguæ*, altera vero
bſequentis populi *auribus* annexa eſſet. Quam
im egregie *Hercules* iſte *Celticus Eloquentiæ* na-
ram & vires referat, nec non alia, quæ ad hoc
gumentum pertinent, complura adderem,
ſi id abunde præſtiturus eſſet *Clariſſimus doctiſſi-
usque Vir*, DN. M. RUDOLFUS KA-
ELLEN, *admodum Reverendi doctiſſimique Viri*
N. JODOCI CAPELLEN, *Sacerdotis
cleſiæ S. Catharinæ optime meriti, filius*: Qui, cum
per legitima electione *publicus Eloquentiæ Pro-
ſor* declaratus fuerit, demandatum ſibi munus
ximo die Martis, qui erit *tertius Aprilis*, *hora de-
na matutina* ſecundum receptam Gymnaſii
ſtri conſuetudinem ſolenni Oratione inaugu-
li *de ſumma boni Oratoris neceſſitate*, volente
eo, ordietur. Quod ergo reliquum eſt,
nnes omnium Ordinum & Dignitatum præ-
ntiſſimos Viros debita obſervantia & ſubmiſ-
ne rogo, ut ſtato tempore frequentes con-
nire velint, & Honoratiſſimo Dn. Collegæ
eo ea, quam antehac ſæpius experti ſumus,
nignitate, attentas aures commodare. Nos
ro viciſſim operam dabimus, ut quantum
s tanta æquanimitate obſtrictos ſentiamus,
nni gratitudinis genere publice ac privatim
nteſtemur. Cæterum *ordinarios* Gymnaſii
ſtri *auditores* ſerio moneo, ut officio ſuo hac
ce melius fungantur, quam (1) proxima no-

(1) *Offendit videlicet delicatas nonnullorum aures, quod*

vi Profeſſoris inauguratione factum eſt. Ubi per ſeditioſam conjurationem contra morem obſequii & fas diſciplinæ Gymnaſticæ vix *quinque* vel *ſex* in Auditorio comparuerunt. Qua de re, ſi præter ſpem patientiam meam iterata contumacia laceſſiverint, peculiari Oratione publice conquerar, & adeo libere diſſeram, ut omnis intelligat poſteritas, quam *corrupto & confuſo rerum ſtatu* Rectoratum Gymnaſii Hamburgenſis ſubierim. Vale quisquis es, CANDIDE LECTOR, & ſi forte ſub finem hujus *Programmatis* paulo commotior tibi viſus ſum, juſtiſſimæ indignationi ignoſce. P.P. Hamburgi d. II. Aprilis A. Æ. C.
cIↄ Iↄc LX.

Sub finem Programmatis tunc temporis propoſiti, legitur; ad invitandos ordinarios Gymnaſii auditores, *h. e. Matriculæ inſertos & Rectori atque Profeſſoribus ſolenni promiſſione obedientiæ obſtrictos*, operoſa invitatione haud opus eſſe, cum illos quamvis omnino non invitatos, ſolennitatibus Gymnaſticis præſentia ſua non deeſſe oporteat.

INDEX

INDEX
ORATIONUM & PROGRAMMATUM reſpectu temporis, quo habitæ, aut propoſita fuerunt.

I. *Oratio de Hiſtoriarum cum cæteris Sapientiæ & Literarum ſtudiis conjunctione, habita A. Æ. C. cIↄ Iↄc LII. d. XIII. Januar. cum publicam Hiſtoriarum Profeſſionem ordiretur.* pag. 5.

II. *Programma Orationis de Artium liberalium laudibus, A. Æ. C. cIↄ Iↄc LII. d. III. Junii propoſitum.* pag. 101.

III. *Oratio, habita A. Æ. C. cIↄ Iↄc LIII. d. X. Junii, cum explicationem libri primi T. Livii aggrederetur.* pag. 29.

IV. *Programma Orationis de Peregrinationum utilitate, A. Æ. C. cIↄ Iↄc LII. d. XIV. Julii propoſitum.* pag. 106.

V. *Programma Orationis de Profectione Jaſonis in Colchidem ad aureum vellus, A. Æ. C. cIↄ Iↄc LIII. d. XX. April. propoſitum.* pag. 108.

VI. *Oratio, habita A. Æ. C. cIↄ Iↄc LIII. d. VII. Oct. cum ſecundum T. Livii librum publice explicare aggrederetur.* pag. 53.

VII. *Oratio in Clariſſimi Doctiſſimique Viri Joannis Adolphi Taſſii, Profeſſoris Mathematum in illuſtri Gymnaſio Hamburgenſi, obitum, qui contigit A. Æ. C. cIↄ Iↄc LIV. prid. Non. Januar.* pag. 60.

VIII. *Programma Orationis inauguralis, in ſuſcipiendo Rectoratu habitæ, A. Æ. C. cIↄ Iↄc LX. d. XI. Januar. propoſitum.* pag. 75.

IX. *Oratio habita A. Æ. C. cIↄ Iↄc LX. d. XII. Januar. cum Rectoratum Gymnaſii ſolenniter ſuſciperet.* pag. 77.

X. *Programma in Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi Viri, Dn. Davidis Pensbornii J.U.L. & Senatoris Reip. Hamb. digniſſimi, & optime meriti funere, quod A. Æ. C. cIↄ Iↄc LX. d. XIII. Martii deducebatur.* pag. 111.

XI. *Programma Orationis inauguralis Clariſſimi doctiſſimique Viri, Dn. Joannis Mulleri de Scientiarum Mathematicarum laudibus earumque in vita humana neceſſitate, habitæ A. Æ. C. cIↄ Iↄc LX. d. XV. Martii.* pag. 121.

XII. *Programma Orationis inauguralis Clariſſimi doctiſſimique Viri Dn M. Rudolfi Cappellen de ſumma boni Oratoris neceſſitate, habitæ A. Æ. C. cIↄ Iↄc LX. d III. April.* pag. 126.

In

In JEſu Nahmen
Eines Chriſtlichen/ alten/ abgelebten
Predigers
wahrhafftiger/ nothwendiger
Bericht
Wegen eines ſonderbahren Werckes und Wohlthat/ ſo GOtt der HErr an ihm gethan: Nicht aus Fürwitz/ Neurigkeit/ Hofart/ Vermeſſenheit/ oder ſonderlicher eigener Einbildung (wofür er durch GOttes Gnad Zeit ſeines Lebens ſich auffs fleißigſt gehütet) ſondern in wahrer einfältigen Gottesfurcht/ und Gehorſam/ aus erheiſchender Gewiſſens Noth/ und geſchehenem
Gelübde/
Zu GOttes heiligen Ehren/ und danckbahrer Verkündigung ſeiner wunderbahren Regierung/ und ſonderbahren Wohlthaten/ auch Chriſtlichen Hertzen zur nothwendigen Lehr und Nachrichtung/ hertzlichem beſtändigen Troſt/ ungezweiffelter Hoffnung/ und Erweckung wahrer Gottſeligkeit/
In die Feder gebracht/ und zum Druck übergeben/
Im Jahr 1640.

Pſalm. 91.

ER ruffet mich an/ ſo will ich ihn erhören/ ich will ihn ſättigen mit langem Leben/ und will ihm zeigen mein Heil.

Eſa. 41. Du ſolt mein Knecht ſeyn/ denn ich erwehle dich/ und verwerffe dich nicht/ fürchte dich nicht/ ich bin mit dir/ weiche nicht/ denn ich bin dein GOtt/ ich ſtärcke dich/ ich helffe dir auch/ ich erhalte dich durch die rechte Hand meiner Gerechtigkeit.

Eſa. 46. Ich will euch tragen biß ins Alter/ und biß ihr Grau werdet/ ich will es thun/ ich will heben/ und tragen/ und erretten.

Pſal. 40. HERR mein GOTT/ groß ſind deine Wunder/ und deine Gedancken/ die du an uns beweiſeſt; Dir iſt nichts gleich/ ich will ſie verkündigen/ und davon ſagen/ wiewol ſie nicht zu zählen ſind.

Pſal. 71. GOTT du haſt mich von Jugend auff gelehret/ darum verkündige ich deine Wunder. Auch verlaß mich nicht GOtt im Alter/ wenn ich grau werde/ biß ich deinen Arm verkündige Kindes-Kindern/ und deine Krafft allen/ die noch kommen ſollen.

Pſal. 145. Kindes-Kinder werden deine Wercke preiſen/ und von deiner Gewalt ſagen. Man ſoll reden von deinen herrlichen Thaten/ und erzehlen deine Herrlichkeit.

Tob. 12. Der Könige und Fürſten Raht und Heimlichkeit ſoll man verſchweigen: Aber GOttes Werck ſoll man herrlich preiſen und offenbahren.

Deut. 23. Was zu deinen Lippen ausgangen iſt/ſolt du halten/und darnach thun/ was du dem HErrn deinem GOTT freywillig gelobt haſt/ das du mit deinem Munde geredt haſt.

Pſ. 56. Ich habe dir GOtt gelobt/ das ich dir dancken will.

Pſ. 76. Gelobet und haltet dem HErrn eurem GOtt.

Pſ. 116. O HErr ich bin dein Knecht/ ich bin dein Knecht/ deiner Magd Sohn/ du haſt meine Bande zuriſſen. Dir will ich Danck opffern / und des HErrn Nahmen predigen. Ich will meine Gelübde dem HErrn bezahlen/ für all ſeinem Volck.

Pſ. 34. Ich will den HErrn loben allezeit/ſein Lob ſoll immerdar in meinem Munde ſeyn. Meine Seele ſoll ſich rühmen des HErren / das die Elenden hören und ſich

freuen. Preiſet mit mir den HErren/ und laſſet uns mit einander ſeinen Nahmen erhöhen. Da ich den HErren ſuchet/ antwortet er mir/ und errettet mich aus aller meiner Furcht. Welche ihn anſehen und anlauffen/ der Angeſicht wird nicht zu ſchanden. Da dieſer Elender rieff/ höret der HERR/ und halff ihm aus allen ſeinen Nöthen.

Pſ. 66. Ich will mit Brandt-Opffer gehen in dein Hauß/ und dir meine Gelübde bezahlen. Wie ich meine Lippen habe aufgethan/ und mein Mund geredt hat in meiner Noth.

Im Nahmen des HErrn JEſU.

DJe fürnehmſte Urſachen / vieler anderer zugeſchweigen / warum ich Fabricius Senior dieſe kurtze / und wegen meines hohen Alters ſehr einfältige Schrifft an Tag geben wollen und ſollen / ſind inſonderheit dieſe zwo.

Erſtlich erfordert ſolches ins gemein GOttes Ehre / als die er in allen ſeinen Wercken täglich von uns Menſchen / Predigern und Zuhörern / will erkandt / gerühmet / erweitert und ausgebreitet haben. Derowegen wir dann / in unſerm gantzen Leben / in allem unſern Thun und Laſſen / wie es Nahmen haben mag / alles dahin mit höchſtem Fleiß und ohn auffhören richten ſollen / damit GOttes Lob / Ehr und Preiß in acht genommen / und nach Vermögen bekandt gemacht / und verkündiget werde. Wie des HErren Apoſtel befiehlet: Ihr eſſet oder trincket / oder was ihr thut / So thut es alles zu GOttes Ehre. Das iſt GOttes gnädiger Befehl / dem wir täglich und in allem / nicht allein nachdencken / ſondern auch nachleben / und all unſer Thun und Laſſen darnach richten ſollen.

Zum Andern / und inſonderheit meine geringe Perſohn anreichend / erfordert ſolches meine ſchuldigſte Danckbarkeit / wegen dero von der Göttlichen Barmhertzigkeit mir erzeigeten gemeinen und ſonderbahren Güte und groſſen Wohlthat / und von mir geleiſtetes

demü-

demüthiges Votum und geſchehene Verpflichtung / daher ich mich ſo viel mehr gäntzlich und allerdinges ſchuldig erkenne / hievon öffentlichen Bericht zu thun / und die von dem gütigen GOtt mir erzeigete ſonderbahre Gnad / und wunderbahre ungläubliche Gutthat / öffentlich zu verkündigen / ſo wohl insgemein / als auch inſonderheit.

Und das ich nun von andern Wohlthaten GOttes an dieſem Ort nicht rede / ruhme ich anfänglich insgemein und inſonderheit / die mir in meinem gantzen Leben erzeigete ungläubliche groſſe Barmhertzigkeit in Erhaltung und Erweiterung meines baufälligen / ſehr ſchwachen Lebens.

Denn es gewißlich wahr iſt / daß ich meine gantze Lebens Zeit / von Jugend auf ein ſehr ſchwacher / gebrechlicher / vielen Kranckheiten unterworffener / und alſo zum Tod täglich zeitiger Menſch bin geweſen / welche Schwachheit ſich an allen Orten / da ich mein Leben zugebracht / befunden / So wohl als ich bey meiner alten Mutter daheim geweſen / (denn mein Seeliger Vater ward An. 1569. meines Alters im 10. Jahr auß dieſem Leben abgefodert) Als auch / wie ich auf Particular-Schulen mich verhalten / inſonderheit zu Tundern / Flenßburg / Lüneburg / ꝛc. Alſo weiter / wie ich auf Univerſitäten / Helmſtädt / Roſtock / ꝛc. geweſen.

Inſonderheit aber / nachdem mich GOtt zu Dienſte ſeiner Chriſtl. Kirchen nunmehr für 55. Jahren beruffen hat / ſowohl in meinem vielgeliebten Vaterlande / der Stadt Tundern / als auch an dem hochlöblichen Fürſtlichen Hoffe zu Gottorff / und hernach in

der

der weitberühmten Stadt Hamburg/ wie denn wiederum zu Gottorff/ an welchen Oerten ich vielfältige gefährliche/ ja tödtliche Leibes-Schwachheit nach GOttes heiligem Willen ausgeſtanden/ alſo/ daß ich zu Zeiten/ wann ich den Abend zu Bette gegangen/ mich alſo befunden/ daß ich ſo wohl wegen Menſchlicher allgemeiner Baufälligkeit/ als auch wegen meiner ſich befindender groſſen und faſt täglich zunehmenden ſonderbahren Schwach- und Mattigkeit/ nicht mir gewiſſe verheiſſen dürffen/ den Morgen wieder zu erleben. Derowegen ich denn/ ohne Ruhm zu melden/ an allen Orten/ da ich geweſen bin/ immerda dem lieben GOtt mich in ſtetigen Seufftzen befohlen/ nach müglichkeit mäßiglich gelebet/ meine Sachen richtig gefaſſet/auch nechſt GOTT dem Herren Medicis, als GOttes Dienern/ mich befohlen/ und ihrer Dienſte/ Rahts und Mitteln fort und fort in Gottesfurcht gebraucht; deregeſtalt/ daß mancher ſich zum höchſten verwundern würde/ wann er die unzählige Recept, Gläſe/ Tönnichen/ Schachteln/ Medicin-Regiſter/ Vaſcula, ꝛc. deren ich gebraucht/ und noch zum Theil zeigen kan/ ſehen ſolte.

Aber von dieſer GOttes Wohlthat/ weitläufftige/ und zwar in ſpecie Vermeldung zu thun/ iſt allhie mein Fürnehmen nicht. Dancke immittelſt von Hertzen dem getreuen GOtt/ für ſeine unausſprechliche Güte und Barmhertzigkeit/ die er mir Zeit meines Lebens erzeiget und beweiſet hat.

Inſonderheit aber habe ich/ aus ſchuldiger und GOtt verheiſſener Danckbarkeit/ eine fürnehme ſonderbahre Wohlthat GOttes/ die er mir in dieſen meinen

nen letzten Jahren erwieſen hat/ rühmen/ ihm dafür dancken/ auch andern Leuten zu Erweckung wahrer Gottſeeligkeit/ und Betrachtung ihres gantzen Lebens und Lauffs/ und was ſich darinnen zugetragen/ meinem geſchehenem Gelübde zu Folge/billig offenbahren und entdecken ſollen und wollen. Und verhält ſich es damit alſo:

Anno 1623. welches Jahr mein Climactericus, wie wir es nennen/ geweſen/ als der ich damahls mein drey und ſechzigſtes Jahr voll und all erreichet/ und in das nechſtfolgend numehr getreten: Bin ich im Frühling/ durch Göttliche Verhengnüß/ in ein ſchweres tertian Fieber gefallen/ welches etliche Zeit mit unterſchiedenen Paroxismis mich ſehr geſchwächet/ abgemattet/ und meine Kräffte verzehret; Inſonderheit der letzte/ der mir härter zugeſetzet/ denn die vorigen. Als nun aber in demſelben die Schmertzen durch Gnad ſich allgemehlich mehr und mehr linderten/ und ſo wohl der Hr. Medicus als auch ich ſelbſt und die umb mich waren/ es dafür hielten/ daß der Paroxismus fürbey wäre/ ſtehe ich im Nahmen GOttes auf/ ziehe meine Kleider an/empfinde keine Beſchwerung/ alſo auch/ daß die bey mir biß dahero geweſen/ jeder an ſeinen Ort ſich begab/ ſeine Ampts-Geſchäffte zu verrichten: Was geſchicht? Wie ich nun alſo in dem Gemach auf und nieder gieng/ und nicht anders meynete/ ſondern mit Freuden gedachte/ es wäre nun alles in gutem Beſtande: Da überfällt mich unverſehens in der Eyle eine ſondere groſſe Beſchwehrung/ Angſt und Bangigkeit/ welche mir gar hart zuſetzte/ daß ich nicht wuſte woraus noch ein/ lege mich nie-

nieder auf den Pflaſter / die Beſchwerung aber wird nicht geringer / ſondern immer gröſſer geſtrenger und härter / alſo daß ich auch gantz an meinem Leben anfieng zuverzweifeln / und nicht anders gedachte / mir auch nicht anders zu Muthe war / als wenn der HErr / in deſſen Hand und Gewalt unſer Leben und alle unſere Tage ſtehen und angeſchrieben ſeyn / auch zu mir ſagte / wie weyland zu dem Hiskia: Beſtelle dein Hauß / denn du wirſt ſterben und nicht lebendig bleiben: Alſo gedachte ich auch in meinem Hertzen / ich würde ſterben / und nicht lebendig bleiben / und demnach höchſtnöthig ſeyn / daß ich alſofort mein Hauß beſtellete / fürnehmlich zu einem Chriſtlichen Abſchiede mich rüſtete / mir war angſt und bang wie dem frommen Hiskia / und ſprach: Nun muß ich des Todes ſterben.

Ich war aber nicht ſo ſehr eines längern Lebens begierig meinet halben / als der ich den Menſchlichen Zuſtandt ziemlich und nach Nothdurfft empfunden / beſondern / wie GOtt weiß / wegen dieſer Lande Kirchen heilſamen Zuſtandes / Viſitation, Direction, nutzbahrer Inſpection, und was dem allen anhängig; Und kam dazu dieſes / welches mich nicht wenig ſorgfältig machte. Es hatten J. F. G. der Durchleuchtiger / Hochgebohrner Fürſt und Herr / Herr FRIEDERICH / Erbe zu Norwegen / Hertzog zu Schleßwig / Hollſtein / Stormarn und der Dithmarſchen / Graff zu Oldenburg und Delmenhorſt / ꝛc. Mein gnädiger Fürſt und Herr / auf meinen unterthänigen Vorſchlag und demüthigſte Bitte ſich gnädiglich gefallen laſſen / das mir mein älteſter Sohn /

der

der damahls J. F. G. der auch Durchläuchtigen/ Hochgebohrnen Fürſtinnen und Frauen/ Frauen AUGUSTA/ gebohrnen aus Königlichem Stammen zu Dennemarcken/ Hertzoginnen zu Schleßwig/ Hollſtein/ Stormarn und der Dithmarſchen/ Gräfinnen zu Oldenburg und Delmenhorſt/ ꝛc. Meiner gnädigen Fürſtinnen und Frauen wohlbeſtalter Hoff-Prediger war/ mit JJ. FF. GG. gnädigem Conſens, anfangs zu einem Collegen/ und zu ſeiner Zeit zum Succeſſoren geſetzet und verordnet würde. Wie denn ſolches alſo im Vorjahr des damahls lauffenden Jahres 1622. geſchehen iſt. Welches denn ich von Hertzen für ein ſonderlich Werck GOttes und ſehr groſſe und Fürſtliche Fürſorge für dero Fürſtliche Kirchen erkandt und angenommen/ zu dem Ende und wegen dieſer Urſachen/ daß wir ein Zeitlang bey und mit einander umbgehen/ und mein Sohn dieſer Kirchen Gelegenheit mehr und mehr einnehmen/ und künfftiger Zeit durch Göttlichen Beyſtandt/ was zu ſolchem Ampte gehörig/ ſo viel nutzbahrer unverhindert verrichten möchte/ wie denn ein jeder Verſtändiger leichtlich zuerachten. Denn es in Wahrheit ein bedencklich/ ja auch wohl beſchwerlich Ding seyn dürffte/ wann jemand/ ſo der Kirchen und deroſelben Zuſtandes und Verwaltung nicht gründlich berichtet/ ſolch nicht allerdings leichtes und geringes Ampt ſolte anbefohlen werden. Denn ich noch nicht aus der Gedächtniß gelaſſen/ wie ſchwer es mir für vielen Jahren geworden/ da auf empfangene gnädige Fürſtliche Beſtallung/ ich an dieſe Verrichtung getreten; Dem nun vorzukommen/ ich in Gottesfurcht und

An-

Anruffung / gedachten meinen Sohn / zu einem Coadjutoren und Succeſſoren unterthäniglich fürgeſchlagen und erhalten.

Nun war obgedachter mein Sohn / zu der Zeit meiner groſſen Schwachheit / nur ein Jahr bey mir geweſen / und dieſer Sachen berichtet worden / dahero dann dieſer Lande Kirchen Zuſtand / und meine Verrichtung ihm noch nicht ſo gantz gründlich / vollkömmlich und umſtändlich bekandt ſeyn konnte. Derowegen ich denn von Hertzen bekümmert war / und dahero noch in etwas nach einem längern Leben ſehnlich Verlangen hatte / damit wir noch ein Zeitlang nach GOttes gnädigem Rath und Willen / mit einander umgehen / und unſer Amt mit geſamter Arbeit verrichten möchten.

Wie ich nun in meiner zuvor angezeigten groſſen Ohnmacht hieran gedachte / und von Hertzen hierüber betrübt war / habe ich mich mit dem lieben Hiskia zu dem HERRN gewandt / und ihn mit unaufhörlichen Seufftzen gebethen; Da es ſein gnädiger Göttlicher Wille wäre / wolle er mir mein Leben noch in etwas verlängern / Damit mein Sohn durch ſeine Göttliche Gnade mehr und mehr zu obgedachtem ſchweren mühſeligen Ampt / und deſſen Verwaltung ſich gefaſt machen und gewehnen möchte.

Als ich nun in meinem Hertzen ſorgfältiglich mich hierüber bemühete / und zum HErren meinem getreuen GOTT inſtändigſt ſeufftzete: Als hat der gütige GOTT in ſolchem ſchweren Paroxismo und Angſt / mir in meinem Hertzen gnädiglich unverhoffet wunderbahrlicher Weiſe geantwortet / wie ich denn ſolches

kräfftiglich empfunden/ daran ich denn den geringſten Zweifel nicht trage/ GOtt ſag ich/ hat mir mein hoch-betrübtes beſchwertes Hertz kräfftiglich erfreuet/ und erleichtert/ und wie zu dem Hiskia durch den Propheten Jeſaiam/ alſo empfindlich in mein Hertz durch ſeinen Geiſt geſprochen/ er wolte mir noch mein Leben Väterlich gönnen und meinen Tagen noch 15. Jahr zulegen. Worüber ich denn mit groſſer/ hertzlicher/ gläubiger/ demüthigſter Verwunderung mich hoch erfreuet/ dem lieben GOtt dafür gedancket/ mich auch dahin hertzlich verpflichtet/ ich wolte ſolche unverhoffte Wohlthat danckbarlich für jedermänniglich durch ſeine Gnad nach Vermögen bekandt machen/ ausbreiten/ rühmen und preiſen. Damit ſtehe ich auf von dem Pflaſter/ und bin meiner Beſchwerung durch GOttes Gnad faſt gantz entlediget und loß.

tanquam e naufragio tabulas dum colligo, mirum videri nemini debet, ſi minus polita oratione tamen vicem referre defuncti meritis aggreſſus ſim, grata recordatione, quod maximum benefactis pretium eſt.

Habent ſibi hunc morem fere, qui præſtantium virorum memoriæ honorem habere volunt, ut in patriam eorum omnium primo inquirant, & ab ea, ſi lauta & glorioſa contigerit, ſplendorem & commendationem, ei, quem laudandum ſuſceperunt, mutuentur: quam conſuetudinem ne nunc quidem negligendam, aut inſuper habendam cenſeo: neque quia ignobilior ea eſt, quam ut ad augendam Werenbergii dignitatem quicquam conferre poſſit, ideo ſine omni plane mentione eam tranſmittemus: neque tamen ignoramus: Non ubi prognatus, ut Apuleji verbis utar, ſed uti moratus quisque ſit ſpectandum, nec qua regione ſed qua ratione vitam vivere inierit, conſiderandum Themiſtoclem ferunt Seriphio cuidam in jurgio reſpondiſſe, cum ille dixiſſet, non eum ſua ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum, nec * hercle, inquit, ſi ego Seriphius eſſem, ignobilis, nec ſi tu Athenienſis eſſes, clarus unquam fuiſſes. Quodſi, ut ampliſſima cuique & ornatiſſima patria contigit, ita ingenio & virtute cæteris ipſe præſtaret, nec Melitides Athenienſis fatuus, nec ſapiens fuiſſet Anacharſis Schyta. Fuit igitur natus Werenbergius Anno a nato Chriſto

* *Cic. Cat. Maj.*

ſto 1582. tertio Idus Januarias Trojæ Holſatorum, utroque parente Hamburgenſi, patre quidem Jacobo ejus loci Eccleſiaſte, matre Anna Meiera. Patre vero Hamburgum in patriam ad ſuſcipiendum munus Eccleſiaſticum in æde D. Petri evocato una iſtuc & familia omnis & hic Jacobus filius abductus eſt, in quo cum indolem induſtriæ pater & ingenii quandam excellentiam deprehendiſſet, iis animum ipſius literis, quas ætas tenera ferre poſſet, primum erudiit, ac ſubinde prodeuntibus annis in diſciplinam eum ejusmodi magiſtris tradidit, quorum ſub cura doctiorem fore putabat, & meliorem, ibique tum ille & exercendi ſtilum ſcribendique rationem ſuo exemplo ſuſcitare, & ſtudio induſtriaque ſingulari cum ſibi favorem caritatemque multorum conciliare, tum animos æqualium ad bonas literas artesque majore adſiduitate & diligentia colendas impellere. Mihi quidem transacta jam & decurſa, primæ adoleſcentiæ meæ tempora recordatione revocanti in mentem venit eorum ſermonum, qui jam tum (eodem enim in ludo docti fuimus, quanquam aliquot ipſe annorum adeoque claſſium intervallo me poſt ſe relinqueret) de ipſo erant, grati ſane & digni eo, qui ſtuderet ſeſe cœteris æqualibus ſuis & condiſcipulis præſtare. Fit enim etiam in illo adoleſcentium cætu, ut ſiquis ſive ingenio, ſive memoria, ſive diſcendi cupiditate inter alios emineat, in illum reliquorum oculi conjiciantur, eorumque animi in admira-

tionem nonnullam rapiantur, id quod ad excitanda diſcentium ingenia valet plurimum, qui cum doleant, alios evolaſſe, ſe relinqui, ad eorum Virtutem, quos occupaſſe poſſeſſionem laudis animadvertunt, æmulandam, eo acrius accenduntur. Eos jam progreſſus in ſcholis trivialibus fecerat Werenbergius, ut dignum illum & parentes, &, quibus operam hactenus dederat, præceptores judicarent, qui ad uberiorem ingenii cultum capiendum ad Academias ablegaretur. Agebat tum ætatis annum decimum ſeptimum, poteratque videri iis, quibus ingenium ejus & in bonis literis profectus erat ignotus, ob ætatis teneritudinem & conſilii imbecillitatem, quæ adoleſcentiæ ineſt maxima, nondum idoneus, qui gravioribus illis ſtudiis imbueretur; niſi parentes & recte ſentientes prudentesque homines in conſilium adhibentes, & recta ſecum ipſi rem via reputantes ingenii adoleſcentis quam ætatis curſum celeriorem adjuvandum potius quam reprimendum cenſuiſſent. Porro quemadmodum non videntur domi diutius atque apud ſuos detinendi, quorum ætas ea diligentia diſciplinaque munita eſt, ut cum fructu Academias adire poſſint, ita non minimi periculi res eſt, eos adoleſcentes, quibus recta inſtitutio & juſta cultura defuit, ad ſublimiores diſciplinas imbibendas alio transmigrare, nondum cognitis iis præceptis, ſine quibus inanis eſt in progrediendo labor, & ſtultum ſtudium. Objurgatione autem digni ſunt paren-

rentes illi, qui, cum affatim illis ſuppetat, quod in liberos recte atque ordine erudiendos impendant, nihil tamen habent antiquius, quam ut nummos coacervent liberisque patrimonium amplificent, de progreſſu eorum in bonis artibus adeo non ſolliciti, ut opilionem aut Equiſonem pluris, quam bonum præceptorem conducant, quorum ſane intempeſtiva & præpoſtera parſimonia ſæpenumero miſerorum filiorum fortunas ita conturbat, ut rem impeditam & perditam reſtituere parentes cum velint, non poſſint. Florebat ea tempeſtate viris præſtantiſſimis Academia Julia, eratque etiam me multum adoleſcente in magno nomine & gloria, quam illi eximius favor Illuſtriſſ. Principis, nihil omnium rerum, quæ ad augendam illam atque omnibus modis ornandam pertinere videbantur, prætermittentis, conciliaverat: in hanc ille miſſus cum eſſet, recte cum animo ſuo recolens, quem in locum & qua gratia deductus eſſet, omnem ſuam operam ac curam ad liberalia ſtudia contulit, tanto ardore ac impetu, ut nihil ſibi ad ſummam induſtriam ac diligentiam reliqui faceret. Cæterum cum vehementer ad ſuas rationes pertinere putaret, nullam in perſequendo ſtudiorum curſu viam inſiſtere, niſi ab exercitato & perito duce monſtratam, in primisque philoſophicarum diſciplinarum penitus atque plene cognoſcendarum mirifico ſtudio flagraret, ad Caſelii Duncani, Luchtenii, Cornelii, at quorum virorum! qui & ipſi exci-

ta-

tabant plurimorum ſtudia, & eruditæ doctrinæ fama ſuum nomen & Juliam Academiam illuſtrabant, cognitionem aditum ſibi fecit, eosque non tantum e ſuperiore loco docentes ſtudioſe atque attente audivit, ſed etiam in interiorem ab iis amicitiam admiſſus, de eorum conſilio in ea ſtudia, in quæ toto animo atque impetu ferebatur, incubuit: quorum virorum Caſelii præſertim & Cornelii, (nam reliqui aliquanto ante, quam ego Academias adirem, diem ſuum obierunt) cum cæperit eſſe mentio, equidem a me impetrare non poſſum, ut ſine honore eam transmittam, quod in ſummo illo eruditionis faſtigio omnes tamen comitatis numeros obierint, nec a quoquam, qui familiaritatis cauſam quæreret, deſiderari ſuam paſſi ſint humanitatem. Sane illius, qui optime de literis meritus anno ab hinc decimo e vita exceſſit, quod mihi Witeberga excurrenti ſalutandi & aliquot dierum conſuetudine jucundiſſima fruendi copia facta ſit, non ſine ſumma voluptate recordor: qui ab ineunte adoleſcentia in virorum præſtantium familiaritatem me dare concupiverim, eamque ſtudiis meis & ornamento & præſidio futuram animum induxerim. Cornelius & Theologus & Philoſophus excellentiſſimus, atque ut rem in pauca conferam, vir ſummus in maximarum rerum ſcientia, quicquid contra blateret Malignitas & Invidia, duos annos factum eſt, cum rebus humanis exceſſit. Cujus equidem viri, quem immortalem, ſi fieri

ri poſſet, omnes boni eſſe cuperent, mors non mihi tantum acerbiſſima eſt, ob ſummum, qua me complectebatur, benevolentiam, ſed etiam mœrorem ac luctum graviſſimum attulit omnibus iis, qui ſalvam cupiunt rem litterariam, intelliguntque, quantam ipſius obitu illa plagam acceperit. Receperunt illi adoleſcentem ſummæ ſpei ſummæ indolis non tantum non gravatim, ſed etiam libenter, conatusque ejus ad ſolidam eruditionem graſſantis vel ea re adjuverunt, ne deeſſent, qui barbarorum & novatorum, quorum nulla non ætas ad oppugnandam veritatem maximum proventum attulit, pernicioſis molitionibus ſeſe opponerent, audaciamque eorum comprimerent. Atque horum ſub cura eas ille progreſſiones fecit, ut non leviter Philoſophicis literis tinctus, ſed ita imbutus atque inſtructus redderetur, ut quæ tum domeſtica induſtria adſecutus erat, tum pulcherrime a doctiſſimis illis ac ſapientiſſimis viris tradita memoria ac ſcientia comprehenderat, iis tam ad aſſerendam veritatem, quam profligandas falſas opiniones erroresque exterminandos ubi & quotiescunque opus eſſet, uteretur. Cum primis vero ſibi, nec ſibi tantum, ſed omnibus, quotquot eodem ſtudio tenerentur, philoſophicarum diſciplinarum cognitionem neceſſariam futuram arbitrabatur: Nam qui ea caſſi, in Theologis tamen nomen ſuum profiteri audebant, ſimiles eſſe iis ajebat,

Qui

Qui cum ſibi ſemitam non ſaperent, aliis monſtrarent viam.

Longeque aliter ſentiebat, quam plerique, qui cum ad S. S. Theologiæ ſtudium animum appellere ſecum conſtituerint, ſimul atque Academias contigerunt, philoſophicis literis vel plane abjectis vel leviter deguſtatis in eo nervos ætatis induſtriæque ſuæ contendunt, ut verba ad populum facere diſcant, atque id ita faciunt, nulla ut re alia ad id, quod animo propoſuerunt, conſequendum, opus eſſe putent: Sed paululum ab his digreſſi ad Werenbergium noſtrum revertamur, qui cum triennium liberalibus ſtudiis pertinaciter deditus in Acad. Julia confeciſſet: Witebergenſem etiam Theologis Hunnio, Rungio, Mylio, Geſnero tum maxime celebrem, de voluntate parentum adiit: ac tametſi undique quandam ſcientiæ quaſi poſſeſſionem occuparet, & non tam laudem venaretur, quam uſum ſibi fructumque cognitionis acquireret: ad Theologiæ tamen ſtudium maxime propenſa fuit ipſius cupiditas, quod religioſæ pietatis amore flagraret, ſententia hac confirmata in puero paterna maternaq; educatione atque diſciplina: adeoque magna animi contentione in Theologiam incubuit, cum tamen nihilominus coleret liberales & ingenuas artes, easque omnibus modis augeret & ornaret: cumque in rem ſuam eſſe putaret, conſuetudine quotidiana & ſermone familiari frui ejus, qui in iſta arte, quam proram & puppim

pim ſtudiorum ſuorum facere cogitabat, excelleret, ad amicitiam Gesneri totum ſe contulit, ejusque tecto & convictu ut reciperetur, facile impetravit, eamque intra breve tempus ſacrarum literarum ſcientiam ſibi comparavit, ut & ſanæ doctrinæ veritatem adſerere, & falſitatis convincere adverſarios egregie poſſet. Memini, cum Wittebergæ ſtudiorum cauſa viverem, quosdam eorum, qui ibidem loci cum ipſo verſati erant, cum in eum ſermonem delaberemur, referre: frequentem habuiſſe domum ſuam Gesnerum nobilibus aliisque honeſto loco natis adoleſcentibus, eos ſolitos eſſe nonnunquam inter prandendum, & cænandum, ut fit, de quæſtionibus Theologicis in contrariam partem diſputare, quod alii quidem faciunt, ut ingenii famam aucupentur, alii, quod revera ita ſentiant, ut qui de more gentis ſuæ educati atque edocti quam opinionem de religionis capitibus in prima ætate imbiberunt, ab ea ne in adulta quidem diſcedant, facit enim diverſitas locorum, in quibus nati ſunt, opinionum quoque magnam varietatem: nonnulli eo ſunt ingenio, ut palmarium ſe reperiſſe arbitrentur, ſi diſputationum ac interrogationum laqueis irretitum tenere poſſint inſignem aliquem S. S. Theologiæ Doctorem, ejusque ſe victores paſſim jactare; Cum finis non fieret controverſiarum, de quibus diſceptaretur, Gesnerum non quidem confectum ſed defatigatum, ut qui unus omnium telis excipiendis ſufficere ſine moleſtia

non

non poſſet, vices ſuas Werenbergio demandaſſe, quas quidem ille ſic impleverit, ut nec dubitationis quicquam, & admirationis multum in animis ipſorum relinqueret. Cæterum cum omnis in Philoſophiam & Theologiam collatæ curæ atque operæ teſtimonium publicæ vocis, quod Magiſtri titulum vocant, biennium fere in Academia Witebergenſi commoratus peteret, illud non tantum impertitum eſt illi facile, ſed tale impertitum eſt, ut in confeſſo eſſet omnibus, non perfunctorie ipſum in omnibus ingenuis artibus eſſe verſatum, ſed ita ut unus e multis excelleret. Nam cum maxima fere ſtudioſorum frequentia præ cæteris Germaniæ Academiis celebretur Witebergenſis, atque ea de cauſa candidati Philoſophiæ eodem tempore Apollinari laurea donandi nunquam non numero multi ſint, tantæ dignationis eſt habitus, ut inter omnes ejus temporis competitores princeps illi locus de communi totius conſeſſus Academici ſententia aſſignatus ſit. Quod ſi prima ſequentem in ſecundis tertiisque conſiſtere honeſtum, quanto præclarius, neminem habere dignitatis gradu ſuperiorem, qui virtute & meritis non habet. Ex omnibus autem præmiis virtutis, Cicero * teſtatur, ſi ſit habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam. Hanc ille laudem & lauream cum adſecutus eſſet, nequaquam conſiſtendum, aut de priſtina vivendi conſuetudine induſtriæque ardore

dore

* *Orat. pro Milone.*

dore quicquam remittendum duxit, quod nonnulli faciunt, qui ut opinionem tantum alicujus in literis nominis præbeant, quæ habent ſpeciem gloriæ collecta ex inaniſſimis ſplendoris inſignibus, ſtudioſe ea ſectantur, idque unum agitant, ut ſecundam exiſtimationem quibuscunque lenociniis colligant, quam ubi ſe adeptos eſſe arbitrantur, titulo collato tanquam Orci galea ſe defendunt, ac de progrediendo non magis cogitant, quam ii qui decurſo jam ſpacio a carceribus ad calcem pervenerunt. Longe aliter animatus fuit Werenbergius noſter, qui, ſimul atque Magiſterii honore decoratus eſt, cum eadem opera pro more Academiarum poteſtas ipſi data eſſet legendi ac diſputandi publice ac privatim, nequaquam deſidiæ in ocio operam dedit, ſed in quibus multum erat ſtudioſeque verſatus, Philoſophicarum diſciplinarum etiam eos participes facere voluit, quos iis ſtudiis teneri deprehendebat, nullaque adeo Philoſophiæ pars neque tam difficilis neque tam operoſa ipſi viſa eſt, quam non auditoribus ſuis traderet, legendoque ac diſputando illuſtraret, præſertim cum ſtatim a facta privatim ac publice docendi poteſtate in Philoſophicæ Facultatis collegium cooptatus, ejusque Adjunctus nuncupatus eſſet.

Retulerunt mihi qui Witebergæ & noverant eum familiarius & docentem audiverant, cum plures eodem tempore Philoſophiæ Adjuncti pro ſe quisque in commune, juventutem erudi-

endo, prodeſſent, quod ego in nullius contumeliam dictum velim, Werenbergium ad tantam famam dignationemque docendo perveniſſe, ut primæ inter omnes ſine controverſia ipſi deferrentur. Taubmannum ſane memorabant iidem, cum ſæpius is e publico loco de rebus graviſſimis diſſerenti maxima cum voluptate auſcultaſſet, non dubitaſſe profiteri: nequaquam tam percurſum animo ac decantatum ſuum ſe Virgilium habere, quam Werenbergius ſuam haberet Metaphyſicam. Nec prætereundum videtur, in tanta eum apud Hutterum exiſtimatione fuiſſe, ut quoties is in publicis diſputationibus ad opponendum ipſum invitaret, aut contra diſputantem pugnaret, Præſtantiſſimum eum Magiſtrum, quem titulum nemini facile ejus ordinis ac loci Magiſtro tribueret, ſubinde appellitaret. Contulerat ſe circa idem tempus Witebergam M. Lippius, cujus nomen ob Muſicæ artis ſcientiam magna apud omnes gloria fuiſſe tradunt, cum & ipſe nobilis cantator fidibus eſſet, ut alios alia delectant, neque earundem omnes rerum ſtudiis ducimur. Is igitur cum diſputatione Muſica propoſita, ubi iſti agitandæ ac ventilandæ dies dictus comparuiſſet, in ſumma cathedra conſtitiſſet, Profeſſoresque, quod ſui putarent eſſe in exercendo & ornando collegio officii, id feciſſent, e ſtudioſorum numero, ſi quis haberet, quod in medium afferret, invitaſſe aliquos dicitur. Ii cum diſputationem de iis rebus, quæ minus tractatæ aut cognitæ

ipſis

ipſis eſſent, fere defugerent, paucique adeo aut nulli cum Agonotheta congredi auderent, Werenbergium ajunt ex pridiano convivio, cui in multam noctem protracto adhibitus erat, adhuc marcidum; cum pauxillum prius ipſe ſecum meditatus eſſet, progreſſum, ac deficientibus qui in contrariam partem diſputarent, noluiſſe honori Præſidis deeſſe, ingreſſumque & tribus in conflictu cum Lippio horis conſumtis & dubiam ipſi palmam feciſſe, & magnam ab omnibus gratiam iniiſſe. Tam acri ſtudio tantoque labore ac induſtria ad diſcendum, dum quidem Witebergæ viveret, eum ſe dediſſe accepimus, ut ne nocturnum quidem ſibi tempus ad quietem relinqueret. Itaque cum poſt cænam ad ſomnum ſe dediſſet, mox aut non longo poſt mediam noctem intervallo ſurrexiſſe, quod diceret concoctione jam tum facta, integrum ſe ad ſtudia, nulla valetudini vi facta, redire poſſe. Quam eandem conſuetudinem rationemque Philippi Melanchthonis fuiſſe memoriæ proditum eſt, qui & omnes ſcriptiones & commentationes cæterasq; res vel ſaltem præcipuas matutina opera perfecerit. Atque is * perſuaſum ſe habere de ſe ipſe teſtatur, nulla re alia magis valetudinem ſuam conſervari, quam ea, quod paulo poſt cænam dormitum ſeſe conferret. Negat enim attinere, ſi primo

 quis-

* *Explicat. Evangelii Dominic. 17. poſt Trinitat. vid. Poſtilla Melanchthon a Pezelio edita.*

quiſpiam ſomno bene conſopitus quieſcat, utrum interruptum recuperet, nec ne.

Sed hæc de Werenbergii vitæ curſu, quem in Academiis & extra patriam tenuit, dixiſſe ſufficiat, ſi prius Elogium, quo Witeberga diſcedentem Senior & Doctores Facultatis Theologicæ proſecuti ſunt, adjecero.

SENIOR ET DOCTORES FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ACADEMIA WITEBERGENSI.

ID teſtari nos ipſa jubet veritas, toto hoc ſeptennio, quo ipſius converſatione uti nobis conceſſum fuit, eam in ipſo eluxiſſe, ſingularem divinæ gratiæ vim, qua nihil in futuro Theologo ad *puritatem in doctrina ſincerius*, nihil ad integritatem morum candoremque animi honeſtius, nihil denique ad pacem & concordiam tranquillius exoptari poterat. Poſtquam enim honores in Philoſophia ſummos, quos Magiſterium appellitant, cum laude & dignitate adſecutus eſt, non ſuo ſe jam plane defunctum eſſe officio exiſtimavit: ſed vires ingenii, quod ipſi Deus tribuit acerrimum, tum in ſanioris Philoſophiæ, tum ſolidioris Theologiæ inveſtigationem ita intendit, ut nihil labori, nihil ſtudio, nihil ardori omni fecerit reliqui, quo ad comparandam eruditionem Philoſopho & Theologo eximio dignam contendi poterat. Nec ſane fru-

fruſtrata eſt ipſum opera in utroque iſto ſtudiorum genere poſita. Sic enim continue meditando, auſcultando, diſſerendo, diſputando, & ſtudia dies noctesque volutando, id tandem divino beneficio conſecutus eſt, ut tum de ſublimioribus in Philoſophia quæſtionibus, tum de graviſſimis in religione controverſiis judicaret graviter, accurate diſſereret, diſputaret promptiſſime, neque errorum vel priſcorum vel neotericorum eſſet quicquam, quod aciem mentis ipſius effugeret, & quod in conflictu diſputationis ipſe non feliciſſime refelleret. Horum donorum uſu ne diutius res Chriſtiana fraudaretur, omnibus modis præparandus eſſe viſus fuit, quibus ad functiones publicas ſubeundas, illuſtrandamque ſaniorem Philoſophiam & puriorem Theologiam acceſſus poſſet ei fieri expeditior. Proinde in Ampliſſimo philoſophorum ordine, hac quidem noſtra in Academia, locus ipſi honeſtiſſimus aſſignatus fuit: quem qua fide, induſtria, autoritate, non tam tenuerit, quam exornarit, nempe maxima, univerſa hæc noſtra teſtabitur Academia: imo teſtabuntur bene multa operarum ac diſputationum monumenta, quæ apud nos magna cum nominis ſui ἀθανασίᾳ reliquit. Quid de donis illis docendi pro ſuggeſtu Eccleſiaſtico dicamus! quæ profecto in utroque templo noſtro ita nobis & univerſis auditoribus probavit, ut nemo non Eccleſiæ DEI de tali viro vel maxime gratularetur. *In primis vero veritatem doctrinæ cœleſtis, & Sacroſan-*

 ctum

ctum beatiſſimi Patris noſtri Martini Lutheri depoſitum, Symbolum item Auguſtanæ Confeſſionis, primæ illius, minimeque variatæ, ut & concordiæ ſanctiſſimæ Formulam ita aſſeruit, defendit, propugnavit, ut de ὀρθοδοξίας laude nemini non eſſet comraendatiſſimus. Unde factum, ut Spectatiſſimus vir Dominus ANDREAS BEHAMUS NORICUS, cum de inſpectore, viro induſtrio, Erudito, Orthodoxo, Alumnis ſuis apud nos præficiendo cogitaret, hunc potiſſimum M. Werenbergium ipſis præfecerit. Quam etiam provinciam triennio integro tanta fide, pietate, prudentia adminiſtravit, ut majore vix quisquam potuerit &c. Scriptum & Sigillo collegii noſtri publico confirmatum pridie Martini Turonenſis Epiſcopi, cui erat:

Unus amor Chriſtus, Chriſtus timor, omnia Chriſtus, Anno Gratiæ 1609. Witebergæ.

TRanſeo nunc ad Eccleſiaſticum munus, quod illi aſſignatum eſt decimo anno poſt, quam ad Academias migraſſet, cum quintum jam annum Magiſter artium fuiſſet. Concitaverat eam apud omnes eruditionis ſuæ opinionem Werenbergius in ſua patria, ut etiam in vulgus ea exiret atque emanaret, paſſimque per ora populi jactaretur, quam frequentes ille & fructuoſas Witebergæ ſcholas privatas habuiſſet: nec quisquam erat tam perverſi ac præpoſteri judicii, qui non æquiſſimum putaret, ipſius in deferendo honore præ cæteris rationem

nem haberi, qui & civis eſſet nequaquam pænitendus, & bene meriti Eccleſiaſtæ filius, & in artium ſtudiis liberaliſſimis doctrinisque verſatiſſimus. Cæperat autem circa id tempus non citra mortis periculum ægrotare pater Werenbergii, vir & officii laboribus & ætate confectus. Is itaque de filii proſperitate, ut bonum & liberorum amantem patrem decet, ſollicitus, ſerio cogitare cæpit, qua ratione, ſi quid ſibi accideret, depoſitam provinciam hæreditatis loco filio traderet: Cumque ea de re per internuntios ad eos, penes quos ejus rei poteſtas erat, retuliſſet, facile ab hominibus æquitatis & juſtitiæ tenaciſſimis, quod voluit, impetravit; qui tametſi id operam non dediſſet, tamen curatores templi ſatis conſtat, non ita faſtidio quodam & ſatietate ab ſuæ civitatis ingeniis abalienatos fuiſſe, ut iis contemptis ac pro nihilo habitis de externo accerſendo unice laborarent. Cum primis vero faviſſe laudi ac felicitati ipſius cognitus eſt templi illius Archijuratus vir optimæ memoriæ Lucas Becmannus, qui cum ob gravitatem, prudentiam, fidem ac integritatem apud omnes bene audiit, tum magnam ex ea re laudem apud bonos & recte ſentientes adeptus eſt, quod in tribuendis honoribus & civium præ ceteris rationem habendam, & non oportere deteriorem eſſe conditionem domeſticæ & ſpectatæ virtutis quam transmarinæ & incognitæ contenderet. Hunc itaque Becmannum habuit & amatorem admiratoremque eruditionis

M 4 ſuæ,

ſuæ, & laudis exiſtimationisque ſuæ fautorem & buccinatorem. Quod tametſi Pater non ignorabat, tamen, quod ne hoc quidem neſciret, non eſſe in unius arbitrio omnia, paratam eſſe mortuorum oblivionem, ac recte ſentientium patriæque & civium amantium voluntati ab hominibus & novis & novitatis cupidis non tantum reſiſti ſæpe, ſed eam etiam ſiniſtris & iniquis malevolorum ſermonibus nonnunquam aliorſum flecti, in lubrico verſari noluit. Itaque cum ii, ad quos illius quidem adminiſtrationis cura pertinebat, quod ab ipſis æquitas exigebat, id facere ſtatutum haberent, de communi ſententia Witeberga ipſum harum rerum pene omnium ignarum Hamburgum vocant ad ſuſcipiendum munus in æde Petrina Eccleſiaſticum: quo Witeberga diſcedens, legitimæque vocationi morem gerens multis ibi tum deſiderium, tum memoriam ſui præclaram reliquit, non obſcure ſignificantibus: Superiori illum dignitatis gradu fuiſſe digniſſimum, qui jam tum non ſine maximo fructu in Academiis juventutem ſacris diſciplinis informare poſſet. Hamburgum cum veniſſet, celeriter conſecutus eſt favorem & admirationem omnium, cæpitque templum illud, in quo populum informandi partes ipſi aſſignatæ ſunt, mirabiliter tunc celebrari & frequentari. Nam & vox illi ſuppetebat non injucunda, & facultate in dicendo copiaque valebat, & ſapiebant conciones ipſius eruditionem non quidem ſublimem illam

&

& a populi ſenſu intelligentiaque remotam, ſed eam quæ ad captum auditorum eſſet directa & accommodata. Cum quartum jam annum Eccleſiaſtem in æde Petrina egiſſet, Gymnaſium ea in civitate conſtitutum eſt, cujus qui Profeſſores eſſent, partim aliunde advocati, partim ii electi, qui jam Eccleſiaſticis muneribus fungebantur ob perſpectam linguarum principum & philoſophicarum rerum ſcientiam, qua cum præ cæteris, ut ante jam dictum eſt, ipſum inſtructum eſſe conſtaret, viſaque cauſa non eſſet, cur eo neglecto ad alium tranſiretur, Metaphyſicæ & Logicæ Profeſſor deſignatus & nuncupatus; ac ſub idem fere tempus e Sacellano ædis Petrinæ Paſtor ad D. Mariæ Magdalenæ creatus, & in demortui locum ſuffectus eſt: In utroque ſane officio, quorum alterum tanti momenti erat, ut integrum hominem requireret, talem ſe geſſit, ut neutri deeſſet. Qui conciones habentem audiverunt, mecum teſtari poſſunt, quam ſerio iſtam rem egerit, quantaque cum animi & corporis contentione non tantum mores exorbitantium correxerit, ac peccata reprehenderit, ſed & in viam eos reducere conatus ſit; neque id ita faciebat, ut gratioris ſoni voluntate audientium animos expleret, aut ſuaviloquentiæ ſingularis famam apud populum captaret, ſed, ubi ſaluberrimis ſuis præceptis & admonitionibus locum relinqui ſentiret, præclare ſecum agi, eumque ſe fructum ſui laboris capere honeſtiſſimum judica-

 bat.

bat. In vitiis aliorum inſectandis eam moderationem præſcriptionemque tenebat, ut nec aſpere quippiam ac acerbe dixiſſe, nec ſub affectibus animum habuiſſe vel minimam ſuſpicionem cuipiam moveret. Nam cum omnis reprehenſio contumelia vacare debeat, tum in primis ab hoc loco tam venerabili abeſſe eam oportere ſtatuebat. Ac ne ſic quidem & profeſſorii, & Eccleſiaſtici muneris laboribus diſtentus ita domi deſedit, ut non in commune conſuleret, & quam plurimis prodeſſet: ſuas utilitates præ publicis duceret in minimis. Itaque in Theologicis quidem Analyſin librorum Bellarmini de verbo DEI in publicum dedit, ſimulque coronam Evangelicam, ſive ſextuplicem Evangeliorum Dominicalium enarrationem & explicationem literis mandavit: In Philoſophicis Gymnaſmata Logica in Univerſam Philippi Melanchthonis Dialecticam: Exercitationes Logicas & Metaphyſicas: Exercitationes Apodicticas, admonitionesque de Dialectica Rami & alia nonulla emiſit, publicique juris fecit: Inter hæc nihilo minus lectionibus & diſputationibus publicis vacabat, neque adoleſcentium animos rectiſſimis tantum ſtudiis & diſciplinis informabat, atque ad eas omni cura atque induſtria capeſſendas inflammabat, ſed de nobiliſſimis in Philoſophia quæſtionibus cum collegis acute nonnunquam & graviter copioſeque diſſerebat. Quod ſi novos quosdam homines rudes agminum, nec ſatis

accurate calculum ponentes conſiderantesque,

Quid valeant humeri, quid ferre recuſent

In arenam deſcendendi & congrediendi prolubium ſubiret, cum ocioſis & periculi expertibus eſſe licuiſſet, ita eos excipiebat, ut galeatos ſero duelli pæniteret, neque facile deinceps in aciem produci ſeſe paterentur: quod meminiſſent, quam nequaquam commode & ex ſententia in conflictu habiti fuiſſent: neque enim diſſimulabat in ejusmodi adverſarios non veris ſed ludicris ſeſe armis pugnare, neque ira ſed miſericordia dignos eos judicare, quantumvis triſtem illi natura & Pædagogi vultum de induſtria efferarent, credique vellent ſuo ſupercilio tanquam Atlante cælum, ſic rem ſcholaſticam niti.

Sed ut eo revertamur unde huc declinavit oratio, quoniam de ſtudiis ac doctrina Werenbergii hactenus verborum, quantum ſatis eſt, feciſſe videmur, in vita qualem ſe & conſuetudine quotidiana præſtiterit, quibusque moribus fuerit jam videamus. Quanquam autem magni conſilii atqne artis eſt, atteſtante Q. Cicerone, in tot hominum vitiis tantisque verſantem vitare offenſionem, vitare fabulam, vitare inſidias, eſſe unum hominem accommodatum ad tantam morum ac ſermonum ac voluntatum varietatem, nec fieri ulla ratione poteſt, ut omnibus ex æquo placeat uniuscujusque vivendi ratio, tamen quo altiorem quisque civitatis gradum occupavit, eo impenſius ipſi labo-

borandum eſt, ut ſapienter vitam inſtituat. Quod ſi civitatis principum ſplendor facit, ut peccare ſine ſummo Reipub. detrimento ac periculo non poſſint, quanto magis, qui Eccleſiaſtici ordinis facti ſunt, quorumque eſt hoc munus, ut ad virtutes Chriſtiano homine dignas alios cohortentur, exemplo illis eſſe debent ad imitandum. Legem enim ſibi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt. Nam, ut Ciceronis verbis hoc efferam, qui ſibi hoc ſumpſit, ut corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe ab religione officii declinarit? Satis autem conſtat, quam multorum oculis vita ipſorum obſervetur, quamque non in mores tantum & actus, ſed verba quoque eorum diligentiſſime inquiratur: tum ſi tantulum offenſum titubatumque ſit, nemo non exemplum ſe habere, quo exemplo ſibi liceat idem facere, quod illi fecerunt, putat. Itaque cum hactenus non tantum a rerum turpitudine abfuiſſet, ſed etiam a verborum licentia ita ſe ſejunxiſſet, nullum ut in vita veſtigium libidinis ſuæ appareret, ne vel peccandi occaſioni, vel ſiniſtris de ſeſe aliorum ſermonibus locum daret, ad matrimonium capeſſendum animum adjecit, duxitque domum anno fere poſt, quam munus ſuum ſuſcepit Mariam Rever. & Cl. viri Domini Salomonis Gesneri, Theologiæ Doctoris & in Academia Witebergenſi Profeſſoris filiam, cujus mores quod

ex

ex domeſtica conſuetudine perſpecti ipſi eſſent & explorati, obſervato Heſiodi præcepto, qui jubet e proximo peti ſociam & vitæ conſortem, dubii eventus fortunam ſubire noluit. Nec fefellit opinionem ejus lectiſſima virgo, quæ bene pudiceque educata usque ab adoleſcentia, adeoque ex optima diſciplina profecta, ex quo cum ipſo nupta eſt, ſemper illum, quod honeſtam matronam decebat, coluit, diligentiſſimeque obſervavit, adeoque concorditer cum ipſo & amore mutuo ipſos tredecim annos vixit, ſeptemque ex illo liberos, maſculi ſexus tres, quatuor ſequioris ſuſcepit, quorum tribus præpoſtero naturæ ordine denatis, qui ſuperſtites ſunt, ſumma diligentia a matre piiſſima, & non ignara, quantum in prima educatione momenti ſitum ſit, ad pietatem & virtutis ſtudium condoceſiunt, ad cujus graviſſimum dolorem, quem ex dulciſſimi fratris M Pauli Gesneri, in inclyta Luneburgo Paſtoris paulo ante fato functi obitu cepit, hic multo etiam acerbior ex optimi mariti inſperata morte hauſtus cum acceſſerit, verum eſſe deprehendimus Senecæ illud: Finis alterius mali
Gradus eſt futuri.

Non omittendum videtur, quam adverſum & gravem caſum expertus ſit paucis poſt annis, quam matrimonium inivit: Vix infantiæ annos egreſſa erat filia ipſius natu maxima Anna, cum a muliercula quadam, quæ gerula fortaſſe antea puellæ fuerat, per familiaritatis ſpeciem

&

& verborum blandimentis, & quibus tantula ætas capi ſolet, munuſculis ludibunda ab ædibus paternis aut vicinis pellecta extra urbem abducitur, ac ſpoliata, qua veſtes forte aſtrictas habebat, catenula argentea, in loco longiore a parentum ædibus intervallo remoto collocata deſtituitur, lacrymis, cum aliud non poſſet, & raptum ſuum, & quo eam affectam fuiſſe credibile eſt, parentum deſiderium conqueſta. Num quicquam ægrius parentum animis accidere potuerit hac calamitate, rectius quam ego judicare poſſunt, qui liberos & procrearunt, & ardenter eos diligunt: Incredibile eſt, quanta ſolicitudine de ſalute filiæ fuerint parentes, quamtamque in eam curam diligentiamque contulerint ſuſpicantes a Chriſtiani ſanguinis inſidiatoribus e proximo ad cædem raptam. Pater ipſe non tantum circa omnes angulos quovis precio conductos plurimos ſcrutatum mittere, ſed ipſemet etiam ſudore madens ac diffluens omnes plateas perreptare viſus eſt, nec finem quærendi facere, aut quietum animum habere, quam ſuburbano quodam prædio receptam eſſe comperto videndæ illius copia ipſi facta eſſet. Pietatem ille, ad cujus ſtudium cohortari ſuos auditores diligenter ſolebat, pura & integra mente colere, recteque & honeſte curriculum vivendi a natura datum conficere, perſonamque quam gerebat, ita populo probare, ut, quod Cæſar a ſuis exigebat, non crimine tantum, ſed ejus etiam ſuſpicione careret,

nec

nec obſcure præ ſe ferre, quicunque vitam doctrinæ non conſentaneam agerent, nihilo minori odio ſibi eſſe, quam Macedoni Philoſopho fuerint illi, qui cum Philoſophos ſe credi vellent, tamen in quo alios objurgarent, id ipſi imitarentur, de quibus hunc Pacuvii verſum *recitare eum ſolitum tradit Gellius:

Ego odi homines ignava opera, & philoſopha ſententia.

Ingenio erat comi, liberali & humano ad gratificandum: Ætate & dignitate ſuperiores ſtudioſe obſervabat & colebat, æqualibusque ſua officia in familiaritatis ſuaviſſimo uſu præſtabat, non oblitus Syracidis illud: Quanto ſuperiores tanto ſubmiſſius nos geramus. Mirum autem in eo fuit ſerviendi aliorum commodis ſtudium, obſequiumque ſuum in promptu eſſe cunctis voluit, iis præſertim quos propter ſuam impotentiam negligi & adverſariorum opibus ac potentia premi videret, quibusque in cauſæ ſuæ æquitate parum præſidii erat. Pro horum illere vigilabat, eorumque ſe acrem defenſorem oſtendebat, injuriamque ab iis qua poterat, propulſabat, neque dubitabat in illorum gratiam invidiam aliquam ſubire: Cum vi opprimi in bona cauſa melius eſſe putaret, quam malæ cedere. In primis vero verbi divini miniſtrorum viduarum & liberorum ſaluti conſulere, ſingularemque illis benevolentiam præſtitiſſe cognitus eſt. Novi ego, quæ multum debere ſe ipſi hoc

* *Lib. 13. N. A. c. 8.*

hoc nomine fatebantur, qui duas honeſtas, quod accuratiſſime ſe ſuamque cauſam tutatus eſſet, neque laborem tantum ob ſuum negotium capere, ſed moleſtiam etiam difficultatemque ſuſcipere ſuſtinuiſſet. Quo quidem ex ſtudio non officii ſolum fructum, ſed pietatis etiam laudem ſibi comparavit. Me quidem, quem ob amicorum, qui vere meæ ſaluti faverent, paucitatem, injuriæ opportunum videbat, non tantum conſilio fideli ſæpe adjuvit, ſed etiam de commodis ac ornamentis meis toto animo cogitare à me perſpectus eſt. Vehementer autem ſibi diſplicere oſtendebat eos, qui cum propter autoritatem, qua valerent, in tutandis viduarum cauſis multum poſſent, facile paterentur eas negligi, & neque incommodis earum ſerio afficerentur, neque leviſſima perficiundi negocii difficultate propoſita, voluntati ac ſtudio illarum ſervire animum inducerent.

Quartum jam annum in demandata ſibi functione Paſtorali & Profeſſoria agebat, cum ab univerſa Academia Witebergenſi Profeſſor Theologiæ nominatus ad Electorem Saxoniæ una cum Doctore Hunnio & M. Jacobo Martini, ut ex tribus hiſce, (verba ſunt primarii ejusdem facultatis Theologicæ Profeſſoris) eligeret Sereniſſimus Elector, per quem locus obitu D. Hutteri evacuatus in collegio Theologico compleretur. Atque hæc non ex ejusdem tantum Hutteri literis, ſed etiam publicis Academiæ librariis edoceri poſſe intelligo. Hutte-

rum

rum ſane conſtat, tanto ipſum amore proſecutum eſſe, ut non abſentem memoria tantum coleret, deſideriumque tam chari capitis literis mittendis accipiendisque leniret, ſed reditum etiam ad ſeſe Witebergam vehementer deſideraret. Quo factum ut ſæpe collegam ipſum, ſæpe ſucceſſorem in literis ad Amicos datis optaret. Ac erat quidem ille patriæ amans, & quicquid aut ingenio aut induſtria poſſet, ad eam ornandam & amplificandam conferri æquum eſſe putabat, ſic tamen, ut æquiſſimo animo cariturus eadem videretur, ſi novitatis amore inſanientem domeſticæ & ſub eodem cælo natæ virtutis tædere deprehendiſſet.

Inter hæc afflictæ valetudinis multas nec dubias ſignificationes dedit, ad quam porro labefactandam non parum attuliſſe adjumenti putatur inopinatus obitus M. Pauli Gesneri uxoris ejus fratris. Nam qui cum conjunctiſſime hactenus ita vixiſſet, nihil ut illorum familiaritate fieri poſſet conjunctius, eum a ſe non ſine graviſſimo atque acerbiſſimo dolore divelli mirandum non eſt. Intervallo enim locorum quanquam inter ſe disjuncti erant, tamen multis ſæpe congreſſibus aviditatem deſiderii implebant, & ſe invicem perfruebantur. Atque hoc gravius mortem affinis tulit, quo ardentius & conſtantius & ipſum amarat, & ab eo ſe amari cognoverat. Auctus igitur hac ægrimonia morbus adeo invaluit, ut & lecto ipſum affligeret, & hydropem deſineret. Non deſtitit ille

 qui-

quidem omnes vias perſequi, quibus morbum depelli poſſe putabat, neque non nullam in medicorum arte atque fidelitate recuperandæ ſanitatis ſpem collocavit: ubi tamen ad exitum vitæ ſe vocari ſenſit, & ſpe & cupiditate diuturnioris vitæ abjecta, totum ſe divini Numinis arbitrio permiſit, donec augeſcentis morbi magnitudine oppreſſus merito & obedientia Filii DEI Servatoris noſtri ſubnixus placide mortem obiit Anno ætatis quadrageſimo & ſecundo, quarto Kal. Februar. Anno Dominicæ nativitatis MDCXXII.

Hæc fere habui, quæ de vita & morte præſtantiſſimi quondam Werenbergii literis & memoriæ mandarem, qui vivus & ſuperſtes non illi tantum ordini, cui adſcriptus fuit, ſed univerſæ etiam civitati Hamburgenſi ornamento fuit: quod eo plures mecum fatebuntur, quo pauciores reperiri deprehenderint, quibus nec arma nec animus ad defendendam propugnandamque veritatem deſint. Quemadmodum autem omnibus iis, quibus veræ virtutis & ſolidæ eruditionis ſtudium curæ cordique eſt, mortem Werenbergii acerbam eſſe dubium non eſt: Ita illos, quibus ſemper aliena eruditio ſuſpecta & virtus formidoloſa eſt, in vere doctorum diſceſſu invitis oculis lacrymas effundere non mirabimur, illud tamen perſuaſiſſimum habentes; utcunque noſtra judicia malignitas & invidia tardaverit, verum aliquando poſteros eſſe dicturos.

IN

IN OBITUM
REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI
DOMINI
M. JACOBI WERENBERGII,
Paſtoris ad Mariam Magdalenam & Profeſſoris Gymnaſii Fideliſſimi.

I.

NOn omnis moritur, cujus poſt funera virtus
Vivit, & a tumulo pervolat ora virum,
Te JACOBE quidem functum Libitina recondit
Parte tenus, matrem quæ repetivit humum,
Unde educta fuit quondam, mens ætheris alti
Incola degenerem ſpernit & odit humum:
Vivis & in ſcriptis CLADI Victricibus, & queis
In ſacros fidei ſemina ſpargis agros.
Accedit pietas & ſedula cura VAGETI
Lethæisque vetat merſa perire vadis,
Dum calamo genium condit moresque diſerto;
Senſit condentem Livor & ingemuit?
Felices! patriam Juviſtis uterque docendo,
Alterius letum vita duobus erit.

Joannes Husvvedelius,
Academiæ Roſtochienſis Profeſſor Publicus. F.

II.

BIſſenum genitor patrum natale reviſens
Poſt peregrinatus luſtra quaterna ſolum,
Dante DEO invidiæ ſpoliis ditatus opimis,
Servitio, armentis, lanigerum gregibus;
Dum pergens fratrem adverſum formidat Eſavum
In formidandum venit agonis opus.
Namque æterna Patris Virtus ſuperi atque poteſtas,
Indutura hominem, perſtet ut eſſe DEUS,
Robuſta referens athletæ habitudine formam,
Provocat ad luctæ certa pericla virum.
Jamque lacertorum nexu hinc atque inde valentum
Occupat: & victum Marte volutet humi;
Ille niſi obnixus membrorum mole toroſa,
Pancratico fortis robore luctam obeat.
Tractus uterque trahit, quaſſus quatit, incubus urget:
Urgetur pectus pectore, pesque pede.
Turbida commoto ſtat circum e pulvere nubes,
Roſcida nox donec luce fugante fugit.
Fallor an hæc Chriſtum cujusque colentis imago eſt?
An tua Wernbergi myſta verende DEI?
Quem fato ſibi raptum Eccleſia luget acerbo:
Ubertim lacrymis ora decora rigans.
Factus enim a teneris genio ingenioque potenti
Doctrinarum axes ſcandere multijugos;

Ut

Ut mentem ſolido ſtudia ad graviora paratu
Inſtruxiſti, morumque arte probata animum!
Exiſti peregre linquens natalia rura,
Nereus Albiacas qua ſubit hoſpes aquas.
Exiſti peregre mercatus doctus ad amplos,
Ut tibi rem Sophiæ doctior amplifices.
Diæ Helmæſtadium rationis acumina format
Ac docet in VERI ſe illatebrare adytum,
His recluſa patent myſteria cuncta Lycæi
Quæ bene diſtinctis condita ſunt ſpatiis:
Dum vigiles ducit tua lucubratio noctes:
Verſat & aſſidua lecta, relecta manu.
Blanda replet pectus Latiaris flumine linguæ,
Et vim flexamini Suada dat eloquii.
Colluſtrat Pietas divino lumine mentem:
Cui domitus ſancta lege cupido ſubeſt.
Dotibus his auctum acceptat Mons Albus ad Albim:
Et meritæ laurus cingit honore caput.
Quin mox adjungit ſocium ſacer ordo ſophorum:
Adjunctique magis claret honore tui.
Diſciplinarum totum ſic ſedulus orbem
Perluſtras Logices vera probante face,
Scita juvat veterum ſcitu præclara tueri?
Vindice Te ſciolum dogmata vana ruunt,
Auguſtæ articulos defendere relligionis?
Vindice Te hæreſeon computruere theſes.
Intonat inde bonæ Wernbergum buccina famæ
Clara per Eoas Heſperiasque plagas.

Quam te doctorem cupidæ retinere juventæ
Vellent Leucoreæ pulpita celſa ſcholæ.
Patria ſed contra doctorem Eccleſia poſcit,
Doctrina ac ſtudiis perfruitura tuis.
Gambrivium ergo redis virtutum divite cenſu,
Eloquio & rerum cognitione potens.
Nunquid ut alta quies te vitæ tradat inerti?
Mortis habet ſpeciem vita labore carens.
Cum tamen uni det quod agat ſatis una palæſtra,
Ingenio datur haud una palæſtra tuo,
Tanto te prenſum exercet luctamine Chriſtus:
Curet ut hinc populo commoda multa ſuo.
Cælica verba docens certas tecum ipſe docendo:
Doctiloquo pendens concio ab ore ſtupet!
Ore illo florum fæcundo ſuaviter halantum:
Irriguus ſacro fonte quod hortus erat.
Unde Evangelicæ ſertæ decus ambiit annum,
Illud ſextuplici plectile flore decus.
Quid memorem ſcholico ſudans in pulvere quanta
Vi fœdam înſtiteris frangere barbariem?
Ut Sophiæ auderet Muſis exculta juventus
Ex ſuperare altum te præeunte jugum.
Quid? tibi quod nec priva indulges otia: tanti eſt
Sarta Evangelicæ prodere jura fide
Ne volucres noctis puras mentita columbas
Turba, impune nigrum virus ab ore vomant.

At-

Atque ita dum noctuque diuque inſtans tibi, res ut
Sit maneatque urges, publica ſalva DEI;
Corporis imbelles nimis hei, minuiſcere vires:
Epar & ingenuo fomite deſtitui.
Quid tandem? o dolor, o luctus, tentamen ab arte
Omne Machaonta nil valet, ut valeas.
Vertebram Iſacidæ femoris tangendo DEUS vir
Luxat: luxatus coxat & illė femur.
Tu quoque jam luctæ multo languore fatiſcens
Tangeris a Chriſto ſic Jacobe DEO.
Tangeris æternæ requiem tibi pacis anhelans:
Corpore uti claudat vita ſoluta tuo.
Quid lamenta juvant, lacrymæ, lugubria? ſi mors
Iſta tibi duro eſt vera ab agone quies.
Felix, qui ſtudia & curas & tempora vitæ
Et cunctas animi impendere promus opes,
Sancta tuis potuit voluitque Eccleſia rebus.
Hunc pretium impenſæ gloria viva manet.
Quæ cælo cum te faciat terraque perennem,
Eja athleta DEI ſalve & ave atque vale.

Amitino deſideratiſſimo mœrens faciebat

Bernhardus Meierus, Holſatus.
Et Paſtor Haffnienſis.

III.

ΔΙΑΛΟΓΙΣΜΟΣ ΑΔΕΛΦΙΚΟΣ.

QUod vitæ meditabor iter, mi mellee frater,
Quod ſequar aut fugiam? quadruplicata via eſt,
Anne voluptatum, vitai ut tædia frangam,
Me lenociniis deſidiæque dabo?
Indigus haud mercis pluvii aut Jovis, accola Nili
Humanam indigitans, ut monet, effigiem?
Indulge genio, fuge curam, exporrige frontem,
Hoc fœnus vitæ, hinc flebile funus eris.
Theſaurosne legam, fulgentis & æris acervos,
Hoc ſatagam rutilos ſtranguletarca DEOS.
Sacri jura fori venalia, templa ſcholæque,
Sint fortunati dummodo liberuli.
Auri pone famem ſeſe comes addet honorum:
Odero pontificem nomine, rene ſequar?
Splendida nempe decus, laus, nomen, adorea res ſunt,
Elatos acuunt exagitantque viros.
Intento ſtudiis animo impalleſcere chartis
Nocturnis libitum, fruge Cleanthis, erit?
Metiaran phæbi radio phœbesque labores:
Cur celer hybernis ſolibus inſit iter
Tangendi oceanum, quænam mora noctibus obſit
Tardigradis, mihi num quærere delicium?

De-

Denique virtutem nitarne extendere factis:
Et pulcrum patriæ rebor amore mori?
Hæc mage conciliant vitam Germane beatam,
Orphana deliciis, orphana divitiis.
Vive DEO, Spartam quam nactus alacriter orna,
Exemplarque aliis integritatis eris.
Virtutem digna ſe dote amplectere nudam,
Sordibus a mundi præmia nulla ferens.
Deſpice res mundi, ſunt gaudia plena doloris,
Plena laboris opes, plena timoris honos.
Cui nihil in vita vita jucundius usquam eſt,
Virtutis vitam vivere nemo poteſt.
Sis patiens, vivum quamvis pigrilumbus aſellus,
Te male mordicibus, mortuum hyæna petat.
Immeritus quicquid patere, exantlare memento:
Cælitus haud veniens plaga dolenda venit.
Aſpice Chriſtum oculis fidei meritoque beari
Solius ſatagas, expetitoque frui.
Nævorum veniam gemebundo poſcito corde,
Hoſtibus ignoſcas, fratribus atque tuis.
Verba DEI reverenter habe, menſa utere ſacra.
Et bene ſic vives, & moriere bene.

Sicque DEI mecum ſophia & bonitate frueris,
Victrices palmas in manibusque feres.

Beatis manibus optimi & deſideratiſſimi Fratris, amoris ergo

a

Bernhardo Werenbergio, F.

Rühm-

Digitized by Google

Rühmlicher Lebenslauff

Des

Weyland Wohl-Ehrwürdigen/ Groß-achtbahrn und Hochgelahrten

Herren

M. JACOBI

Groſſen/

Der Pfarr-Kirchen zu S. Catharinen allhie Wohlverdienten Paſtoris,

Nach

Seinem Ein-Fort-und Ausgange/

auf begehren mit wenigen gezeiget

Von

M. Gottfried Geſen/

der Pfarr-Kirchen zu S. Nicol. Paſt.

Hamburg/

Gedruckt bey Jacob Rebenlein/ An. 1652.

Wiſſet ihr nicht / daß auf dieſen Tag ein Groſſer gefallen iſt in Iſrael ? a.) Dieſe Klage-Wort König Davids / die er / da Abner geſtorben und begraben worden / zu Hebron mit Weinen und Klagen ausgeſprochen hat / wird auch wohl ohnzweiffelich manch from̃ Davids Hertz / das es zu Hertzen nimmt / wenn der Gerechte umkömmt / b) und darauf achtet / wenn heilige Leute werden auffgerafft / in dieſem Jahre allhie zu Hamburg offt zu Hertzen genommen / und mit Weinen und Klagen ausgeſprochen haben. Denn da am vergangenen 5. May / der Weyland Edle / Veſte / Hochgelahrte und Hochweiſe Herr Johann Brand / J. U. L. und dieſer Stadt wohlverdienter Bürgermeiſter / und am 27. Auguſti / der auch Weyland Edle / Veſte / Großachtbahre und Hochgelahrte Herr Johann Chriſtoph Meurer / J. U. D. und älteſter Syndicus allhie / wie eine Blume c) abfielen / da hieß es ja von einem jeglichen unter ihnen / Wiſſet ihr nicht / daß auf dieſen Tag ein Groſſer gefallen iſt zu Hamburg ? Als welche ja groß waren / von wegen des groſſen weltlichen Obrigkeitlichen Amts / darzu ſie der Groſſe GOtt d) erhaben / und zu ſeines Reichs Ampts-Leute e) geſetzet hatte. Alſo da am 24. Martii / der Weyland Ehrwürdige / Achtbahr und Wohlgelahrte Herr M. Nicolaus Staphorſt / Prediger zu St. Johannis allhie / und am

a) 2. Sam. 3. 38.
b) Eſ. 57. 1.
c) Job. 14. 2.
d) Tit. 1. 13.
e) Weißh. 6. 5.

am 1. Julii/ der Weyland Ehrwürdige Achtbahr und Wohlgelahrte Herr Benedictus Palenius, zu St. Nicolai allhie geweſener Diaconus, wie eine Blume abfielen/ da hieß es auch von einem jeglichen unter ihnen/ Wiſſet ihr nicht/ daß auf dieſen Tag ein Groſſer gefallen iſt zu Hamburg? Sintemahl ſie beyde groß waren/ von wegen des groſſen geiſtlichen Kirchen-Ampts/ dazu ſie der groſſe GOtt erhaben/ und zu Chriſtus Diener und Haußhalter über GOttes Geheimniß/ f) und zu Bothſchafften an Chriſtus ſtatt g) gemachet hatte. Und daß ich mehr Groſſen/ die allhie in dieſem Jahre/ wie eine Blume abgefallen/ als ſonderlich der weyland Vortrachtbahren und Fürnehmen **Johann Lückens**/ und **Henrich Wichmans**/ welche in dieſer groſſen Bürgerſchafft Groſſe und Oberalten waren/ geſchweige/ an welchen das gedachte Frage- und Klage-Wort/ Wiſſet ihr nicht/ daß auf dieſen Tag ein Groſſer gefallen iſt zu Hamburg/ auch erfüllet worden iſt/ ſo iſt ja aufs neue in dieſen Tagen ein Groſſer zu Hamburg gefallen/ in dem am 14. September/ der Weyland Wohl-Ehrwürdige/ Großachtbahre und Hochgelahrte Herr M. **Jacobus** Groſſe/ wohlverdienter Paſtor allhie zu St. Catharinen/ wie eine Blume abgefallen/ deſſen verwelckter Leib am heutigen Tage/ wie eine verwelckte Blume/ in die ſcheure der Erden/ getragen und beygeleget wird/ von welchem Groſſen man eben ſo wohl/ wie von den vorgedachten Groſſen/ daß gedachte Frage- und Klagewort/ Wiſſet ihr nicht

f) 1 Cor. 4. 1.
g) 2 Cor. 5. 20.

nicht/ daß auf dieſen Tag ein Groſſer gefallen iſt zu Hamburg? Führet/ und zwar billig: Denn wir wiſſen ja nicht/ob uns auch dieſer Groſſen Fall nichts böſes bedeuten möchte. Wenn die Häupt-Seulen an einem Gebäu umfallen/ warlich ſo ſtehet das gantze Gebäu in höchſter Gefahr: Nun ſind in dieſem Jahre/ an unſerm Rahthauſe zwo fürnehme Regiments-Seulen/ und an unſerm Gotteshauſe drey Kirchen-Säulen/ unter welchen die eine/ eine Häupt-Seule war/ umgefallen. Lieber GOtt/ erhalte uns doch die übrigen Regiments-Seulen am Rahthauſe/ und die übrigen Kirchen-Seulen am Gotteshauſe/ und verhüte doch in Gnaden/ daß nicht etwa durch dieſer umgefallener Regiments- und Kirchen-Seulen Fall/ weder dem Rahthauſe noch dem Gotteshauſe einige Fehrlichkeit zuſtoſſe/ noch an uns wahr werde/ was dort der H. Ambroſius ſchreibet! *Magnorum Virorum funera, mutationum & calamitatum ſunt prænuncia*, Groſſer Männer Tod/ ſind gemeiniglich Vorboten/ bevorſtehender Enderung und Noth/ da in Egypten die groſſe Regiments-Häupt-Säule der Joſeph umfiel/ erfolgete darauf der Iſraeliten ſchwere Dienſtbarkeit: Und da in Deutſchland die groſſe Kirchen-Heupt-Seule/ der Herr Lutherus am Tage Concordiæ, h) umfiel/ iſt darauff der deutſche Krieg mit Macht angangen/ und iſt leider feſtum Diſcordiæ in viel Landen/ Kirchen und Schulen eben gefährlich und ärgerlich gehalten worden: Und wenn GOtt Jeruſalem ſtraffen will/ ſo nimmt

h) *Mattheſii* 7. Predigt von der Hiſtorien des H. Luth. *p.* 70.

MErebatur octava Idus Junias dies, quæ JOHANNEM MULLERUM edidit in lucem, non minus feſta ac ſolenni ceremonia coli, quam fieri par eſt natalibus eorum, qui meritis immortalibus orbem ſibi devinxerunt. At poſtquam is ſuperiori anno cœlo ſuo redditus eſt, dubium una fecit, majorine gaudio agendæ hodie benigniſſimo Numini gratiæ eſſent, quod tamdiu indulſit eum nobis, an, quod ad ſe receptum ademit iterum, dolendum gravius. Neque enim cenſeri vilius damnum poteſt, quod morte illius fecimus, quam commodum, quod accepimus a vivente. Et vehementer vereor equidem, ne ut ipſe non dubius interpres ſingularis erga nos benignitatis atque amo-

ris

ris divini natus fuit; ſic averſum nunc a commodis noſtris animum Numen gerat, dum hac tam gravi tempeſtate eripuit rebus noſtris, qua maxime indigebat hujus Palinuri ope nudatum undique & concuſſum & fractum Eccleſiæ navigium. Cui, ſi recte putemus, extrema tantum non imminent omnia, poſtquam is deceſſit in medio fluctu Magiſter, cujus vel unius prudentia atque dexteritate vindicari a præſente naufragio poſſe videbatur. Sed res quidem illa DEO curæ erit. Ad nos vero pertinet, tum alias ſemper, tum hoc ejus natali recolere merita VIRI ac virtutes, & quas in vivo æſtimare amplius non licet, venerari in defuncto. Solebant ita & veteres illorum natales ſingulari religione proſequi, quorum dotes atque eruditionem virtutemque maxime æſtimabant: ſive ſupereſſent in vivis, ſive mortem jam oppetiiſſent. Silius certe Italicus natalem Virgilii religioſius, quam ſuum celebrabat: Neapoli maxime, ubi monumentum ejus, ut templum adire ſolebat, ſi Plinio juniori fidem habemus. Et quis vitio vertet nobis, ſi hunc diem ipſum, qui natalis Beato MULLERO fuit, tanto colamus ſolennius, quanto majori & vita ejus admirationi, & damno mors fuit? Ego vero neque fritilla pulte, neque thure ac libis vinoque placabo genium, nec priſcæ ſuperſtitiones quicquam revocabo ex Orco. Indigna talis pietas eſt nomine, quod in baptiſmo induimus, multoque minus ſummi Theologi manibus conve-

nit. Senecam imitabor, qui ſic ingentium ſed virorum natales celebrare ait, ut ipſorum imagines, quaſi incitamenta animi, intueatur, eoſque honoris cauſa ſemper appellet. Quidni enim, quærit alicubi ex Lucillio, magnorum Virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & Natales celebrem? quidni illos honoris cauſa ſemper appellem? Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Aut veterum potius Chriſtianorum æmulabor inſtitutum, qui in natalibus martyrum ad ſepulchra aut locis vicinis comparebant, ut precarentur, Deoque gratias agerent, memores pietatis & conſtantiæ, virtutumque cæterarum, quarum egregia ſancti iſti exempla dediſſent, utque ad hujusmodi Zeli imitationem incitarentur, ceu Baſilius M. alicubi loquitur. Eſt enimvero optima hæc certiſſimaque ratio honori defunctorum pariter & noſtris commodis velificandi. Quam & ipſe gentium Doctor ſuggerebat, cum ſuis inter Ebræos diſcipulis memoriam inculcaret Doctorum, a quibus doctrinam cœleſtem imbibiſſent; illorumque vitam & exceſſum contemplandum cum ſtudio, imitandamque fidem ac virtutem proponeret. Quæ in MULLERO quidem quanto rarior ac mirabilior emicuit, eo curatiori opera exponi poſcit. Ex iſtis maxime roſtris, quæ non modo divina animavit eloquentia Lutheri, cujus inter hyperaſpiſtas primæ

MUL-

MULLERO debentur; ſed eruditiſſimis ipſius quoque vocibus, ac ſcholis, quas Profeſſor olim Ordinarius habuit, ſtrepere adhuc & perſonare quaſi videntur. Et quæ in Orbe Lutherano Academia Te potius, o alma Mater, Natalem celebraret MULLERI, aut prædicaret virtutes? Tu prima artibus ac Philoſophiæ ſtudiis perpoliiſti immenſum pectus; tu auguſtiſſimæ ſcientiæ ſemina injeciſti, germinatura in ſegetem toti Eccleſiæ poſtea profuturam. Tu fundamenta jeciſti pariter & faſtigium ipſum impoſuiſti ampliſſimæ dignationis. Tu Magiſtrum, Licentiatum, Doctorem renunciaſti. Tu & diſcipulum formaſti, & venerata docentem es, non verax minus maximarum dotium teſtis, quam grata laborum remuneratrix. Te unam ſic amplecti ille & exoſculari per omnem vitam, ut nec ſupremis temporibus pietatem iſtam in Wittebergam ſuam exueret. Ultimum faciebat Venerabilis Antiſtes in Lyceo, cui Inſpector datus erat, profectuum periculum, quod Examen vulgo vocant, ſolenni Oratione ex more ab ſe finiendum. Omniumque jam ora in ſe converterat, quod neminem non ingens ſuſpenderet exſpectatio, ecquod argumentum lecturus eſſet ſermoni diſertiſſimus Orator. Cum ille: *de mea Witteberga*, (ſic auſpicabatur) *de Witteberga*, *inquam*, *mea verba ad vos faciam*, *Auditores!* Redde, Witteberga, vicem, & poſtquam obmutuit aureum illud os, quod paulo ante, quam clauderetur, in tuas laudes, ac pro incolumi-

lumitate tua vota tam pie, tam facunde ſolvebatur, os tuum aperi, inque MULLERI tui, tui, inquam, MULLERI virtutes, laudes, præconia plenis, ut ſic dicam, velis invehere. Atque hoc unice mea intendet oratio, accendere ſcil. alios, ut ingenii verborumque copiam, qua ego utraque deſtituor, ad MULLERI virtutes vivis illuſtrandas coloribus conferant, quarum primas lineas ducere conſtitui in præſenti. Abſit enim, ut meæ opis eſſe confidam, eum laudare, ut par eſt, Theologum, cujus virtutibus meritisque ne æſtimandis quidem ſufficio. Quanquam enim ab iis artibus, in quibus principatum MULLERUS tenuit, nullum ætatis meæ tempus fatear abhorruiſſe; quis tamen tyro tam nugator eſt, ut vel tantillum gloriæ veterano ac præcipuo in militia duci a præconio ſuo accedere poſſe exiſtimet? Pietati litandum duxi, quæ, quantum meritis ſummi Theologi; quantum litterariæ familiaritati, quæ PAULUM MULLERUM, maximo Parente non minorem, ſi fata ſiviſſent, futurum Filium, cum in convictu communis Præceptoris, magni KROMAIERI degeret, arctiſſimo mihi nexu copulabat; quin & piis manibus Generi cum Socero atque Affine jam triumfantis, Excellentiſſimi illius piiſſimique SCHWENCKII, poſtremo & ſingulari affectui, quo Filius idem & Collega ſanctiſſimi Præſulis hunc hominem adhuc complectitur, quantum, inquam,

quam, his omnibus debeat, publice geſtit profiteri. Hujus ſi pietatis, & obſequii, quo MULLERORUM genti alligatus teneor, laudem impetravero, facile eloquentiæ fama (quæ non niſi excellentibus ingeniis obtingit) excidam. Mihi autem & in benevolentia veſtra præcipua ſpes eſt, Auditores, quibus cum maximi fuiſſe B. Virum compertum habeam, nec ingratam fore confido vitæ, quam ſumma cum laude traduxit, commemorationem. Simplicem quidem illam, & omni verborum fuco carentem. Maſculam enim & infucatam vitam, comta muliebriter & calamiſtrata dedecet Oratio. Quam ſi lacertis etiam defici & nervis intellexeritis: attentionem, quam mea mihi infantia polliceri non audet, Veſtram dignitati incomparabilis, de quo dicendum eſt, Viri non denegabitis.

Cum geminam Rhetores præcipiant rationem exponendi de Viris illuſtribus, atque vel incedere per tempora & ætatis ſequi ſeriem, vel per ſpecies exequi, & ad certa capita rem omnem jubeant reducere: neutram harum viam ſatis commode inſiſtere poſſe videor. Altera enim, cum artificium exactius ab Oratore poſtulet, (unde & artificialem ordinem appellant magiſtri) difficilior eſt, quam ut ſuperari abs me poſſit. Cum præſertim ea ſit Virtutum MULLERIANARUM copia, ut obruere potius dicentem exundantis inſtar fluviii, quam ſuis coërceri alveis, ſuis includi carceribus ſuſtineat. Altera vero ut ingreſſu facilis ſit, proli-

xi-

xitate deterret. Quanto enim longiorem vitam MULLERO ſingularis DEI in genus Chriſtianum benignitas conceſſit; hoc uberiorem virtutum meſſem edidit ipſe. Quam ſi eo colligere ſtudio velimus, quod ſpicilegium non relinquat, non minus temporis dicendo, quam vivendo exegit ipſe, conſumere neceſſe fuerit. Ego vero qui arctis me ſpatiis circumſcribi intelligo, pictores imitabor, qui ingentem hominum vim, ac numeroſiſſimos ſæpe exercitus non maxima tabula comprehenſuri, ſpeciem aliquot ordinum exprimunt utcunque, cæteram turbam confuſam implicitamque cœca quadam circellorum compage, cogitandam potius animo, quam videndam oculis objiciunt. Utque Geographi latiſſima flumina lineis, punctis urbes maximas deſignant, cum ſchemate exiguo deformandus regni totius vaſtiſſimus ambitus eſt: ſic ego in MULLERIANÆ vitæ virtutisque ſpatiis ſermone emetiendis plura cogitanda vobis relinquam, aut exponenda aliis diſtinctius, aliqua ſaltem velut exſtantiora indicaſſe contentus. Natalis inprimis habebo rationem, cumque antiqui hoc nomine tum illum diem, quo quis in lucem editus, tum tempus etiam iſtud, quo præcipuos honores indeptus, aut re præclare geſta innotuiſſet publice, denique & lucem, quæ lucem ademiſſet, aut ex hac vita potius, quæ veriſſima mors eſt, in alteram illam ac meliorem nova quis nativitate intuliſſet; ad triplicem hunc MULLERIANI

NA-

NATALIS articulum reſpiciam maxime. Ac de primo quidem natali, quo in hoc vagire cœpit infans, qui divinis vocibus juvenis olim & vir, atque Senex animaturus Eccleſiam erat, hoc parcius diſſeram, quo minus inde laudis ad MULLERIANAS virtutes accedere videtur potuiſſe, quæ ſic in ipſo emicuerunt, ut, quicquid de natalium, patriæve ſplendore dici alias ſolet, meræ ſint umbræ ac tenebræ. Is enim erat MULLERUS, qui afferre potius generi ſuo decus ac ornamentum, quam accipere inde poſſet. Eſt equidem, ut Origenes alicubi contra Celſum diſſerit, felicis, & propria & majorum gloria fulgere: magnum vero & mirabilem eum dixeris, qui ſua primus virtute tenebras perrumpit, in quibus natus, facemque accendit, quæ & ſibi, & univerſæ poſteritati ſplendorem ac lumen circumfundat. Itaque cum is Pater contigiſſet Noſtro, qui nec majorum luce conſpicuus, & ipſe juvenis quidem Divo Rudolpho Imp. Aug. miniſteria ſua probaſſet, poſtea vero vix alio, quam viri ac civis boni nomine apud Vratislavienſes ſuos innotuiſſet, admirandus hoc magis eſt, quod immortalem gloriam, quæ nomen MULLERIANUM poſthac comitabitur, non amplificavit aliunde acceptam, tuitusque eſt, ſed peperit ipſe & acquiſivit non ſibi tantum, ſed natis natorum, & qui ab illis naſcentur. Qua in re divinam venerari benignitatem convenit, quæ tum demum lumina hujusmodi impertit mundo,

do, cum prolixiſſimo affectu promotas res mortalium cupit. Tum ergo eos diſpenſat orbi, qui deſtinata rectiſſime perficiant. Atque comprobavit eventus, non aliud conſilium anno ſuperioris ſeculi XCIIX. divinæ Sapientiæ fuiſſe, cum AGATHA BLUMENDORFFIA, non tam parentum (quanquam hos honeſtiſſimos habuit, Mercatoris Vratislavienſis filia) quam ſobolis gloria felix, CASPAREM MULLERUM hujus filii Parentem fecit. Obruebatur iſto anno Roma exundatione Tiberis, qui alvei impatiens, ſic urbem eluebat mediam, ut ruinas magis, quam urbem referrent ædes aut collapſæ penitus, aut ſuffultæ tibicinibus & ruinam undique minitantes. Niſi captare omina nefas ſit, & ſumere auſpicia futuræ ſortis; non dubitem, iſtam eluvionem præſagium interpretari ſecuturæ cladis, quam natus hoc eodem anno *MULLERUS* Romæ portendebat. Quis enim neget facile, majus damnum accepiſſe Eccleſiam Curiamque Romanam, MULLERI opera ac ſcriptis, quam urbem ex iſto diluvio? Interierant ex eo, ſi annalibus fides, præter innumeram armentorum pecudumque vim, hominum ſesquimillia: illatumque urbi ipſi damnum multis aureorum myriadibus æſtimabatur. At qui tum prodibat infans, non vagantibus modo pecudum inſtar indoctis monachis; non Creuziis tantum aut Janſeniis, aliisque maximæ inter ſuos opinionis hominibus vaſtitatem ac ruinam minabatur:

arcem Romanæ rei invadebat poſtea, torque inſanas machinas, tot cœlo eductas moles fundamentaque ipſa non vellicabat leviter, ſed fortiſſime evertebat. Felix æque adverſariorum percuſſor, ac ſuæ partis defenſor. Neque omine caruit profecto, quod natalis JOHANNIS noſtri tam prope a natali ejus abeſſet, quem maximum virorum ipſe D E I Filius cenſebat. Cujus quod immineret memoria, quando tingendus ſacro fonte erat noſter, nomen etiam imponi voluerunt Parentes. Sic diſpenſante cuncta & ordinante ſapientia Numinis, quem doctrina imitaturus & exemplo erat MULLERUS noſter, ejus ut nomen etiam circumferret: neque diei modo luſtrici haberet monumentum; ſed morum munerisque, in ipſa nomenclatura, exemplar. Græculorum olim animos hæc invaſerat ſuperſtitio, ineſſe nominibus infantum nominali die impoſitis vim ſingularem futura ſignificandi. Quæ ſi quid ex vero traheret, Platones modo, Ptolemæos, Galenos, Auguſtinos appellarent filios, qui Philoſophorum, Mathematicorum, Medicorum, Theologorumve inſignium deſiderarent parentes eſſe. Nunc evenit ſæpenumero, ut nulla magis importuna aut incommodior bellua ſit, quam cui Commodo nomen; nec inter Alexandros duos, alterum Priami, alterum Philippi filium vitæ factorumque ſimilitudo ulla intercedat. Cumque innumerabiles Alexandri, Annibales, Cæſares nuncupati ſint,

(quaſi nominum ſtrepitu Itali imprimis ex Machiavelli inſtituto delectantur,) quis tamen ob id horum ſimilis evaſit unquam? Scilicet ſtimumulus ad probitatem eſſe poteſt nomen: cujus ut menſuram impleas, ab educatione proba ac manuductione magiſtrorum exſpectandum eſt. Quæ cum MULLERO præter rariſſimam indolem ac ſingularem felicitatem ingenii obtigerit, non jam mirandum magnopere eſt, in illud culmen veloci gradu eniti eum potuiſſe, quod pauciſſimi attingunt. Florebat illa tempeſtate (atque utinam floreat perpetuo!) non elegantia magis ac cultu, quam puritate doctrinæ, omniumque artium ac doctorum hominum copia VRATISLAVIA, Sileſiæ Cor, urbium ocellus, quæ uti vitam ipſam, ſic vitæ recte vivendæ inſtrumenta liberaliter incomparabili alumno ſuppeditabat. Equidem ſic plane perſuaſus ſum, nullam terram tam eſſe barbaram & inhumanam, quæ nihil unquam bonæ frugis proferat. Quis Anacharſide ſapientior Philoſophus? Sed illum tamen Scythiæ deſertis editum accepimus fuiſſe. Quid? Ipſæ illæ oræ, quæ tantum a Græca civilitate abeſſe credebantur, quanta terrarum intercapedine Athenis ſecedebant, ea procreabant ingenia, quibus clariſſimos Græciæ Philoſophos ad ſeſe tanquam ad ſapientiæ nundinas advocabant. Non enim ut olera & vina commendatione ſoli, ſic ingenia æſtimantur; quæ omnibus gentibus varia provenire ſolent, modo cultoris ſolers acceſſe-

ceſſerit induſtria, qui provocet inſitam vim, & quæ intus deliteſcunt ſemina, ad frugem & maturitatem promoveat. Quanquam ergo ad laudem forte parum, plurimum tamen ad felicitatem MULLERI fecit, eo naſci loco, ubi habebat, qui a teneris ungviculis & veram, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinam, & optimarum artium initia inſtillarent: miſtumque velut cum materno lacte, lac illud ἄδολον, Muſarumque una latices propinarent. Enimvero ingentem vim habent magiſteria in formandis hominum animis, & quo melior quisque eſt ac excellentior virtute, hoc plura magiſtris ſe debere profitetur. Qui per omnem vitam MULLERO mos fuit, rato eſſe ingenui hominis, fateri, per quos profeciſſet. Itaque non illos tantum Magiſtros honoris cauſa appellabat ſubinde, quorum opera in Academiis, noſtra præſertim, ad altiora eſſet evectus; ſed eorum quoque memoriam comiter habebat perpetuo, qui primam pueritiam rexiſſent. * PETRUM imprimis KIRSTENIUM, THOMAM SAGITTARIUM, JEREMIAM TSCHONDERUM, PETRUM GOTHARDUM, GEORGIUM SEIDELIUM, DAVIDEM RHENISIUM, & vetuſtiſſimum Literatorem, deque humanitatis ſtudiis immortaliter meritum, ELIAM MAJOREM hoc ſanctius venerabatur, quo arctio-

* *Lege, qua ipſe hanc in rem notavit B. Müllerus annotat. ad habitas a ſe Conciones Scholaſt. p. 201.*

ri ipſum affectu fuerant proſecuti omnes. Nempe ut egregiam indolem in diſcipulo adeo admirabantur illi, ut optimorum e ſuis optimum haberent (quæ D. SAGITTARII de ipſo vox erat:) ſic ipſe viciſſim fidem Eorum non prolixe minus, quam fuerat expertus, exoſculabatur ac prædicabat. Longe alius atque diverſus ab illis, qui ubi ad culmen ventum eſt honorum, literas humaniores earumque Doctores, ceu infra Fortunam ſitos, altiſſime deſpiciunt. Nempe, ut cæmentarii, poſtquam exactum jam opus abſolutumque eſt, umbratiles illas machinas abjiciunt; quibus niſi inſtitiſſent ante, nunquam in eam altitudinem educere ædificium potuiſſent: ſic improbi iſti ac ingrati homines magiſtris, qui per ludicra hæc, ut ipſi interpretantur, & obſcura artium, queis ſine nemo eruditionis aut honoris faſtigium aſſecutus unquam eſt, duxerunt, hanc gratiam referunt, ut vel ad nomen illorum ſcreent & nauſeent. Rectior MULLERO animus, qui ſuo didicerat experimento, quantum intereſſet, a teneris inſtitui recte & aſſveſieri. Connatam luſciniis mirificam cantus ſvavitatem, nemo dubitat. Retulit Plutarchus tamen, inconcinnam plane illarum fore modulationem, niſi a matribus condoceſiant primum, & inter concentus aliarum de eodem grege avium velut inſtituantur. Perinde comparatum cum ingeniis eſt, quæ ut egregia contigerint a natura, nihil tamen efficient magnopere, niſi inſtituentis acceſſerit in-

du-

duſtria. Non conſequetur gemma pretium, quod in ſe habet, ni polientis manu ſplendorem accipiat: Et ſylveſcet lætiſſimum glebæ uber, ſi colentis deſit ſtudium, qui lolii caſtiget luxuriam, & ſemina inſerat optimæ frugis. Quare excellentiſſimum ingenium ut ne corrumperet MULLERUS, magiſtrorum, quos dixi, opera effectum eſt. Hi, quidquid prodeſſe olim Patriæ poterat, inſeverunt, & omni opera caverunt, ne quid noxium adnaſceretur, aut ſupprimeret in herba lætiſſimam meſſem. Puer admodum JOHANNES erat, cum eum quidam ex Pannonia Baro Pontificius, cui Parens olim Noſtri, Romæ agens, innotuerat, indolem miratus, aulæ ſuæ poſceret, quo tempore D. MATTHIAM Rom. Aug. Imp. à Vratislavienſibus homagium exigentem comitabatur; Cujus ſi deſiderio reſpondiſſet eventus, futurum erat haut dubie, ut vel à litteris avelleretur, ad quas natus, vel deflecteret per lubricum ætatis ad ejus perfidiam factionis, cui impugnandæ divino conſilio deſtinatus erat. Sed tum quidem Magiſtrorum prævaluit auctoritas, qui prudenter cenſebant, nec ſubtrahendam ſtudiis tam præclaram indolem, & cum periculo ingenti conjunctam eſſe vitam, in qua tot vitiorum illecebræ, tot blandientes Sirenes occupare & corrumpere poſſent ætatem ceream, & ita corrumpere, ut non conſcientiæ modo tranquillæ, ſed religionis etiam veræ, & quæ utramq; ſequitur,

perpetuæ felicitatis naufragium pateretur. O miram Numinis Sapientiam! o incredibilem atque arcanam conſilii cœleſtis profunditatem! ô ſtupendam in exequendis decretis diſpenſationem! Nondum agitabat Theologum animo MULLERUS, ſed per amœniores Muſarum ſeceſſus graſſabatur. Theopompo ſimilis, cujus impetus igneaque vis frenis poſcebat conpeſci, cum Ephoros alios, calcaribus ſtimulandos longe poſt ſe relinqueret. Attigiſſe metam videri poterat in iſto ſtadio, poſcebatq; res dudum, ut ad altiorem diſciplinam præparatum probe & ſubactum omni eruditione animum appelleret. Dum verſatur in æquilibrio, fluctuantem animum arcano nutu DEUS ipſe firmat, & quaſi momentum addit lanci, quæ auguſtiſſimum divinæ Sapientiæ ſtudium præferebat. Qua in re ſimile quid expertus eſt illi, quod de divino Heroë, MARTINO LUTHERO ſuperioris ævi memoriæ loquuntur. Is violenta commilitonis morte, atq; tonitruum fulminumque horribili intemperie attonitus Theologiæ ſe addicebat, voto etiam obſtringens caput, ne in alio, quam ſacro ordine ætatem exigeret. MULLERUS perinde cum graviſſimo periculo annum emenſus XVII. præſente DEI ope eriperetur, documentum hinc capiens divini amoris ſuſcepto pie voto, totum ſeſe S. S. Theologiæ dedebat. Ab eo usque tempore operam dedit ſedulo, ut quod ſancte voverat, impleret

ret religioſe. Itaque jam dum in patria ZACHARIÆ HERMANNO utrique, alteri Paſtori Eliſabethano & Inſpectori, alteri ſummo Eccleſiæ Oratori, quorum ductu atq; auſpiciis prima in Theologico agone ſpatia conficiebat, eum Theologum promittebat, quem bona fide præſtitit deinceps. Peſſime rebus ſuis conſulunt adoleſcentes, qui cruda ſtudia propellunt in Academias, ibique loqui ante, quam domi didicerint, malunt. Noſter, qui & excellebat ingenio, & ſevera lege ita profecerat hactenus, ut per omnes linguarum artiumque gradus pertigiſſet ad ſummum, ſibi ipſi nondum etiam maturus ſatis aptusque Academiæ videbatur. Scilicet hoc modeſtiæ ingenium eſt: virtutes ſuas ignorat, admiratur alienas & colit. Quæ cum propria MULLERO atque germana eſſet, ſibi ipſi nunquam ſatisfaciebat, cum aliis abunde: nec tam irruebat Academiam ſponte, quam ingrediebatur compulſus ab iis, qui rectius judicare de ejus eruditione, quam ipſe, noverant. Venit ergo WITTEBERGAM ea inſtructus ornatusque eruditione, quam multi ne referunt quidem ex mercaturis artium domum, dedecorantes & Academiæ auctoritatem & magiſtrorum. Annus ſeculi vertebatur XVIII. qui quantum minabatur Germaniæ malorum infelici face, quæ tum per maximam Cœli partem trahebat caudam, tantum felicitatis Eccleſiæ à ſtudiis MULLERI Acade-

micis promittebat. Hîc vero mihi non horæ unius, ſed diei aquam poſtulem. Breviter enim dici non poteſt, quis hîc in literis ardor, quæ in magiſtros pietas & obſervantia, quæ comitas converſantis cum æqualibus, quæ morum ſuavitas & ſanctimonia fuerit. Et intereſt tamen, exponi juventuti Academicæ iſtud Studioſi exemplar, quo neſcio an perfectius aut abſolutius exſtet. Non is compotationibus trahere dies, bacchari vociferationibus, aut in innoxia ſaxa cæde ac ferro æque ſtrenue furere noctu, ac ſtertere mane. Non hæc via eſt, ô Boni, mihi credite, non eſt, qua ad laudem ac gloriam pervenitur. Omne illi libellos inter terebatur tempus, quod non Magiſtris tribueret. Neque dies modo, ſed nox etiam huc transferebatur, quam ita dividebat, ut lectioni, meditationi, commentationibus daret partem, reliquum quieti impenderet: id autem caveret maxime, ne antequam abiret illa, dies cubantem offenderet. Jam quis religioſior in ſacris obeundis? quis ardentior in fundendis precibus juvenis? quis Præceptorum obſervantior? Quorum non remiſſius obſequio ac ſedulitate devinciebat ſibi animos, quam ſodalium, quos niſi optimos non ſeligebat, candore & elegantia. Intuemini, intuemini hoc ſpeculum, chariſſimi Juvenes, vosque præcipue ſumite inde exemplum, qui idem ſtudium, quod exercebat MULLERUM, profitemini, atque ſic perſuadete vobis, legenda

MUL-

MULLERI veſtigia eſſe, ſi graſſari ad illum apicem famæ, quem ipſe aſſecutus eſt, velitis. Nacta jam campum erat MULLERIANA virtus, quo tam feliciter decurrebat, ut primus annus auſpicia daret gloriæ ſecuturæ, de qua jam porro exponendum eſt. Hic enim alter ille Natalis eſt, quem Dignitatum rerumque bene geſtarum appellare licebit, in præſenti nobis celebrandus. Non ad nativitatem modo referebant Natalem veteres, ſed ad eum quoque diem, quo quis ampliſſimos honores eſſet in Rep. conſecutus. Sic Hadrianus Imp. natalem adoptionis ſuæ, Spartiano teſte agebat: & diſertiſſimus Romuli nepotum Natalem ſui Conſulatus, ſui ex exilio reditus recenſet. Porro fuerunt, qui Natalem ſuum, non quod nati eo eſſent; ſed quod res maximas effeciſſent, feſtum vellent haberi. De Timoleonte quidem Cornelius Nepos commemorat: quod prælia maxima natali die ſuo feciſſet omnia, hinc factum, ut ejus diem natalem feſtum haberet univerſa Sicilia. Nec nobis profecto potior cauſa, non potior univerſæ Eccleſiæ eſt, cur feſtum habeat natalem Maximi Senis, quam tot egregie confecta cum hoſtibus veritatis prælia, tot obtentæ victoriæ, tot acti triumphi. Quæ ut magnifica omnia ſunt atque egregia, ſic nec debita mercede, ac gratia caruerunt. Quæ ſic relata tamen eſt, ut plura longe debere ſe fateatur Orbis, utque multa dederit, multo tamen plura dari non

potuiſſe agnoſcat. Sed priusquam huc deveniam, exponendum eſt, quæ Juveni MULLERO præmia virtutum, quæ laborum ſolatia obtigerint. Vix annum exegerat Wittebergæ, cum à Philoſophorum ordine titulum obtinuit, ſexto inter XXXII. Candidatos loco poſitus, quem antequam Academiam accederet, emeruerat. Minutum hoc videri poſſit, & parum ad gloriam tanti viri pertinere. Recenſendum tamen fuit, ut intelligeretur, quam non contemſerint fere ſumma ingenia honores iſtos, qui ſordent hodie non paucis. Equidem nemo, quia Magiſter audit, doctior ideo eſt alio, qui tantam comparaverit ſibi eruditionem, quantam hæc appellatio poſtulat. Neque nullus tamen honoris hujus utilitas eſt, nec moriones agimus cum juvenibus, (quod Helmontii vertiginoſum caput ſomniabat) cum Magiſtros artium ſolenni ritu declaramus. Suſpenditur & vendibili vino hedera, atque conſpectior virtus eſt, cui illuſtre teſtimonium tota dixit univerſitas; neque MULLERO, credo, tam liber patuiſſet ad honores illos certe aditus, quibus eum Witeberga ornavit poſtea, niſi per hunc gradum iter ſibi ſtraviſſet. Multa hîc mihi tranſilienda ſunt, dum ſtudeo brevitati. Neque enim recenſere vacat, quo ſtudio Spartam hanc exornaverit, quam nactus erat, quas illico habuerit ſcholas juvenis, quibus & doceret alios, & docendo diſceret ipſe. Id quidem laboravit ſedulo, ut quod dicebatur, re-

ve-

vera eſſet. Omitto favorem LIPSIENSIUM Doctorum, quos nunquam niſi doctiſſimos ac ſummos viros ea habuit Academia. Huc enim poſteaquam devenit, artibus iisdem, quibus à noſtratibus Philoſophis honores impetraverat, Theologorum Lipſienſium amorem prolicuit: HENRICI inprimis HOEPFNERI, è cujus ſchola, velut ex equo Trojano prodierunt plerique omnes, qui in militia Domini poſt ejus tempora fortiter rem geſſerunt. Hic quanti fecerit poſtea MULLERUM, & publice ſcriptis honorificis elogiis, & crebis litteris, & hoſpitio denique aliquot menſium, quo non ab alio excipi voluit, niſi à MULLERO Theologorum iſte Princeps, cum Hamburgi ageret, teſtatus eſt. Sed hæc ut dixi, aliaque plurima prætereunda ſunt, & Wittebergæ modo ſubſiſtendum, quæ poſt breve tempus *MULLERUM* ſuum revocabat, utque revocatum teneret quomodocunque, Philoſophico ordini eo nexu alligabat, quo non tam mereretur de ipſo, quam bene de ſe merendi copiam faceret. Neque enim Adjuncti, ceu vocamus, dignitas, tantum conciliare decus MULLERO poterat, quantum Philoſophorum Ordini & Academiæ adeo univerſæ accedebat ab ipſo. Frequentabatur totos dies ejus Muſeum, in quo dexteritatem docentis, an fidem mirareris magis, dubium erat, cum utraque ſumma in MULLERO deprehenderetur. Ipſe interea quam adhibebat in docendo fidem, eandem experiebatur ab iis, quos diſcen-

di

di cauſa adibat. Æternum Academiæ huic decus ac famam illuſtria BALDUINI, MEISNERI, FRANZII, HUNNII nomina addebant, in quibus Ambroſii facundiam, ſubtilitatem Auguſtini, Hieronymi profunditatem, Gregorii robur ac vim Chriſtianus orbis admiratur. Horum ut nemo dotes & merita unquam prædicavit ſatis: ſic fidem, inque ſe promovendo ſtudium hoc lubentius commemoravit ſemper MULLERUS, quo ſubſidii plus & adjumenti inde ſe accepiſſe ſentiebat. Dici enim non poteſt, quo affectu hi MULLERUM juverint, ſive monita ſubjicienda eſſent diſcendi cupido, ſeu ſcrupulis liberandus animus, ſeu quodcunq; demum conſilium res poſceret. Quod vero feciſſe diſcendi compendium putabimus, cui liberrimus ſemper ad hæc oracula patebat aditus? Num fieri poterat, ut in obſcuro lateret diu, nec adſcenderet illico ad ſumma, cui divinum MEISNERI ingenium methodum præſcripſiſſet ſtudii, & præluxiſſet Pharum, quam ſequeretur? MEISNERI, inquam. Quo an accuratior alius, aut ordinatior eoque perſpicuus magis Theologus fuerit, neſcio. MULLERUS certe talem prædicare ſolitus ſemper; manu etiam exaratum reliquit, non ſe Magiſtrum, ſed Parentem in MEISNERO inveniſſe. Quis porro in eruendis è fontibus ultimis Spiritus S. ſenſibus felicior FRANZIO? Quis autem & in MULLERUM propenſior? Qui non tantum facile admittebat & patiebatur accedentem, ſed ac-

acciebat ultro, cujus in evolvendis difficilioribus oraculis experiretur ingenium ſubinde & perficeret. Faſſus poſtea Noſter eſt, quantum iſto exercitationis genere adjutus eſſet, cum ex S. Codice convincendi profligandique eſſent Judæi. BALDUINUS autem ut omnes omnium Theologorum virtutes unus complectebatur, ſic transfundere in MULLERUM univerſas gaudebat impenſe. Nec erat quisquam, qui Wittebergæ retineri MULLERUM mallet, aut abire a nobis indignaretur magis, cum ad paſcendam Eccleſiam ſuam accerſeret poſtea Luneburgum. De NICOLAO vero HUNNIO quid memorem? qui incomparabilem Parentem non reddere Orbi, ſed ſuperare videtur voluiſſe? Sane ejus tam prona ac conſtans ſemper in MULLERUM fuit voluntas, ut quem diſcipulorum cariſſimum habuerat, eo nec conjunctiorem amicum deinde legerit. Non contentus quippe per litteras, quotiescunque liceret, confabulari de graviſſimis rebus cum MULLERO, niſi & compellandi coram illius cauſa Hamburgum aliquoties conceſſiſſet. Nos vero Wittebergæ tantisper commoremur, donec recenſuerimus, quem honorem in ipſum Sereniſſimus Pater Patriæ contulerit. Conceſſerat (& quid negaſſet MULLERO ſuo?) laudatiſſimus Theologorum quaternio facultatem acroaſes Theologicas inſtituendi. Atque is quidem non amorem ſolum; ſed admirationem omnium in ſe converterat,

terat,qui vel explicantem fidei controverſias audiviſſent, vel ſuper Hutteri Compendio, Exegeſi Menzeriana, Calviniſmo Gieſenii aliorumque egregiis operis verba cum ipſo commutaſſent. Factum hinc, ut fama *MULLERI* erumpente latius,inque aulam ipſam Glorioſiſſimi Electoris D. JOHAN. GEORGII I. ſeſe penetrante nemo haberetur dignior, qui antiquiſſimo Philoſopho, JACOBO MARTINI, in profeſſione Philoſ. Practicæ, quam cum Theologica HUNNII cathedra permutaverat, admodum juvenis, nec XXIV. annum egreſſus ætatis, optio daretur. Non enim annos reſpiciebat in eo Prudentiſſimus Princeps, qui eruditione ac ingenio non alios tantum ætate provectiores, ſed ſeipſum ſuperabat. Honorifica illa erat functio, ſed infra merita. Quam ita ſuſtinebat MULLERUS, ut ornamento Academiæ, omnibus uſui eſſet: ſibi vero ipſi tantum circumfunderet lumen ac decus, quod longe lateque radios ſpargebat. Luneburgenſes permovebat certe, ut non alium Paſtorem templi, quod Michaëli dedicatum erat olim, cuperent. Biennium docuerat diſciplinam morum e cathedra Wittebergenſi. Nunc e ſuggeſtu cœleſtem doctrinam profiteri jubebatur Selenopoli. Sed nec hic longius docendi ſpatium,quam apud Nos ipſi conceſſerat ſummus rerum arbiter. Cæterum diei illius, quo Nobiliſſ. JOACHIMUS a BOTHMAR Ædi, cui dandus Paſtor erat, præfectus Lune-

Luneburgum evocabat *MULLERUM*, maxime recolenda nunc memoria eſt. Etenim ſi ſtylo veterum loquimur, ipſe hic Epiſcoporū vocandus eſt Natalis (celebramus autem Natalem venerabilis Epiſcopi,) quo honorem cathedræ indepti erant. Non alio ſenſu S. olim Ambroſius ad Felicem Comenſem Epiſcopum ſcribens: proſequimur, ait, natalem tuum noſtris orationibus, & tu noſtri in votis tuis ne obliviſcere. Exponit autem mox de die, quo Felix ſuſcepiſſet ſummi gubernacula ſacerdotii. Non alio Hilarius Pontifex Natalis ſui feſtivitatem congregatam, cum ad Epiſcopos Tarraconenſes ſcriberet; & Auguſtinus Natalem Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi celebrabat. Prodibat ſane tum in orbem ille Theologus, quem omnis miretur, ſi qua futura eſt, poſteritas. Non dimittere ſuſtinebat ante Witteberga *MULLERUM* ſuum, quam Licentiati elogio ornaſſet, quod ipſi Ao. cIↃ IↃc XXIV. conferebat jure meritoque ſummus quondam Philoſophus, nec Theologus poſtea minor, JACOBUS MARTINI, cujus & ante injecta mentio. Ut quem Deceſſorem nactus eſſet in Philoſophica cathedra, eundem brabeutam indipiſceretur poſt agona Theologicum, quem Præſide Parente illo ſuo BALTHAS. MEISNERO ſubibat, habita de magno pietatis myſterio, quod DEum in carne manifeſtatum pandit, diſputatione cum applauſu omnium. Antehabuit divinum nutum deſideriis Academiæ noſtræ, quæ *MULLERO*

ca-

carebat ægerrime. Non ignorabat enim dotes viri & in docendo felicitatem, qua ad ſe trahebat magnetis inſtar omnes, qui ſive ſolidioris Philoſophiæ ſive Theologiæ accuratioris amore attinerentur. Reputabat præterea, facilius amitti MULLEROS, quam recipi. Quod poſtea uſu venit, cum Lipſiam abiiſſet *Magnus HULSEMANNUS*, cujus cum dignior MULLERO Succeſſor vix crederetur, repetitus is poſtea A. XLVII. ſed fruſtra, fuit. Adeo viginti & amplius annorum abſentia non minuebat deſiderium tam cari capitis, ſed accendebat magis atque augebat. Sed Hamburgo MULLERUS debebatur, & MULLERO Hamburgum: quod ut abundantia rerum omnium, quas vitæ exigit uſus, affluit, ſic principem in eo operam poſuit ſemper, Eccleſiis ſuis eos ut præficeret, qui & pollerent auctoritate, & eruditione ac facundia paucis cederent, vitæ vero ſanctitate omnibus anteirent. Qualem in MULLERO ſupra votum etiam invenit. Miſſi erant, qui alibi concionantes audirent, e quibus qui probatus maxime fuiſſet, in locum *VALENTINI WUDRIANI* optime meriti de Eccleſia SS. Petri & Pauli Paſtoris, qui vita tum deceſſerat, ſurrogaretur. Duxerat Luneburgum via. Ubi cum auſcultare aliis propoſuiſſent, forte fortuna, vel ut rectius loquar, divina ordinatione contingebat, ut verba ad populum Noſter faceret MULLERUS. Cujus quæ fuerit facundia, quam inexhauſta diſſerendi facultas, quæ incomparabiles

les dotes aliæ, vel inde colligere licet, quod e plurimis, quos audiebant deinde, nemo fuerit, quem MULLERO habuiſſent anteferre. Itaque vocatus legitime, illique Eccleſiæ datus Paſtor eſt, quam incredibili fide XLVI & quod excurrit, annos rexit poſtea. Equidem quocunque vertimus oculorum aciem, venerari oportet mirificam Providentiæ cœleſtis vim, omnesque excedentem humanæ ſapientiæ circulos moderationem. Neſcio tamen, an ullibi eniteat magis, magisque ſe det admirabilem, quam cum legit eos atque deſignat, quorum humeris Eccleſiæ cura incumbat deinde, & innitatur ſalus. Nempe ut ſtatuarii perfectiſſimæ poſituri pulchritudinis ſpeciem, quicquid elegantiæ vel conſpexerunt alibi, vel animo complexi ſunt ipſi, in imaginem ſuam conferunt, eamque poliunt ornantque tam diu, donec abſoluta numeris omnibus exſtet ſtatua, omnibus admirabilis. Non aliter ſapientiſſimum Numen, quem excellentem efficere Theologum inſtituit, non tantum a primo ortu dotibus inuſitatis ingenii ornat, memoriæ felicitatem & raram in judicando acrimoniam indulget; ſed polit ſubinde ac verſat huc illuc, donec ea ſiſtatur Theologi imago, qualem in MULLERO Hamburgum venerabatur. Quæ ut quam abſolutiſſima perficeretur, quas non illi vires ingenii & igneam quaſi vim, quam non verborum copiam, omnique torrentius amne eloquium, quod robur animi judiciumque incre-

dibile non liberaliter & ad invidiam conceſſe[illegible] Auctor omnis boni & artifex? Sed nunc in[illegible] ligo demum, quam imprudens ſumſerim m[illegible] has partes vel imponi potius paſſus ſim, q[illegible] nec obire poſſum, niſi cum virtutum *MULL[illegible] RIANARUM* injuria, nec detrectare jam in[illegible] grum eſt absque ingenti dedecore meo. Ob[illegible] or (fatebor enim ingenue) rerum copia; t[illegible] tumque abeſt, ut virtutum, quæ jam expon[illegible] dæ erant vobis, minimam (ſi inter maxim[illegible] omnia, & ubi parvum nihil, minimum [illegible] tur,) prædicare recte poſſim, ut præclaru[illegible] quid mihi videar præſtiturus, ſi non in me[illegible] curſu dudum fatigatus deficiam, & turpiter co[illegible] ticeſcam. DEUM immortalem! Quan[illegible] *MULLERUS* erat, cum aut detegenda cœle[illegible] Reipublicæ arcana erant populo, aut lapſa, ut ſolet interdum, diſciplina inſtauranda? Quantus, cum calamo configendi hoſtes, vel congrediendum cum iis cominus? Quorum neutrum fecit unquam, quin victor receſſerit. Quæ enim quæſo vos, A. hæreticorum tam verſuta & vafra callidaque fuit natio, cui non impugnandæ calamum ille & vocem feliciſſimo eventu commodaverit? Retundenda Pontificiorum tela erant, quæ in Eccleſiam noſtram intorquent? Nemo MULLERO felicior. Cujus qui *admonitionem de vitanda doctrina Pontificia*, quam Eccleſiæ Hamburgenſi deſtinavit ita, ut non interdiceret tamen nobis, quo minus eandem maximo fructu noſtro amplectere-

mur;

mur; qui *Anti Janſenium ejusque Prodromum*, qui *refutationem objectorum Pontificiorum, quibus conantur Lutheranam doctrinam ſuſpectam reddere*, qui *Exegeſin A. C. Pontificiis potiſſimum, ſed & aliorum ſimul erroribus oppoſitam*, qui *libellum de ſacrificio Miſſæ Pontificio vitando*, qui alia id genus ab ipſo edita evolverit, facile lupinis æra diſcernet, & quam obtuſis pugnent gladiis mortalium ineptiſſimi, intelliget. Quod cum ipſi probe pervideant veritatis jurati hoſtes, fori illa tintinnabula ac togatos vultures imitantur, qui cum nihil ex ingenii inope penu depromere habeant, quod cauſæ tuendæ, vel ad trinepotem ſaltem protrahendæ liti faciat, in contumelias & convitia ruunt, peſſimæ cauſæ indicio exprobrantes alteri, quæ facta ſunt nunquam. Sic enim & illi cum cauſa ſe vident cecidiſſe, nec muſſare poſſe ultra, mendaciis & calumniis onerant Doctores noſtros, quaſi aliorum cœno labem deterſuri ſuam, inque Lutherum inprimis rabunt ac furunt. MULLERO ingentes habendæ gratiæ, qui, ne impune mortuo Leoni inſultetur amplius, edita *Lutheri defenſione* effecit, cumque a Carolo Creutzio Lojolæ de grege cane allatraretur, *defenſi Lutheri defenſione* ſic compeſcuit, ut pudere jam oporteat mendaciorum omnes, niſi qui frontem omnem penitus Frommii inſtar alicujus perfricuerint. Porro cum verſutius forte, certe non mitius nobiſcum agat per Calvinianos ſuos Dæmon, quam cum Papali tyrannide utitur in rem ſuam: id operam dedit

MULLERUS, ut Palladium ipſum Reformatæ Eccleſiæ & fundamentum, peculiari opere, adverſus Dordracenæ Synodi decreta, *decretum*, inquam, *abſolutum* everteret, unaque ſubrueret totam molem, quæ illi innititur; Quorſum & alterum ſcriptum pertinet ejus, quo *commentum humanum de humani generis majore parte æternæ damnationi ex deſtinato divino addicta*, (qui libro titulus) impugnatum ivit. Id cavit etiam unus, neutiquam irrepere liceret vulpeculis iſtis Hamburgum, quanquam per cuniculos agerent, idque machinarentur nequicquam, ut ædificandi templi fieret ſibi copia. Quorum cum conatibꝰ multi faverent, MULLERUS obſtitit. Ut cum hac non procederet, alia via rem aggredi coactus ſit potentiſſimus idē ac verſutiſſimus hoſtis. Intelligebat, quantum obeſſet rationibus ſuis ſacroſanctum Verbi miniſterium, cujus decus atq; auctoritatem nemo *MULLERO* tuebatur potentius. Excitare igitur ex orco novos Prophetas, Weigelianos, Quackeros, Prætorios, Tettringios, Brecklingios, ipſo tremenda ſono nomina. Sed quem terrerent iſtæ umbræ, quibus pluribus ſcriptis detrahebat larvam MULLERUS, quam legere homines indocti poſſent? Quis enim *MULLERI Anabaptiſmum?* quis egregium *de novis Prophetis* ſcriptum? quis *de Quackerorum religione & impietate?* quis *admonitionem de cavendo libro Eliæ Prætorii?* quis *probationem Spiritus Prætoriani*, ſimileſque libellos neſcit, qui tanto robore confecerunt monſtra iſta, quan-

quanta jucunditate ac voluptate animi leguntur a nobis? Splendida ſane hæc & præclara eſſe, nemo negabit, opinor. Et omiſi tamen, quæ majorem multo admirationem habent. Nondum enim commemoravi aureum ac ingens opus, quo *Judæos* pertinacem impiamque gentem ſive reducere ad crucifixum ab ſe Deum, ſive confundere ex immotis Verbi divini oraculis, ipſorumque Rabbinorum confeſſione, quam extorſit interdum vis veritatis Chriſtianæ, laboravit. Quod opus hoc carius mihi eſt, credo autem & vobis, quo & refertum magis eruditione ſacra, & curioſiori indagine Jeſum meum in priſci Fœderis Codice ubique venatur. Una ſuperabat peſtis, exitioſior cæteris omnibus, quæ hodie prudentum fere cenſeri (proh pudor!) religio ſolet. Credere nihil, dubitare de omnibus: verbi Divini elevare fidem: ridere myſteria, quicquid dicitur a Theologis, ludum ac jocum putare. Hanc quoque Hydram præſecabat ſupremo labore iſte Hercules, quem quod ſciam, emiſit in publicum, erecto tropæo, cui *Atheiſmi devicti* titulum præfixit. Quæ ſecta ut apex impietatis omnis eſt; ſic unice reſtare videbatur, quam Heros iſte configeret mox rude donandus. Jam ſi commemorare animus ſit, quæ cum adverſariis coram inierit certamina, quos egerit triumfos, dies, credo, me & latera; nunquam materia deficiat. Quicquid ſapere inter Apellas, Calvinianos, Papicolas paulo ſubtilius, vel deſipere ſtultius, e Quackeris,

Propheraſtris novis & Atheiſtis denique, 'Judæis etiam videbatur, MULLERUM adibat, ut majorem a victo reportaret laudem. Quos antagoniſtas ipſe adeo non verebatur, ut accerſeret ſæpius, interdum cum vitæ, nunquam victoriæ diſcrimine. Nihil jam de Jeſuita dicam, qui nudato gladio, Anno L. hujus ſeculi nocturnus in eum graſſator irruebat: nihil de Judæo, qui XX. annos ante, Chriſtianiſmi mentitus petitor, cum vitam, ut poſtea intellectum eſt, petiiſſet fruſtraneo conatu, ſcrinia deinde expilavit, quaſi gratiam hanc relaturus Doctori. Nihil de BERGIO, celebri inter Reformatos nomine, quem ſæpius ita redegit in anguſtias, de electionis decreto diſputans, ut, quo ſe verteret, neſciret. Nihil de colloquio, quod cum *ARCHIBALDO HAMMILTHONO*, illuſtri Hyberniæ Archiepiſcopo inſtituit in ſummorum ac principum virorum præſentia, convicturus hominem, fieri nequaquam poſſe, ut Chriſtum inter & Belialem, h. e. inter orthodoxos & Calvinianos pax ineatur, niſi pars altera errores, quibus fundamentum noſtræ ſalutis everſum it, ejeret, atque ad nos accedat. Erat enim a Syncretiſtica ſcabie, qua hodie univerſus tantum non orbis (o tempora! o mores!) prurit, alieniſſimus. Sed talia ſi commemorare tantum, non extollere ſtylo velim, quem finem reperiam dicendi? Si præſertim inſtituam adjicere aliqua de cæteris abſolutiſſimi Theologi dotibus. Etenim plane talem ſe præſtabat, qualem Epiſcopum eſſe

Tar-

Tarſenſis Præco, vel Spiritus potius Sanctus Pauli calamo uſus, volebat, & æmulus per omnia ei, cujus ædes, cum apud nos Moralia doceret publice, habitaverat. Erat autem muſei, quod in Auguſtini cœnobio LUTHERO Larem præbuiſſe noſtis, incola. Cujus in ipſum tranſiiſſe Spiritum ſi dixero, nihil nimium dixiſſe videbor ei, qui MULLERUM noverit. Sive Zelum putes in defendenda veritate & conſtantiam, ſive in convellendis erroribus vitiisque fervorem reſpicias, ſive judicii penetrantiſſimam cogites vim atque prudentiam, ſeu facundiam denique, & flexanimam verborum ſuavitatem, nihil commune in MULLERO erat, vulgare aut protritum nihil. Nectaris Fontes ab ore dicentis dimanaſſe crediditſes, aut ſtillaſſe favos, cum recludenda pœnitentibus gratiæ ſpes eſſet, ſolandæque mentes, quas humi male factorum conſcientia afflixerat. Mox putaſſes, non tam verba ſpargere, quam fulmina & hibernas grandines, ſi quando taxanda vitia hominum, ſi inculcandum mentibus, quanta indignatione in publica crimina, quorum in magnis urbibus mira fœcunditas, Deus ardeat. Nemo illo in exponendis capitibus fidei illuſtrior, in ordinandis Eccleſiæ rebus prudentior, nemo ſanctior, aut pius magis. Hoc enim laborabat unice, ut doctrinæ ac vitæ ratio ubique concineret; neque præcipiebat quicquam aliis, quod non exprimeret vivendo prior ipſe, & præcurreret exemplo. Quod ſi optan-

do proficerem aliquid, nihil voverem nunc magis, quam ut prodiret in medium ſi minus æquans *MULLERUM*, at accedens ad eum proxime Theologus quiſpiam inſignis, & virtutes illas, quas ego ſacro ſilentio venerari rectius didici, ubere dictione exponeret! Sed corrigo me ipſe, & retracto vota. Quando nec expectare hoc in præſenti licet, & factum eſt dudum. Legendum iter eſt retro, & Wittebergam redeundum. Ubi Anno XLI dignos virtute ſua nactus eſt præcones ſummus Theologus: cum poſt clariſſimam Vratislavienſium trigam, AMBROS. MOIBANUM, JOH. AURIFABRUM, JOH. FLEISCHERUM quartus ipſe Doctor renunciaretur. Quo tempore profitebatur Reverendus Theologorum Ordo publice affixo elogio: dignum fuiſſe MULLERUM non ſuo tantum, ſed totius Eccleſiæ, tot annos eruditiſſimis ejus ſcriptis adjutæ, quin hoſtium etiam judicio, qui magno numero herbam ei porrexiſſent dudum, fuiſſe inquam dignum, qui jam illo tempore, quo Philoſophiam profitebatur, decus iſtud capeſſeret. Sed impetrare a me non poſſum, ut HULSEMANNI non adjiciam encomium. Cujus vel unius ſententia mille teſtium vice mihi eſt. Sive hæc reverentia illius nominis eſt, & admiratio ſtupendi ingenii atq; acuminis, quam cum Orbe univerſo communem habeo, ſeu propiori affectu tangor, qui carum mihi & venerabile imperat, quicquid profectum eſt ab eo viro,

ro, qui ex ſacro fonte poſtquam me ſuſcepit, paternum plane affectum ad mortem declaravit ſemper. Is cum ex decreto ordinis ſui dici juberet MULLERUM, quod dudum fuerat, edixit publice, quanto gaudio pertentaretur, quod Præceptori huic ſuo, cui deberet plurimum, gratiam jam referre poſſet aliquem tribuendo eum titulum, quem dudum ante ſe, multoque rectius ſe meritus fuiſſet. O egregium Theologi à Theologo ellogium! Qui majorem ſe, cum maximus eſſet ipſe, MULLERUM non affectu raptus, ſed limatiſſimo ductus judicio (ſic enim ſolitus *HULSEMANNUS*) profitebatur. Atque is alibi etiam MULLERUM privatum informatorem libro eo, quo vermem conſcientiæ Calixtinæ roſorem enectum ivit, laudat. Cum vero carmine gratularetur publicam eruditionis teſſeram, quam in LUTHERI cathedra, deceſſorum ſuorum *JOH. ÆPINI*, *PAULI ab EIZEN*, *PHIL. NICOLAI* imitatus exemplum impetraverat: addubitabat, num laudi MULLERO cederet, ornatum hoc titulo à Wittebergenſi ſchola eſſe, an verſa potius vice, ad gloriam pertineret Wittebergæ, tantum procreaſſe Doctorem. Atque in hanc partem definiturus videbatur potius, quam iſtam, niſi LUTHERI nomen incomparabilem huic cathedræ ſplendorem circumfundens æqualem utriusque honorem effeciſſet. Permittite, A. ut indulgeam affectui meo, & tanti divinæ ſcientiæ Vatis argutum ac ele-

gans poema minimus in carmine vates recitem: aſſuta quaſi purpura orationi meæ ſplendorem ac lucem conciliaturus, qua alias carebit omni, niſi quam *MULLERI* forte inculcatum toties nomen affulgeat.

Res, fateor, dubia eſt, utrum MULLERE, decorem
Concilies nobis, an ſchola noſtra Tibi.
Orbiculata juvet quid eum mitra unius urbis,
Qui toto punctum laudis ab orbe tulit?
Si tamen à noſtra pendet ſententia mitra,
Rem dicam: æqualis ſurgit utrique decor.
Tantus es, ut nequeant nullum ſuggeſta LUTHERI
Ex te ſplendorem conciliare ſibi.
Sunt tamen & cathedræ ſuffragia tanta LUTHERI,
Ut nequeant nullum conciliaſſe Tibi.

Niſi Vobis potius, quam animo meo obtemperandum eſſet, A. alium miſcerem affectum, atque exponerem, quanti Præceptorem hunc ſuum, quem cum HULSEMANNO communem habuerat in iſta Academia, fecerit B. PARENS meus, qua pietate proſecutus ſemper, quam mutuus illius amor cebro litterarum commercio quaſi flabris quibusdam incendebat ſubinde & animabat. Neque cenſebat cariſſimum mihi in terris (atque utinam in terris ſuperſtes!) caput, prætermittendam ſibi occaſionem, qua & gratulari liceret Theologo ſummo Doctoris decus, & gratias agere acceptæ olim inſtitutionis, cujus tum etiam fructum ſentiret. Quod ſi excutere ſcrinia pulpitaque liceat Viri, quot teſtes inde protrahi poſſe credetis virtutum

tum talium, quæ non modo ſummos Theologos, qui vel Præceptores fuiſſent MULLERI, vel diſcipuli, vel admiratores; ſed coronata etiam capita ſummosque Dynaſtas in admirationem ejus rapuiſſent. Quis enim fere illuſtre inter Theologos nomen obtinuit, quin amicitiam colere cum MULLERO intimam in parte felicitatis poneret? Hic JOHANNIS illius GERHARDI, cujus nomini titulus addi non debet, quia omnes tranſcendit, calidiſſimum ſpirantes affectum literæ, hic BALDUINI, MEISNERI, FRANZII, HUNNII, hic POLYCARPI & WILH. LYSERORUM, hic HOEPFNERI, WELLERI, SCHMIDII, WALTHERI, CRAKEWIZII, CRAMERI, HANNEKENII, HULSEMANNI, & quorum non ingentium in Eccleſia luminum ſuaviſſimæ compellationes recitandæ forent, ſi id ageremus? Sed illi omnes cum æternæ felicitatis fructu antevertiſſent amiciſſimum ſibi MULLERUM, quid ſupererat, niſi ut tot cara nomina ſequeretur? Tres admodum ſuperant, ſuperentque diu, hoc acrius dolentes defunctum MULLERUM, quo ſanctius viventis amicitiam æſtimabant ac venerabantur. Quorum unum non miratur Dresda, ſed obſtupeſcit: colit alterum Gieſſa, tertium in tuo vultu, ABRAHAME CALOVI, nos veneramur cernui. Magis autem clementiſſimum veneramur DEUM, ſervet Te porro (Te enim unum, quippe præſentem honoris cauſſa appello merito, quamquam ad cæteros pertinere una

cu-

cupio pietatem:) ſervet Eccleſiæ ſuæ ac nobis, ſixitque propitius, quod MULLERO jam ſolvimus officium, ut æternum tibi debeamus, vel ſi æternum nihil in hac mortalitate, debeamus quam diutiſſime, non niſi à noſtris olim nepotibus exſolvendum. Sed quo me abripis, pietas? Quin ad MULLERUM redeo, cujus domeſticæ fortunæ memorandæ dudum fuerant. Quod molienti injicit manum favor illuſtrium, & prior ipſe exponi, nec injuria poſtulat. Etenim ſi vel prima laus habetur prudentum omnium judicio, Principibus placuiſſe viris: quis non intelligit, quam honorificum *MULLERO* fuerit. in ea ERICI OXENSTIERNÆ gratia eſſe, quæ creberrimas & amicas plane literas familiariaque ſæpiſſime colloquia, illuſtriſſimo Heroi extorqueret? Illud vero neſcio annon vulgarem hominum conditionem excedat, tanti fieri à Diis iſtis & præſidibus rerum noſtrarum, quos principes appellamus, ut quaſi cum tui generis mortalibus colloquia inſtituendi fiat ab ipſis copia. *MULLERO* hæc contigit felicitas, quæ ut æſtimari ſatis non poteſt, ita de divino ilius genio abunde teſtatur. Quot enim Sereniſſimorum Brunſvicenſium Luneburgenſiumque Ducum; FRIDERICI inprimis ULRICI, & AUGUSTI illius portentoſa eruditione ac ſapientia Principis, quot CHRISTIANI WILHELMI Brandenburgenſis, FRIDERICI Holſati, ADOLPHI JOHANNIS, Bavariæ Dulcis & ad Rhenum Palatini Comitis, aliorumque

que illuſtriſſimis manibus exaratæ ad MULLERUM literæ? quibus ſupremam Eccleſiarum ſuarum Ephoriam offert alius, alius ſuper arduis religionis capitibus poſcit conſilium, alius Bibliothecæ ſuæ uſum (de PHILADELPHO ſeculi noſtri GUELFERBYTANO me loqui intelligitis, opinor:) alius omnem gratiam ac benignitatem pollicetur ultro, aut pro inſcriptione operum gratias prolixas agit. Quod quidem à FRIDERICO III. Daniæ Rege g. r. factum, qui ſua manu, quam gratum dedicatum ſibi laudatumque ante nobis Judaiſmum haberet, teſtatus eſt. Jam quid de belli fulmine, *GUSTAVO ADOLPHO*, Divo Suecorum Rege, dicam? cui ſimilem Heroa nec vidit ulla, nec videbit ætas? Quo affectu, quo incredibili amore *MULLERUM* proſequebatur? Quem & retinere ſecum cupiebat, & in ipſo aliquando cubiculo ſuo ultra bihorium protracto colloquio hortabatur, pergeret ab Auſonii Vejovis artibus vindicare ſcriptis orthodoxam Eccleſiam, eodem animo, quo ipſe in aſſerendis contra ejusdem violentiam regionibus ferrum ſtringeret. O egregia virtus, quæ in ſummis etiam Monarchis præcones inveniſti! O pulchram, & ſupra quam dici poteſt, excellentem gloriam! Et fieri poſſe putabimus, ut illius nos aſſequamur, qui humi repimus, merita, quæ illi rerum humanarum apices ſuſpiciebant? Ego quidem vela contraho, quando hoc æquor manifeſtum eſt cum præſentiſſimo diſcrimine tentari. Maritum

tum Vobis ac Parentem commemorabo, qui Theologum prædicare non poſſum. Et commemorabo tantum. Quæ enim & hic virtutis ac laudum ſe ingerunt argumenta, aliis relinquam. Primos ipſi honores Witteberga: eadem primam conjugem A. XXIII, celeberrimi ac meritis in Academiam iſtam illuſtris, ERASMI SCHMIDII, filiam dedit, quæ, quod laude major Parens in pectore, continebat in nomine, quod SOPHIÆ obtigerat. Et illa quidem non obſcure prodebat indolem, à SCHMIDIO ſatam, in quo viro præter mirabilem doctrinam, probitatem etiam ſingularem omnes æſtimabant. Erat beatum ex omni parte matrimonium, ſola infelix brevitate. Neq; enim, ſi ſemeſtre tantum addas, ultra quatuor annos cum ea exegit, & è qua & liberos totidem ſuſcepit. Superſunt duo in vivis, Filius alter, Patri & nomine ſimilis, nec pietate diſpar, Neogammenſium Paſtor; altera Filia matri cognominis, Reverendo Viro, M. GEORGIO HOPIO Luneburgenſium, dum viveret, Eccleſiaſtæ nupta. Ingens fecerat obitu amantiſſimæ Conjugis diſpendium, quod A. XXIX. ANDREÆ MORSHEUSERI Senatoris in Sveinfurtenſi Rep. ampliſſimi & Moguntini poſtea Conſulis laudem ſupergreſſa filia, *ANNA MARIA* abunde ſarcivit. Quam cum caſtiſſimi inter amoris certamina exacto XXXV. annorum conjugio, & trium ex ipſa filiorum, filiarumque ſeptem Parens factus, ante hoc quaſi octennium, ætate in-

ingraveſcente, atque ingenti confuſus dolore extulit. Ad quem luctum cum accederet alter, quem ex Optimi chariſſimiq; Filii, in Academia Gieſſena, extincti concepit: id demonſtrabat Orbi ſanctiſſimus Præſul, qua conſtantia munire adverſus caſus omnes pectus, qua tranquillitate quamvis excipere fortunam deceret Theologum. Reliquerat interim ipſi doloris ſolatia DEI benignitas, Filium maxime, paternæ inſtar virtutis atque exemplum, *M. HIERONYMUM MULLERUM*, qui ut mitius Hamburgenſes doleant incomparabilem Parentem, æmula pietate ac dotibus, quibus ab illo recedit proxime, efficere laborat, Reverendus admodum multoque meritiſſimus ad D. Nicolai Eccleſiaſtes. Sed & reſtabant Filiæ, quarum maxima, *ANNA CATHARINA*, Summe Reverendo, atque ampliſſimæ dignitatis *VIRO DANIELI LUDEMANNO*, Doctori Theologo, Ducatuumque Bremenſis atque Verdenſis Superintendenti Generali, & Præſidii Regii Conſiſtorii Stadenſis nuptum data; altera Reverendo itidem plurimum Excellentiſſimoque, nec unquam abſque pietatis ſenſu appellando Præceptori (heu quondam!) meo, JOHAN. SIGISM. SCHWENCKIO, Theol. Lic. & Lipſienſi quondam Profeſſori, poſt Luneburgenſi ad S. Johannis Paſtori elocata in matrimonium; cæteræ in decus ſexus ſui & ornamentum florentiſſimæ Virgines reſplendent. Nihil hic addo, niſi ut precer ex animo proſperitatem tantam

tam

tam & his & omni MULLERIANÆ poſteritati, quam è XIV. ramis in quinque & viginti ſurculos ſeſe diffundere vidit fortunatus Senex, quanta pientiſſimi Parentis ſanctimoniæ promiſſa divinitus eſt. Vivant omnes ac floreant, quamque vere, generationi rectorum benedictum iri, Regius vates prædixerit, exemplo ſuo confirment! Dudum exſpectatis opinor, ut ediſſeram, quæ fabulæ tam præclare actæ cataſtrophe fuerit. Ultimum enim hoc caput Natalis MULLERIANI reſtat. Quod ubi breviter explicuero, abuti veſtra patientia deſinam. Ad Natalem quippe tanti in Eccleſia Doctoris adeo pertinet memoria mortis, ut ipſum diem, qui per beatam mortem vitam repararet SS. Martyribus, hoc nomine maxime appellari voluerit Eccleſia vetus. Quod quia non ex Ambroſio modo, Nyſſenoq; Gregorio, & Paulino atq; Prudentio aliisq; innumeris, ſed Tertulliano adeo ac Cypriano antiquiſſimis Doctoribus Latinæ Eccleſiæ nemini non conſtat, transmittitur in præſenti à nobis. In MULLERI autem feliciſſimam mortem hoc rectius iſta competit appellatio, quo teſtatius DEus ipſe fecit, renatum potius ad beatam vitam, quam denatum fuiſſe *MULLERUM*, cum plenum DEO Spiritum DEO reddidiſſet. Imperatoris eſſe, mori in ſtatione, vetus dictum eſt. Nec quisquam majori in pretio habetur miles, quam qui partibus ſuis perfungens ſtrenue occumbit, obtentasque victorias morte ſua velut obſignat. Hoc quoque

que ad *MULLERI* laudes pertinet, quem nec ulla dies otio indulgere vidit, aut egreſſum ſtatione, quam aſſignaverat ſummus arbiter; & noviſſimum tempus deprehendit in opere. Nunquam eum à ſacratiſſimis laboribus malus error, aut procax curioſitas, ac ne capitis quidem illi dolores, quibus tentabatur ſæpius, atque catarrhi ſuffocativi, quos Medici vocant, avellebant. Ipſa illa hora, quæ fatalis B. Seni fuit, in templum ingreſſus verba meditabatur, quæ faceret ad populum. Sed aliud meditabatur DEUS, qui, non jam verbis amplius, ſed opere ipſo ut doceret cœtum ſuum, quod diſcimus omnes bene mori, meritiſſimus Præſul, morbum immittebat in templo, qui vix perlatum domum æternæ felicitati intulit. Antevertebant ſcilicet verba Antiſtitis officii promtitudine beati genii, de quibus meditationem diei requirebat ſolennitas, qui angelorum principi ſacer agebatur. Atque ut olim ſollicite excubias egerant, cum vel in latronum incidîſſet inſidias, *(a)* vel tenaci limo implicaretur, *(b)* vel peſtilentia *(c)* aut lethali morbo alio *(d)* ædes ejus affligerentur, vel delapſa e fornice moles tantum non feriret modo in templo, *(e)* modo in ædibus ſuis *(f)* aſtantem atque oppri-

(*a*) A. clↄ Iↄc XXIII.
(*b*) A. XXIX.
(*c*) A. XXVII.
(*d*) A. XLIX.
(*e*) A. XXXIX.
(*f*) A. XXX.

meret: ita promtiſſimi veniebant ad partes, quas obire in bajulandis ad cœlos piorum animabus conſveverunt. Hic vero mihi Simeonem illum, pietate & conſtantia eximium ipſaque canitie venerabilem Senem videre videor: qui in æde ſacra, ſolatium gloriamque Iſraelis ac gentium lumen moriturus jamjam, nec in Charontis cymba, quam Poëtæ compingunt, ſed curru Eliæ flammanti alterum habens pedem, hoc complectebatur arctius, quo firmiori nexu per omnem vitam ipſi adhæſerat. O felicem, iterumque atque iterum felicem obitum, qui tam egregiis operibus continuatam vitam tam pulchro ac beato fine coronat! Nihil, niſi JESUM videbant oculi, cum cætera omnia tenebris ac alta nocte involverentur. Nihil, niſi JESUM lingua ſonabat: titubans jam & excluſa loquendi officio tantisper, dum animata iterum ſpiritu ſuo, quod brevi ſperamus fore, æterna carmina angelorum hymnis intercinat. Octavius Cæſar, quem Auguſti nomine ob inſignia merita vivum ſpirantemque conſecravit princeps rerum populus, quoties aliquem cito & ſine cruciatu extinctum audiviſſet, ſibi & ſuis εὐθανασίαν ſimilem (hoc enim verbo uti ſolebat,) precabatur. Et impetravit quidem hoc fato ſuo, ne, ſi iſtius voti non potiretur, non feliciſſimus principum audiret poſteris, qui conſecutus ſumma omnia alias eſſet. Ut magnitudine atque fortuna Auguſtus major fuerit; hac tamen parte felicitatis MUL-

LE-

LERUS nihil ei concedit, qui æque levi ac facili moleſtiaque vacuo obitu extinctus eſt. Quin accuratius ſubducta ſumma vincet terrarum orbis Principem ſacrorum Præſes. Obiit ille ſeptuageſimo & ſexto ætatis anno; noſter cum quartum & ſeptuageſimum ſeptimanis XVI & biduo exceſſiſſet, ætate paulo minor, ſed felicitate ipſa longe ſuperior. Omnis enim cum vita Auguſti felicitas exſpiravit ac deſiit; MULLERI tantum abeſt, ut deſierit, ut cœperit verius, eque fragili & imbecilli in æternam ac immutabilem tranſierit. Occupat nunc portum felix, quem anhelabat anxius: tenet terminum, quem votis omnibus petebat ſemper. Tanto nobis prædicandus beatior, in quantum cœleſtia bona, queis fruitur ipſe, creperis his & caducis præſtant, nosque dubia magis & ambigua alea verſamur. Quid hic faciam, Auditores? Planctu & ejulatu turbem natale ſacrum? Alienum hoc. Extinctas virtutes querar, raptumque orbi Theologi exemplum? Injurius videbor in Viri memoriam, cui nulla unquam mors vitam adimet, nulla terminum ſtatuet dies, niſi quæ & orbem vertet in cineres. Deplorem infelicitatem Eccleſiæ, cui lumen iſtud, & veluti Cynoſura occidit? Nunquam proficiam ad ſummum. Bona verba dicam Natali die: Gratulabor felicitatem, victorias, triumfos, nec genium Viri libis aut vino, ſed pia prece cœleſte Numen placabo. Macte ſorte tua, ter beate Præſul! macte! qui procul jam terreno ſtrepi-

tu felix lætumque ævum agis, non jam decrepitus ultra & capularis; ſed perpetua juventa lætus ſenex. Triumfas moleſtias ſeculi, quæ nos terrent aut premunt. Carpis pietatis fructum ſecurus: accipis cœlo laborum præmia, quæ terra reddere non potuit: lauro & coronis tot hoſtium victor ſuperbis. Gaude æternum felicitate illa, cui ſanctiſſimis operis te pariter ac fidei commiſſos tuæ præparaſti ſemper, nosque adeo adhuc dum præparas, qui te audimus loquentem nobis per mutuos literarum apices. Gaude, æternum gaude, & ſi quis tibi rerum noſtrarum ſenſus ſupereſt, ſi Wittebergæ tuæ ſuſtines meminiſſe, hanc pietatem noſtram, quam dolentes Tibi reddimus, has querulas & mœſtas voces æqui bonique conſule. Nos tuam memoriam ſacroſanctam habebimus ſemper, & vel debiti profeſſione apud poſteritatem gratiam referemus. Urge, quod hic cœpiſti, opus, & velitantem in terris Eccleſiam, quam juvare ductu & conſilio amplius nequis, triumfanti aſcriptus, precibus commendare DEO perge. Mille nos diſcrimina & caſus mille circumſtant, novi indies inſurgunt hoſtes, & ne quid deſit calamitati noſtræ, in propria ſævimus viſcera. Eunt interim pertæſi vitia noſtra Heroës iſti, palantemque ſine ducibus manum ſuo relinquunt arbitrio. Abſit ſequius a natali MULLERI tot bonorum auctore omen, & quicquid vereri timidiores animi poſſunt, eveniat hoſtibus. Cæterum quid delapſum

pſum in templo, cui præfuerat MULLERUS, pridie quam exceſſit e vita, candelabrum, quid aliud Eccleſiæ, quam ex ingentis jactura luminis, triſtem caliginem & umbras portendere videtur? Et temere profecto non eſt, quod nullus hactenus annus ivit, quin antiquiſſimorum Eccleſiæ antiſtitum funeribus nigram contraxerit notam. Equidem & in militia veteranis conceditur miſſio, & naturæ præterea ordini convenit, ut quæ maturuerunt, ſeneſcant, & quæ ſenuerint, decidant. Neque negabimus, præclare cum illis agi, queis graviſſima tandem negotiorum curarumque levatis mole quieſcere conceditur. Nos autem orbatos tanto præſidio quæ maneant moleſtiæ, DEUS ſc. novit. Deinde ſi ſiccitates & peſtilentiæ, & rubigines, ſi fulminum jactus ad iram Numinis referimus; quæ cum pœnas ſumere de nobis vult, naturæ utitur miniſterio: non habemus profecto cauſſam, elevandi bene meritorum ſenum, & quos vivere diutius vix potuiſſe credas, funera, quæ Deus ipſe pœnæ loco interminatur. Bonum in domo ſignum Senex eſt, ſi Ebræo credimus Magiſtro: quod cum removetur, quid boni inde augurari liceat? Non refricabimus cicatrices veteres ac dudum obductas, nec ad HUNNIOS illos, MYLIOS, LYSEROS, HUTTEROS, MENZEROS, BALDUINOS, MEISNEROS, GERHARDOS, HOEPFNEROS, HOEOS, ſimilesque adſcendemus, quorum obitus non niſi ſenes aut Viri recordantur. Horrent ma-

num ac palpitant adhuc cruda vulnera, noſtra adoleſcentum memoria Eccleſiæ inflicta. Et ea quidem hoc acrius dolent, quod illorum, quos ante appellabam, mortem ſolaretur ſuperſtitum, ut ita vocem, fœcunditas: quis vero SCHMIDIOS iſtos, quis FEUERBORNIOS atque DORSCHÆOS, quis HULSEMANNOS & DANNHAUEROS, quis WALTHEROS atque WELLEROS, quis HANNEKENIOS, quis KROMAIEROS redditurus ſit Orbi, nondum etiam intelligamus. Et quod ingenium MULLERUM denique reſtituet nobis? Maximum robur militiæ in veteranorum virtute poſitum. Cum ad tyrones res rediit, quam in ambiguo atque incerto victoria eſt? Et quoties contingit, ut Achilli ſuccedat Troilus, aut pio gravique Siſinnio Neſtorius aliquis hoc inſolentior, quo indoctior optio detur. Finge vero eandem in juvenibus felicitatem ingenii, vel acriorem etiam indolem. Ubi ſenilis illa prudentia, longisque experimentis confirmatus rerum uſus? Non tam remigum multitudo lacertorum robore pollentium, quam gubernatoris circumſpecta moderatio conſervat navim, perituram protinus, niſi excuſſo prudenti Magiſtro ſuccedat alter potius, quam ſecundus, qui regat. Et quid Eccleſiæ promittemus poſthac, niſi tua, clementiſſime Pater, benignitas, in qua omnis nobis ſpes unice eſt, & conſervet eos, qui cum MULLERO rei Chriſtianæ afferunt decus hactenus, & ſufficiat alios,

qui-

quibus idem, qui MULLERO animus, eadem caſtiſſima contentio. Tua res agitur, DOMINE, tuæ vita hæreditatis. Quam inde impetunt externi hoſtes, hinc enatæ in ipſo corpore vomicæ & carcinomata infeſtant. Exurge, DEUS, & diſſipa inimicos tuos. Serva, quibus Eccleſiæ tuæ ſalutem incumbere voluiſti, columnas, eosque excita, quorum opera fiat, ut & MULLERI parcius dolere obitum, & lætius ſemper de Tua gaudere bonitate poſſimus.

D I X I.

PROGRAMMA
FUNERI
PLURIMUM REVERENDI CLARISSIMI ET DOCTISSIMI

VIRI

DN. JOHANNIS SURLAND,

ECCLESIASTÆ AD D. MICHAELIS IN NEAPOLI HAMBURGENSIUM PRIMARII,

OPTIMEQUE MERITI,

DUCENDO

A. C. CIↃIↃCLXXVII. D. XV. JUNII.

HAMBURGI,
TYPIS GEORGII REBENLINI.

I. N. J. C.

SI qui ſunt inter mortales, quibus vitam votis noſtris atque precibus (quando jam aliter non licet) prolongare maxime debemus: ſane hi ſunt, qui ut viveremus effecere, vel adhuc ut vivamus efficiunt. Eorum in numero primos eſſe parentes, quis non cogitat? Quippe quibus ut in hanc vitam veniremus acceptum ferre ſuo modo videmur obligati. Sed quidquid ejus ſit, licet hic uſurpare illud Senecæ (1.) *Si vitam imputas mihi per ſe, nudam, egentem conſilii, & id ut magnum bonum jactas: cogita te mihi imputare muſcarum & vermium bonum. Non eſt bonum vivere, ſed bene vivere.* ὐ τὸ ζῆν περὶ πλείςυ ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὐζῆν. (2.) Absque hoc illud qui habent, *eorum ego vitam & mortem juxta æſtimo.* (3.) *Hos animalium loco numeremus, non hominum: quosdam vero ne animalium quidem, ſed mortuorum. Vivit is qui ſe utitur, qui vero latitant & torpent, ſic in domo ſunt tanquam in conditivo. Horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas. Mortem ſuam anteceſſerunt.* (4.) Quæ cum ita ſint: eos demum vitæ nobis auctores, quantum eſſe poſt DEum homines poſſunt, judicabimus, qui ut bene viveremus, id eſt, ut hominum vitam viveremus, aliqua in cauſſa ſunt, vel fuerunt. Hi ſiquidem

T 5 ut

(1) De benefic. l. 3. c. 31.

(2) *Non ipſum vivere plurimi faciendum eſt, ſed bene vivere.* Socrates apud Platon. in Critia.

(3) Salluſt. Catil. c. 2.

(4) Sen. Ep. 60.

ut vivamus dant, illi tantum ut ſimus: eleganti diſtinctione illius ex antiquis, hoc ſibimet olim epitaphium ſcribentis. *Hic ſitus eſt Similis, qui tot annos fuit, ſed ſeptem vixit.* (5.) Imo & Senecæ, ſecundum quem: *Non eſt quod quenquam propter canos aut rugas putes diu vixiſſe, non enim ille diu vixit, ſed diu fuit.* (6.) Ac ut ſimus quidem, naturæ nobis cum omnibus vel inanimis adeo rebus commune donum: at vivere doctrinæ munus, ac artis vere humanæ, imo humanitatis eſt. Ejus Doctores atque Præceptores proinde hi ſunt, quorum vitam magis etiam ac ipſorum adeo Parentum, niſi & illorum hi officium (uti boni quidem omnes facient,) ſimul occupant, optare convenit diuturnam. Quandoquidem ut ſimus, etiam ubi jam fuere per quos ſumus, retinebimus: at vivendi rationem tanto diutius edoceri poſſe optandum eſt, quanto *nullius rei eſt difficilior ſcientia*, (7.) *& vivere tota vita diſcendum eſt:* (8.) *Ac Profeſſores aliarum artium vulgo, multique ſunt:* artem vivendi recte docentium magna fuit ſemper, eſt, eritque caritas. Quamobrem illis quidem qui ad bonam vitam adjumentum aliquod nobis præſtant, niſi vitæ noſtræ partem impertire, ſi liceat, imo totam impendere, ſi ſit opus, parati ſimus: ipſa & vita, & bona vita indigniſſimi, vel ob hoc ipſum,

(5) Xiphil. in Adr.
(6) De brev. vitæ c. 8.
(7) Sen. de brev. vitæ cap. 6.
(8) ib. c. 7.

ipſum, ipſorum adeo gentilium ſententiis condemnabimur. Jam ergo quid de illorum vita dicemus, qui ad immortalem alteram in CHRISTO JESU hic quidem auſpicandam, olim vero in æternum agendam cœleſtem vitam, ſua vita, ſua doctrina, ductores nobis exiſtunt? Annon eos præ ipſa vita noſtra nobis oppido caros habeamus? An unquam illorum vitam votis, precibusque aſſiduis longæviſſimam, imo, ſi fas foret, in hacce mortalitate immortalem optare deſinamus? An vero annos de noſtris, ſiquidem in commercio forent, illis concedere detrectemus? *Πȣ͂ ȣ̓͂ν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν;* ſcribit ad Galatas ſuos Apoſtolus, (9.) *μαρτυρῶ γὰρ ὑμῖν, ὅτι εἰ δυνατὸν, τȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς ὑμῶν ἐξορύξαντες, ἂν ἐδώκατέ μοι.* At ego ſane annos quam oculos dare malim, atque vitæ non intemperanter amantem unumquemque daturum arbitrer potius, ſiquidem optio permittatur. Sane ſi quemadmodum Nazianzenus (10.) docet, priusquam animam quis pro virili mentemq; quantum ſatis ſit repurgavit, longeq; ſupra alios ad Deum propinquat, animorum curam ſuſcipere non debet: quanta pars vitæ ad hoc requiratur, antequam ſuæ, ne dum alienæ quis modum habere ſciat, in propatulo eſt. Ut taceam, quantis naturæ, induſtriæ, gratiæque di-

(9) *Quæ igitur erat beatitatis veſtræ prædicatio? teſtimonium enim reddo vobis, quod ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros effoſſos dediſſetis mihi.* cap. 4. v. 15.

(10) Lib. 1. de fuga in Pontum.

divinæ donis ad hoc ut ullo modo hucusque mortalis ulla vita perficiatur, ſit opus. Pro quali proinde jam eo perfectionis adducta vita, quot non alias, eo nunquam perventuras jure cenſeamus impendi? Quod ſi cogitaverimus etiam, quantum hoc vitæ fideliter pro ſalute noſtra ſemper excubantium genus, præ aliis omnibus continua tot moleſtiarum & acerbitatum vellicatione diminutionis humano corpori afferat: Annon illa propter nos data ipſis vitæ detrimenta, ſi poſſemus, acceſſione vel demendorum nobis temporum compenſare nos obſtrictiſſimos deprehendemus? Aliter ſane qui arbitrantur, non videntur ſatis expendere, quam plane diverſi generis ab omni alia nos non ex merito tantopere ſæpius occupante atque angente cura, eſſe debeat ea, quæ pro animabus eſt, quarum viliſſimam (ſi qua tamen ullo jure nobis vileſcere poſſit, pro qua Chriſtus eſt paſſus) præ toto mundo, & quicquid eo continetur, ipſi Deo æſtimatam non ignoramus. Imo non videntur ſatis ponderare, quanto majoribus totius mundi, qui ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται. (11.) inimicitiis impetantur, quibus effrænatam ejus malitiam quotidianis impetere concionibus, ac inhibere impedimentis, adeoque contra torrentem navigare continuus labor eſt. Denique non videntur illud conſiderare, quanto pluribus Sathanæ ſubtilioribuſque laqueis cingi neceſſe ſit eos, quibus captis, ille malorum artifex

fex

(11.) *Totus in malo jacet*, 1. *Joh.* 5. v. 19.

ſex non jam ſingulas animas, ſed animarum ſæpe integros greges una capi jam prænovit. Verum iſta tam ingrate ab animo removentibus ſuo, quis ſcit annon vel invitis Deus, inutiles ipſis & annos & animos adimens, hiſce ſuis tam fidelibus miniſtris ſæpe numero apponat, quando non promittendam alioquin humanis viribus inter tot incommoda ætatem aliquando contingunt? Nos ſane, quotquot ullas grati animi reliquias habemus, tum ob hæc modo memorata, tum vel ob eum maxime, quem ex ipſorum vita, hac ipſa vita potiorem capimus fructum, etiam impendio vitæ noſtræ, fidelis verbi divini Præconis cujuscunque vitam extendere, ſi liceat velimus. Quandoquidem hæ ſacræ lampades, quo majorem lucem doctrina exemploq; ſpargentes, regiam ad cœlum viam nobis clarius oſtendunt, eo largiori oleo etiam vitali diutius conſervari profecto merentur præ illis, quæ vel obſcura luce ſua nihil vere illuſtrant, vel dubia plane ac erratica, quaſi fatui quidam ignes, in devia ſæpe numero deducunt. Et vero, me dubium quidem nullum habet, quin plurimi adeo, vel plerique illorum, ad quos inſigne lumen radiaturi apud ſuperos ſideris JOHANNIS SURLANDI, radios unquam ſuos effudit: etiam ſuæ lucis notabili cum diſpendio, divinam in ipſius pectore flammam, hujus lucis uſura diuturniore frui peroptaſſent, imo ſi liceat etiam nunc peroptent. Sed eheu fruſtra! Quandoquidem nobis quidem vitam brevio-

rem

rem facere noſtram alienamve fortaſſe nimis licet, prolongare nec invicem datur, nec ſibi. Niſi quod hoc uno etiam modo mortuis aliquid de vita noſtra datur, quatenus ipſorum memoriæ, cultuiq;, ac imitationi, cultus generi optimo præſtantiſſimoq; impenditur. Et ad hanc quidem vitæ noſtræ, ſacris verbi divini Prædicatoribus pie defunctis impertiendæ neceſſitatem, diſerte nos mandatum Spiritus Sancti obſtrinxit, ita ſonans: *Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμων, ὅιτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν, τῆς ἀναστροφῆς, μιμεῖσθε τὴν πίστιν.* (13.) Huic etiam pro parte noſtra obedientes, quantulum hæc charta capiat, de nunquam finienda tanti Ductoris memoria delibabimus, imitationi ejusdem vitam omnem dicaturi. Natus itaque fuit modo denatus Dn. JOHANNES SURLANDUS Hamburgi A.C. cIↃ IↃcXVI. d.XXV. Aprilis patre honeſtiſſimo mercatore cognomine: ſacroq; baptismate renatus, cum egregiæ indolis ſpecimen illico præberet, liberalibus ſtudiis imbui curatus eſt. Inter illa eo ætatis provectus, ut de ſumma vitæ poſſet conſtituere, præ aliis omnibus ſtudiorum generibus illud, optimo ſane, Chriſtianisque cunctis, ni quid aliud obſtet, præferendo ſemper conſilio elegit, quod ad Deum rectiſſima via duceret, ac ſaluti ſuæ aliorumq; procurandæ intentum, uni-

ce

(12.) *Memores eſtote ducum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis ſermonem Dei: quorum imitamini fidem, conſiderantes qui fuerit exitus converſationis ipſorum,* Hebr. c. 13. v. 7.

ce dignum laboris impenſi fructum cultori ſuo aliiſque quam plurimis eſſet redditurum. In Jenenſi proinde ac Roſtochienſi Acad. Theologiæ præſertim operam dando, quod reſtabat de vitæ parte dimidia totum abſumpſit, ut alteram Deo, ſibi, aliiſque tanto magis profuturam viveret. Ejus per annos duos priores aulæ Principalis Holſaticæ Redvvicenſi à ſacris concionibus fuit. Inde patriam reviſens, vices Eccleſiaſtæ in æde ad D. Michaelis antiqua concionando per annum integrum egit. Tanto cum applauſu, concurſu, fructuq; audientium, ut A. C. cIↄ Iↄc IL. d. IV. Aprilis ad Eccleſiaſtæ publici munus in Baſilica D. Michaelis Servatoris noviter fundata, gratulantium magis Eccleſiæ ſibique, quam eligentium votis vocaretur. Et ſane quanto zelo ſacrum obierit officium, nunc quidem fama publica, deſideriumque civitatis totius commune affatim teſtantur: at olim tot concionibus ejus excitata pia ſuſpiria, excuſſæ pœnitentium lacrymæ, data miſeris ſolatia, conſilia, auxilia, deniq; converſæ ad Deum animæ in æternum teſtabuntur. Nec enim contentus ſuos auditores ſeria fidei veræ, charitatiſque fidem alentis atque roborantis commendatione Deo propius indies collocare: alios etiam a fide prorſus aberrantes eidem adducere non parum laboravit. Adduxitque non paucos Anabaptiſtas imprimis atque Judæos. Quorum unum Rabbini apud ipſos nomen gerentem, adhuc anno ſuperiori, d. VI. Junii, cum uxore, ſexque liberis, ſacro fonte

te

ablutum, in Chriſtianæ Eccleſiæ ſinum publice magno cum gaudio totius civitatis recepit. Ac in hiſce quidem aliisque ſacram publicam perſonam egregie ſuſtinuit. (13.) Neque minus vero privatim domui ſuæ, ſicut aliorum inſpectorem oportebat, optime præfuit. Uxore ducta A.C.cIↄ Iↄc IL. d. 11. Octobris Anna Margareta Johannis BOKELII Med. Doctoris, in Academia Julia primum PP. dein Hamburgenſium Phyſici celeberrimi lectisſima filia: cum qua ſine querela vitam amantisſime per annos octo & viginti ferme peregit, genitis VII. filiis: quorum quatuor in ætate tenera, quintum longius indultum, ab Academia Wittebergenſi, ubi anno 1675. d. XXII. Octobris inter XXII. Candidatos ſecundo loco Philoſophiæ Doctor erat creatus, anno ſuperiore Kalendis Octobr. paucorum dierum morbo DEUS ad ſe revocavit, cum luctu Parentis utriusque tanto quanto maximus Chriſtianos decebat. Superſtitum alter anno ſuperiori d. XXVI. Aprilis eodem quo frater honore ibidem merito ſuo eodem inter XXVII. Candidatos loco mactatus, una cum fratre minore natu, ac vidua matre mœſtisſima ſuperat, lugendo tam pio parenti. Is cum biduo jam afflictam valetudinem ſenſiſſet, animo etiam alienis malis (ut erat commiſerationi promptior) afflicto, nihilominus officii ſui partes omnes ex pleturus, die Dominica, cui Rogate nomen Eccleſia dare conſuevit, ultimam con-

(13.) 1. Tim. 3. v. 4. & 5.

concionem, non ſine ſummo ſuo, & morbum ipſius ſentientium auditorum dolore habuit. Inde febri tertiana correptus, licet a Medicis excellentiſſimis nihil non curando morbo adhiberetur, tamen impediri non potuit, quo minus tertiana in malignam abeunte, atque comate ſuperaccedente, die VIII. Junii circa matutinam quintam (cum paucis ante diebus animam cœleſti cibo reficiens, fidei ſuæ pietatisque confeſſionem in tanta corporis imbecillitate ād circumſtantium admirationem vivaciſſimam edidiſſet,) vitam hanc ærumnoſam cum immortali commutaret: annis LXI. menſe I. diebus XIII. expletis. Quibus utinam potuiſſent addere de ſuis qui voluiſſent! Haberemus etiamnum in vivis, quem cum tam multis nunc lugemus, & cujus exequias d. XV. hujus menſis triſtes ducemus: ac procul omni dubio frequentes. Etenim pauciſſimos in hac urbe ſpero fore, qui non lubenter hunc, quando ſic opus eſt, honorem ſint merito & hoc & amplius defuncto habituri, quem in illius gratiam aliis habere maluiſſent Quod ſupereſt, quandoquidem SURLANDI laudes nec hac nec ulla unquam charta totas complecti, neque vitam ejus vita noſtra redimere conceſſum eſt: hoc quod non conceſſum modo, ſed præceptum adeo divinitus (14) habemus, pie defuncti ductoris laudibus dantes, de vita noſtra ſimul ipſi demus & Deo. Ut imitationi Chriſtianæ ipſius, vitam

(14) Hebr. c. 13. v. 9.

impoſterum quilibet impendat ſuam, tanquam acclamante ſingulis e ſepulchro, imo ex cœlo. una cum Apoſtolo (15) SURLANDO. Μιμηταί μου γίνεσθε καθὼς κἀγὼ ΧΡΙΣΤΟΥ.

SCRIBEB.

OFFICII MEMORIÆQUE CAUSSA

VINCENTIUS PLACCIUS,
J.U.L. GYMNASII HAMBURGENSIS
P.P. ET H. A. RECTOR.

(15) *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti* 1. Cor. 4. v. 16. & c. 11. v. 1.

BONÆ MEMORIÆ

PLURIMUM REVERENDI ET OPTIMI

MERITI SENIS

DOMINI

M. HERMANNI à PETKUM,

PASTORIS PAROECIÆ HAMBURGENSIS PETRI ET PAULI.

HAMBURGI,
TYPIS REBENLINIANIS,
A. C. 1683.

JESUS.

LECTORI.

1.

EX hac vita, tanquam ex hoſpitio non tanquam ex domo, *diſceſſit* ante dies quinque, Plurimum Reverendus & Ampliſſimus Senex, HERMANNUS à PETKUM HAMBURGENSIS, Phil. Mag. & Paſtor Paroeciæ apud nos ætate & ordine primæ, quæ Petri Paulique, diſtinctionis cauſa dicitur. *Diſceſſit*, inquam, tanquam emeritus miles, exhauſtis viribus, labore feſſus & quietem anhelans, abire e ſtatione ſolet, Duce jubente, Imperatore evocante.

2.

Huic per annos 72. & ultra, inde a præſentis XVII. ſeculi poſt N. C. T. currentis decimo, dieque 29. Junii, ad usque 82. qui decurrit anni & 21. Decembris diem, commorandi in globi terraquei ſuperficie diverſorium, Divina Æternaque dedit Majeſtas & indulſit, ſatisque ejus opera uſa hactenus, ex hac turba & colluvione *diſcedere* Virum *juſſit* avocans ad divinum concilium cœtumque piarum animarum, quæ *in manu DEI ſunt*, & *juſtorum* hominum, *quos nullum tanget tormentum:* ad Synodum illam, *beatorum in DOMINO mortuorum.* [Sap. III. 1. Apoc. XIV. 13.]

3.] Ibi expectat ejus anima, conjunctionem um corpore, cœleſtium adſcripta choro, felix : beata, ut totus Noſter tandem æterna per- uatur felicitate.

3.

Metam vivendi invenit: decades annorum ptem ſive heptades decem adjecto biennio & uod excurrit. Quæ ætas ſatis longa nobis vi- letur hodie, & *durationis noſtrorum annorum* jam lim Pſ.XC.10. dicta eſt: brevis autem illis erat ominibus, qui ante diluvium, per centenari- os non per decadas, exactæ vitæ annos numera- ant.

4.

Natus eſt Hamburgi, die Petri & Pauli, Paſtor Noſter Petrinus Paulinusque: Parentibus, vir- tute & integritate conſpicuis, & Patre quidem *Hermanno von Petkum*, Cive & Mercatore, Matre vero *Anna vom Kampe*. Avum paternum laudat *Simonem von Petkum*, Honoribus & Muneribus in patria functum: cujus honorificam mentio- nem, ut alia nunc taceam, inter *Proviſores Or- phanotrophii* Noſtri invenio, illo tempore, quo is *Schroteringum*, *Heringum*, *Surmannum*, *Koblium*, *Amſingum*, *Jhanum*, *Trappium*, *Wablium & Sand- mannum*, Concives, Collegas, Amicos, Socios & Paraſtatas in laudabili opere habuit, dignos omnes, quorum inter nos conſervetur memo- ria.

5.

Neque enim pietatis, honeſtatis & merito- U 3 rum

rum deleri aut in tenebras abire debet, ſed produci & conſervari memoria, non nobis conniventibus aut negligentibus illa interire, quod Barbarorum adhuc proprium eſt, eratque Gentilium Veterum Germanorum, miſerorum & æternum infelicium Majorum Noſtrorum, qui ſimul cum CHRISTO, Bonarum Literarum decus & honorem, fructum & elegantiam, vim & ſecreta ignorarunt. Non Chriſtianæ hoc Religioni & Pietati, neque tam eruditæ, ut noſtra eſt, convenit ætati, non loco tam culto, qualis Germania eſt hodie, inque Ea Patria Noſtra.

6.

Sed, ut ad Beatum Senem redeam, Proavum is agnovit *Johannem von Petkum*, Civem & Mercatorem, virum antiqua virtute & fide, ſuperioris ſeculi tempore, ut plures in arbore genealogica & indiculo familiæ Petkumianæ, aſcendentes, deſcendentes & collaterales, ut loquuntur, omittam, aliis intentus.

7.

Poſtquam claſſes aliquot Laudatæ Noſtræ Scholæ Johannææ perambulaverat puer, datis & repetitis, quotidianis, Pietatis, Diligentiæ, & erga Præceptores Publica Auctoritate conſtitutos, obſervantiæ ſpeciminibus, venit 21. ætatis anno, ad Excellentem Philoſophum & Medicum *Joachimum Jungium*, indicans, *ſe Linguarum & Artium*, *Sanctaque Theologiæ Rudimentis tinctum iisdem porro operam dare velle*: a quo reſponſum accepit, Philoſopho Chriſtiano dignum:

Age

Age quod agis. Urge propoſitum. Ora & labora. JESUS invocatus tibi aderit.

8.

Petiit in GymnaſiiStudioſorum numerum recipi, & *à Celeberrimo Viro* quod voluit obtinuit, *à Duobus Profeſſoribus Publicis* probatus, ut Leges præſcribunt & moris eſt, apud nos bene recepti & 70.annorum conſuetudine hactenus confirmati: poſtq; tentamen & examen privatum, ex fundamentis Doctrinæ Chriſtianæ,Latina Græcaque Linguis,& Logicis Rhetoricisque præcognitis inſtitutum, dignus, qui recipi poſſet, inventus eſt, poſtquam obſequium Legibus prælectis & obedientiam Profeſſoribus promiſiſſet. Factum id A.C.1631. d.26. May. Hermannus à Petkum Hamburgenſis 383. locum tuetur in *Matricula* Studioſorum Noſtrorum *immatriculatorum*. Liceat enim his vocibus uti (neque velit mihi quiſquam dicam ſcribere violatæ puræ latinitatis) de quibus Voſſius in opere de vitiis lat. Serm.l.3.c.24.p.517.lin.21.ed. Francof. A. 1666.in 4. ſatis prolixe diſſerit.

9.

Fundamento probe jacto, emiſſus eſt in liberiorem aërem à ſuis, 23. ætatis annum agens, & primum Roſtochium petiit, poſtea Vitæbergam, tandemque Regium Boruſſorum Montem. Quibus in locis: *Balduinum, Mislentam, Roberum, Quiſtorpium, Behmium Seniorem, Hulſemannum, Lyſerum, Cothmannum & Klotzium* vidit, allocutus eſt, & docentes publice in utraque ca-

thedra diligenter audivit; Doctores Theologos, quorum felices Deoque gratæ animæ, æternis perfruuntur gaudiis; merita vero in Eccleſiam, quæ ſuperſunt & extant, monumenta teſtantur literaria, laudesque, ad finem usque mundi, inter Orthodoxos, *fama loquetur anus.*

10.

Finitis ſtudiis Academicis aliisque apud Exteros, comparandæ augendæq; Pietatis & Eruditionis cauſſa, inchoatis & ſuſceptis, 28. ætatis ſuæ, Seculi vero Noſtri 38, ab Illuſtriſſimo Friſiæ Orientalis Comite ULRICO ad Aulam, inque ea ad Verbi Divini Miniſtri, ſive Concionatoris aut Præconis Officium, Sacrum illud & Venerabile vocatus eſt; cui per biennium præfuit; quo elapſo, precibus obtinuerunt & ad ſe traxerunt *Petkumium* Cives Urbis *Aurici* * primumque inter Paſtores ſuos eſſe voluerunt 30. annos natum. Bene meriti *Theologi, Doctoris Waltheri*, conſilio & favore, ſe adhuc juvenem, adjutum; Eique plurimum debere, non ſemel faſſus eſt Noſter, & grata agnovit mente.

11.

Præfuit huic Muneri, Cœtuique profuit, ad ætatis 34. Chriſtianorum vero 1644. quando Patria Noſtra, Se Ejus opera, Deo, mediantibus Ho-

* Auricum, Aurici, Aurich / Urbs cum Caſtro, Comitis Friſiæ Orientalis, tribus fere milliaribus *Embda* diſtans totidemque *Morda*. Tractus adjacens, ab ea *Auricia* Auricherland / Auriferland / vulgo dicitur. Ita *Lexicon Geograph. Ferrarianum & Baudrandinum* habet.

Hominibus rem dirigente, jam uti cupere, illi indicavit; poſt legitimam electionem miſſis vocationis literis. Succeſſiſſe in locum *Pl. Rev. Sigismundi Philonis Schelhammeri*, bene meriti V. D. M. qui præter alios laude digniſſimos Liberos, Venerandum Illum *Johannem Schelhammerum* Eccleſiæ Lutheranæ Hagenſis Paſtorem tam præclare meritum reliquit, in Templo Petropaulino adhuc memini, inque Sacerdotali Honore, Munere & Onere, publica & ſolemni introductione, die 7. Julii confirmatum eſſe, lingua & manu *Excellentis Theologi Doctoris Joh. Mülleri*, ipſe, puer adhuc & alumnus Scholæ Johannææ, in Chorum, admiſſus dicam an attractus, præſens & aſtans coram vidi.

12.

Ejusdem ſecundæ apud nos *introductioni* (neque enim *inaugurationis* placet vocabulum,) interfui, ab Ipſo invitatus, A:C. 1673, quando in locum *Pl. Reverendi Mülleri* ſucceſſit, qui tanquam Egregius Dux, pedem fortiter figens & negotium Dei urgens, in ipſa ſtatione, ſubito mortuus erat, illa die, qua de Sanctis Angelis, Cuſtodibus & Executoribus à Divina Majeſtate conſtitutis, publice, in jam congregato Cœtu, diſſerere volebat: de quibus 47. vicibus, Hamburgi jam concionatus erat. Senſit, mandante vitæ morſque Deſpota, ſibi 75. annorum ſeni, ſilentium imponi, anima in Templum Chorumque Beatorum Angelorum, poſt alteram horam ſubito translata, inque Cœleſtem Manſionem evocante.

13.

Qua diligentia & fide, Paſtorali Munere functus ſit *Petkumius*, novit S. P. Q. H. norunt Cives & Exteri, norunt Collegæ & Amici, teſtaturque, me tacente, quisquis novit, diesque teſtabitur noviſſimus. Ego certe de eo, (ne quis expectet,) verbum addo nullum, qui vitæ Ejus curriculum, non ſcribo ſed obiter tantum attingo. Expertus eſt 44. annorum ſpatio, (tam diu n. Eccleſiæ Miniſter fuit) quod repetere ſubinde ſolebat, concatenatis laboribus, curis & moleſtiis, pro ſalute Hominum promovenda exantlatis, debilitari & exhauriri vires animi, cerebrumque fatigari & vim inferri ſanitati corporis. Nullus enim labor, vires animi minuit & valetudinem ſenſim & paulatim carpit magis, quam meditatio quotidiana, & cogitationum intentio continua, cum creberrimo memoriæ exercitio, lectione quoque & ſcriptione conjuncta.

14.

Quod Conjugium, Noſtri à DOMINO manumiſſi Senis attinet, Is ex *Eliſabetha Prætoria*, Johannis Filia *Hieronymi* nepte, Utriusque Muſicæ Arte celeberrimi, 42. annorum tempore, quatuordecim liberorum parens factus eſt; novem nempe filiorum & filiarum quinque. Filios octo, filiamque unicam, non amiſit ſed præmiſit, viditque efferri mœſtus pater.

15.

Non poſtulat, multo minus flagitat res, ut

Pl.

Pl. Rev. Paſtoris *ἀνάλυσιν* beatam multis exponam verbis. Incidit illa, in 21. Decembris Juliani, anni, adhuc, euntis dicam an currentis 82. Hora noctis præcedentis undecima. καρδιαλγίᾳ * afflictus, per ſequentes noctis & antemeridianas quoque diei horas, dolores ſenſit acutiſſimos, accedente *incurabili illo ſenectutis morbo.*

16.

Aſtabat cum triſte Conjuge, & tribus Filiabus Ornatiſſimis Virginibus, morientis lecto, oculis mox in cœlum elevatis, mox iterum in bene de ſe meritum Senem decumbentem defixis Filius unicus, quem octo fratribus in cœlum translatis præmiſſisque, DEUS illi in præſidium & ſolamen ſenectutis reliquerat. Filiam natu maximam, elocavit adhuc inter nos vivens, eamque Conjugem dedit, Admod. Rev. Viro *Georgio Jonæ Tonſori*, Superintendenti inter Hadelenſes Altenbrokiko. DEUS ſoletur omnes, ad quos Ejus morte, luctus pervenit acerbiſſimus, eosque regat & modis omnibus fulciat, ut magnitudinem ægritudinis ferre poſſint.

17.

Fuit Petkumius. Eſt in cœlo, eſt in ſepulcro. Erit in perpetuo cœlorum gaudio. Supereſt in memoria hominum. Quæ ſedes expectet, animam piam, legibus ſervitutis ſolutam,

* De hoc morbo, ejus nomine & re, indicatione & curatione ſymptomatibus & remediis, Medici viderint. Quidam expoſuerunt, *dolorem cordis cum triſtitia mentis conjunctum*. Conſulantur Medicorum Theoreticorum & Practicorum ſcripta.

tam, & in quem illa diſcedat locum, ex Sacra Scriptura rectius, quam vel ex Platonis dialogis Ciceronis Catone Majore aut Stoicorum Seneca didicimus, hauſimus percepimus; Nos, qui libertatem & quietem, poſt labores & ſervitutem, Beato non invidemus Seni, ſed gratulamur potius.

18.

Senex in domo, bonum ſignum in domo, dicere ſoleo cum melioribus & antiquioribus Hebræis. Loquor a de ſenectute laude digna, deque ſenibus, pietate, eruditione & meritis conſpicuis, nequaquam de aliis. Liceat mihi idem de Domo Dei Mei, de Eccleſia Chriſtiana Orthodoxa, ſentire & proferre. Et nos, qui Senes, canitie venerabiles, longoque rerum uſu inſtructos & meritis graves videmus, in Tribus Hierarchiis Dei Noſtri, Eundem rogabimus, ut illos ſervet diutiſſime, & ut Reliquos ad ſenilem ætatem perducat & ſuperſtites eſſe jubeat feliciſſime: neque in juvenili aut virili abripiat ætate. Is triſte avertat omen, ne *nive liquefacta, multum exiſtat luti.*

19.

Tu vero, Suaviſſime Senex, capſis amoris mei hoc μνημεῖον, mea qualicunq; manu exaratum. Nos tuam ſuaviloquentiam non audiemus amplius. Clauſiſti oculos tuos, infirmos illos & laborantes, quos tamen diligenter in chartam habebas defixos, neque ad lychnum minus quam ſole lucente. Iliis ipſis, in reſtitutione noſtra, ſed perfecta claritate inſtructis, vi-

de-

debis DEUM. (Job XIX.25. 26.27.) Mandabimus terræ, exhauſtum laboribus, moleſtiis & ærumnis, ſenile tuum corpus. Nobiliſſimam vero partem, Animam profecturam, jure potuiſti alloqui his verbis: O anima,

Egredere, o multis toties perfuncta ruinis,
Egredere, & Servis Servilia Regna relinque.
Aude, Hoſpes, tenebris horrendi imponere finem
Exitii, & Patriæ ſperatas quærere ſedes.

20.

Quique ad extremum usque ſpiritum, tuæ commiſſos fidei, pietati & diligentiæ, nunquam deſtitiſti, monere, hortari, rogare etiam, ut quicquid Deo diſplicet, memores Divinæ in Sacris Literis Revelatæ Voluntatis, fugerent, (non tam formidine pœnæ quam amore Dei & Pietatis,) æternam ut effugerent infelicitatem: Civis jam Sanctorum & Domeſticus Dei factus es, confecto vitæ in his terris curriculo. Illo tempore, quo judicabitur de Humano Genere, adventante ultimo νυχθημέρῳ, quando fracto elementorum fœdere & compage diviſa, moleque, qua continemur & cingimur, & cui inſiſtimus, ſubito ſubruente, communis hæc mundi machina concidet interibit & ardore deflagrabit, ab Ipſo Vivorum Mortuorumque Judice,

ce, Clementiſſimo ſimul & Juſtiſſimo, præſens & coram aſtans, teſtimonium feres & exultabis.

Scribebam Hamburgi, A. C. cIↄ Iↄc LXXXII. M. Decembris D. 26. feria II. Nativitati D. N. J. C. ſacra,

Rudolfus Capellus,
S. Theol. D. Prof. Publ. Prim.
& h. a. Gymn. Rect.

LAU-

LAUDATIO FUNEBRIS
REVER. CLARISS. DOCTISS.
Q. V.
DOMINI
M. JOHANNIS STEMANNI,
ARCHIDIACONI ECCLESIÆ
S. NICOL. HAMB.

HAMB. A. C. cIↃ IↃc LXXVI.
TYPIS GEORGII REBENLINI,
SENAT. ET SCHOLAR. TYP.

SErvire grave ſemper, miſerum & intolerabile habitum: liberum eſſe facile, jucundum, optabile: libertate nihil fere gratius, moleſtius ſervitute. Servitus eſt extremum malorum, dicente M. Tullio: &, ut ille apud Comicum, omnes profecto liberi lubentius ſumus, quam ſervimus. Libertas, res inæſtimabilis, non hominibus tantum, ſed & feris beſtiis amatur: contra naturam ſervitutem eſſe, communi hominum ſenſu, & Juriſconſultorum ſcito decernitur. In ſervos quidvis licebat, & nunc licet, apud plerasque gentes: eos ſcilicet, qui veram ſervitutem ſerviunt: ut neque in hominum numero reponi debeant. Quod dicere auſus eſt Ariſtoteles, a natura quosdam ad ſerviendum procreatos abjectosque, in eo hominum naturæ, ut & libere philoſophantium animis, vim inferre auſus eſt. Eſt tamen ubi cum libertate ſervitur, ubi ſervi ſunt liberi: & contra, qui ſe liberos ferunt, in ſervorum numerum ſunt referendi. Nemo, qui res novit, & recte æſtimat, clamet, gryphes me equis jungere, ut eſt in proverbio. Legibus parere, ſive ſervire, libertas ſumma eſt. Sapientem, quantumvis ſervum, liberum pronunciabant Stoici: niſi ſapientem liberum eſſe neminem, cui ſit poteſtas vivendi, ut velit, qui jugum non tantum recipiat, ſed etiam excutiat, docente ita Seneca. D. Auguſtinus quoque, bonus, inquit, etiamſi ſerviat, liber eſt: malus, etiamſi regnet, ſervus. Sub Principe juſto, & clemente, vivitur cum libertate,

tate, quippe qui lex eſt animata, ex Philoſophi ſententia: qui ipſe ſe legibus ſubjecit, quas nemo principi ſcripſit: qui nihil amplius vult ſibi licere, quam civibus: quod Plinius prædicat de Trajano. Deo autem ſummo, omnibus imperanti, ſerviunt mortales, qui recte faciunt, ſumma cum libertate. Quidam vero peculiariter Dei ſervi & ſunt, & appellantur David Rex, Salomoque, & alii populorum rectores, qui magis præſtabant, Deoque diligebantur impenſius, Servorum Dei cognomento ornati ſunt. Verum ſuperſunt quos, præter cæteros omnes, Deus & Servator noſter, ſervos ſibi juſſit eſſe proprios familiariſſimosque, ſuorum mandatorum exequentes. Prophetæ, Apoſtoli, & horum Succeſſores, Dei, & Chriſti ſervi, eccleſiæ miniſtri. Atrienſes ſunt in Dei domo, in familiis quaſi ejusdem provinciisque, ἐπίτροποι, ἐπίσκοποι. Eos nos quilibet ducat, ſive ita de nobis exiſtimet, nos eſſe adminiſtros Chriſti, & myſteriorum diſpenſatores: ita de ſe, & eodem ſecum fungentibus munere aliis prædicat Paulus, in ſacro famulitio non poſtremus. Ille ſæpius de eo gloriatur, hoc ſe magnificum facit, placetque ſibi magis, quam ſi in provinciam aliam, a Deo ſibi demandatam, immiſſus eſſet, quam homines ſummam illuſtriſſimamque reputant, puta principatus, regni, imperii. Maluit dici ſervus Chriſti, miniſter eccleſiæ, quam orbis dominus, magnus rex, imperator. Atque (eo ibamus) elogii, quo Vir Reveren-

dus Clariſſimusque M. JOH. STEMANNUS, in D. Nicolai Eccleſiaſtes a Paſtore primus, ornandus nobis, extremi hujus funebrisque ſumma eſt, quod fuit ſervus Dei, Archidiaconus. Διακονία, miniſterium ſacrum, quod obiit, cœleſti honore omnibus potiori auxit, & ad dominum extulit, cui ſervivit. Ut autem exemplo ſit, & bene merito hoc etiam, quicquid eſt, honoris ultimi habeatur, paucis exponamus, ut in vitam venerit Chriſto ſervitutem ſerviturus, ut ad eam ſe paraverit, ut ea ſit functus, & defunctus. In vitam venit, lucis tuendæ copia ipſi data eſt anno hujus ſeculi Chriſtiani ſecundo, die Auguſti octavo & viceſimo, in hac noſtra urbe. Habuit Patrem JUSTUM STEMANNUM, in Weſtfalia natum, virum honeſtiſſimum, mercatorem induſtrium: Matrem vero nactus eſt optimam laudatiſſimamque, præcipuo quodam genere inter Ditmarſos ortam, ILSABAM THEBENIAM. Gaviſi ſunt filio parentes, dederuntque continuo operam, ut reconciliaretur in libertatem, ut caput liberum efficeretur, exemptus ex poteſtate principis inferorum, vindicta aſſertus Regi beatorum cœlitum, ſacramento ſanctiſſimi baptiſmatos. Ita ipſum ſalus ſervavit. Mancupio plane datus eſt Chriſto Servatori, Solduriorum lege, & ſanctiori. Quamobrem ut qualem vellet haberet, pie recteque eduxerunt, quocunque in vitæ genere ipſi ſerviturus eſſet, ſacro tamen potius deſtinarunt. Poſt domeſticam diſciplinam, privatasque informationes, in publicas pietatis, morum

&

& litterarum officinas mittebatur. Et initio in ſcholam miſſus eſt Buxtehudanam, quæ in vicinia: deinde in Hamburgenſem noſtram retractus, poſtea in Weſtfalicam Herfordenſem abiit, anno ætatis ſexto & decimo: ex ea poſt biennium, in Oſnabrugenſem in eadem provincia transferebatur. Sequebatur famam præceptorum docentium, commoditates diſcendi, & occaſiones. Anno ſeculi viceſimo, Academiæ Roſtochienſis Muſas adiit florentiſſimas, in eaque exegit quinquennium: ut non deſultorie, perfunctorieque, & interciſe, ſed acri ardore, continuaque & æquali diligentia ſtudia ſua & tractaret, & abſolveret. Utebatur Roſtochii inprimis amicitia, & convictu celeberrimi Theologiæ interpretis publici D. JOHANNIS TARNOVII, qui inter Roſtochienſium ſidera tunc temporis egregie refulſit, cujusque nomen, vel in libris relictis, nondum fulgere deſiit. Ut in ſchola Weſtfalica nobilis alicujus adoleſcentis informationem ſuo ductu monitisque adjuvit: ita & in Academia laudata alium juvenem nobilem, cum quo ipſi erat contubernium, litteris magis augere, atque implere non eſt dedignatus. Valedixit Muſis Balthicis, anno quinto ſupra viceſimum: &, poſtquam patriam reviſiſſet, non longe poſt in Daniæ urbem principem, Regum ſedem, Hafniam excurrere ipſi libitum eſt, ut ſalutaret cognatum ſuum JOHANNEM BRAAM, civem & mercatorem in illa non e poſtremis. Divinæ providentiæ, ut omnia, ita

præcipuum quoque eſt occaſiones temperare, voluntates hominum adjungere, loca oſtendere, in quibus homines collocentur, munia aliis auferre, aliis permittere. Hinc perfrequenter in tempore venire omnium eſt primum: & inſperata accidunt magis, quam quæ ſperamus, occaſioque frontem oſtentat, nobisq; obvertit capillatam. Ita agebatur cum noſtro STEMANNO Hafniæ: ubi ſuſcipiebatur a cognato JOHANNE BRAAMIO perhumaniter, eccleſiæ & templi Germanorum curatore. Eo auctore, & aliis viris bonis piisque, cum præter Paſtorem, jam ſenem, deſideraretur alter miniſter, audiri ſe paſſus eſt, habita concione. Dixit, auditus eſt, adſcitus: ejusque anni Septembri menſe ſolemniter inauguratus, In D. Mariæ templo, a reverendiſſ. D. D. RESENIO, Selandiæ Epiſcopo, Germanorumque cœtui in D. Petri æde præpoſitus. Hic Deo ſervivit per quinquennium. Patria revocavit, anno XXX, cujus caritatem in ſe extingui paſſus non eſt. Oeconomiæ divinæ admovebatur in parœcia D. Nicolai, electus die VII. Martii, introductus die XXVIII. Aprilis: quam cum cæteris Collegis adminiſtravit, in annum usq; XLVI, quo finem fecit & vivendi, & in hoc mundo ſerviendi. Si ad vitam privatam reſpicimus, eam egit a ſacro ſuo munere minime abhorrentem, utriusque bonis ſucceſſibus non deſtitutus. Junxit ſibi matrimonio an. XXVII, Junio menſe, Virginem SOPHIAM HEDWIGEM, filiam natu maximam

mam Viri Rever.& Cl. M. VALENT. WUDRIANI, Paſtoris apud nos eccleſiæ Petrinæ; quam, poſt biennii amores ſuaviſſimos, morte amiſit ereptam. Ex ea ſuſcepit liberos duos filios: ex quibus primogenitus, cum matre, Hafniæ eſt ſepultus: alter, in Dei ſervorum numerum æque ac pater cooptatus, JUSTUS VALENTINUS, Elſingoræ in Dania, jam in annum XIX, Paſtorem ejus eccleſiæ egit. Vidit ex hoc nepotes novem. An. XXX, die XV. Junii, ſecundis nuptiis domum duxit Virginem ANNAM JUGERTINAM, cujus genus pertinet ad illud JUGERTORUM & VON-CAMPIORUM. Hujus conſortium dulce, ad ultimum diem, per tot annos, retinuit, factus pater quinque filiorum, duarum filiarum: de quo numero unicus inter vivos degit filius JOACHIMUS, in eccleſia D. Catharinæ juratus, & VIII-Vir curando ærario, ſpectatus honeſtiſſimusque. Nepotes decem, ex hoc prognati, avum recrearunt, filii ſeptem, præter tres filias: ex quibus quinq; filii, & filiæ duæ relictæ ſunt, qui cum parentibus lugentium habitu apparent. Nec tacebo ex amiſſis filiis noſtri STEMANNI, NICOLAUM DANIELEM, qui in Academia Julia, die XIX. Auguſti, an. LXVI, poſt quinquennium in ea conſumtum, deceſſit, jam laurea, Juris utriusque ſtudio promerita, coronandus. Hæc pleraque ſunt, quæ de hoc Dei ſervo, tanquam potiſſima, dici debuerunt: niſi quod adjungendum cæteris, non tantum voce, ſed & ſcriptis de

Eccleſia meritum bene,&meriturum,cum olim enim legentur: quorum enumeratio,quoniam & in manibus ſunt noſtrorum, & finiendum eſt, omittitur. Finiamus cum vita,& ſervitute in hac mortali STEMANNI finita. Cœperat portare grave onus plurimum annorum, quippe ad exitum anni LXXIV.procedens ætatis ſuæ:Non ſubito, ſed ſenſim deficiebat, ut ſolent, quibus cruda eſt ſenectus viridisque magis: vocis inſtrumenta affici cœperant. Ex pedibus laboraverat, ante dies quaſi quatuordecim, quam extremus morbus invaderet in ſuggeſtu, cum concionaretur: neque enim ab officii partibus ceſſaverat, niſi quandoque a concionando. Inter dicendum lingua titubare,ipſe loqui impedite: abſolvit tamen ſermonem ægre, quo dixit pridie Paſchatos nuper, de Domini ſepultura, ipſe mox ſepeliendus. Non decubuit in lecto admodum,niſi triduo ante obitum: paralytici & apoplectici morbi vis in eo deprehendebatur, qua eſt extinctus placidiſſime,quadrante horæ ante matutinam,dominica die, IX. Aprilis, & in dormitorium,quod eſt in D.Nicolai, illatus exequiis frequentibus,altera, die XVI. menſis ejuſdem. Fuit itaque STEMANNUS ſervus Dei in hac vita: eſt eritque ſemper in altera cœleſti. Dimiſſus hic eſt cum pace, ut ſervus ille grandævus, qui Chriſtum ulnis portabat ſuis, quem noſter corde,ore,calamoque circumtulit. Manumiſſus hic eſt, ſed nunquam emancipandus: ſervitus cœleſtis æterna futura eſt, eadem-

que

que libertas. Servus fuit frugi, lucratus eſt, non abſcondidit talentum, quod commendaverat Dominus: qui revocato ad ſe, euge, ait, ſerve fidelis, ingredere, & fruere lætis, cum tuo hero. In veram Eleutheropolin venit, Libertatis plenæ atrium ingreſſus eſt; non pileum, ſed coronam ſtellis inſignem accepit, libertatis inſigne ſempiternæ. Libavit moriturus CHRISTO SERVATORI, non ſanguinem ſuum, ſed ſpiritum reddidit, ab ipſo ſangvine fuſo redemtus. Saturnalia ſervorum libertati dicata erant: ſervi Dei liberrimi perpetuos agunt feſtos dies. Quidam incolæ, ſi libertate fruuntur, mali ſunt, ut ille dicebat Græcorum princeps, ſi ſerviunt, boni: cœli incolæ, & ſervi juxta, & liberi, ſunt optimi feliciſſimique. Alterius dictum eſt, ſervum fieri, quem Deus oderit: ſervus vero fit Chriſti, quem ille amat. Ille amavit beatum STEMANNUM, ille amet nos, cum ipſo, per ſervitutem, ad libertatem eandem enitentes.

SCRIBEBAT

HONORIS SUPREMI, AMICITIÆQ. CAUSSA

MICH. KIRSTENIUS,

PH. & M. D. & P. P.

EPITAPHIUM

ADMODUM REVERENDO AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

VIRO,

DOMINO

DAVIDI KLUG/

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI CELEBERRIMO, AD D. CATHARINÆ, APUD HAMBURGENSES PASTORI PRIMARIO, ET SUMME REVERENDI MINISTERII APUD EOSDEM SENIORI

OPTIME MERITO

TANQUAM ULTIMUM PIETATIS OFFICIUM DICAVIT

NOMINE

COLLEGII PROFESSORII

DANIEL BUTTNERUS,

J. U. LICENT. ET PROFESSOR PUBLICUS

IPSO EXSEQVIALI DIE XXIII. APRILIS A. R. O. M. DC. LXXXIIX.

HAMBURGI,

Literis Viduæ GEORGII REBENLINI Senat. Gymnaſ. & Scholæ Typogr.

Digitized by Google

QUanta mortalium generi ſit indita ſciendi aviditas, totus commonſtrat Orbis, natio quælibet declarat, ætas cujusque hominis indigitat. Extremum verſus occaſum noti orbis terminum, ſolisque cubilia Gades, ut Statius loqui amat, adeas & reperias homines, mentem ſuæ gentis diſciplina excolentes. Ad ſinum te conferas Strymonium, & habebis in oppido Stagira obvium Ariſtotelem, illud, verba ſunt Hieronymi, naturæ miraculum. Thracia ſiſtit Orpheum, Phœnicia Thaletem, Mercurium Trismegiſtum Ægyptus, Perſia Zoroaſten, Atlantem Lybia, Anacharſin Scythia, regiones aliæ alios. Si in Parthia natus eſſet, arcum infans ſtatim tenderet: Si in Germania, protinus puer tenerum haſtile vibraret; ſi avorum noſtrorum temporibus fuiſſet, equitare & hoſtem cominus percutere didiciſſet, ut in *Epiſt. XXXVI.* Philoſophus ait Cordubenſis. Danielis & condiſcipulorum fervorem in percipiendis Chaldæorum ſcientiis divina loquuntur oracula. Junioris mundi incolas ſtudiis Theologicis, Juridicis, Medicis, Philoſophicis, Mathematicis fuiſſe addictos, nec non artibus illiberalibus Chirurgiæ, ſculpturæ, horti culturæ, venationi, picturæ & aliis dediſſe operam, egregie docet fulgidiſſimum illud Philyreæ lumen D. Auguſtus Pfeifferus *in Panſophia Moſaica, e Geneſi delineata.* Quin ipſi Chriſtiani ad conſequendam rerum ſcientiam gentilibus uti Magiſtris non dubitarunt. Johannem illum celebratiſſimum,

 cui

cui inuſitata dicendi facultas nomen Chryſoſtomi peperit, Libanii Sophiſtæ auditorem fuiſſe, teſtis eſt Socrates *lib. VI. cap. 3. Hiſtor. Eccleſiaſt.* Baſilium & Gregorium, Viros de Eccleſia Chriſti quam optime meritos, a Numerio & Proæreſio Athenis fuiſſe eruditos, id ſuo confirmat teſtimonio Sozomenus *Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. VI. cap. 17.* Hieronymus citra fidiculas fatetur, a Judæis ſe Hebræorum & Chaldæorum linguas didiciſſe, eorumque opera in vertendis Bibliis fuiſſe adjutum, Confer. Hornejus *de Sacr. Scriptur. Diſput. VII. §. 20.* Tanto hi flagrarunt ſciendi deſiderio, ut maluerint in ſuſpicionem violatæ pietatis incurrere, quam ſcitu neceſſaria ignorare. Inaudito φιλομαθίας ſtudio motus Democritus oculis ſe privaſſe dicitur, ut naturæ ſecreta ſubtilius rimaretur, uti refert Tullius *lib. V. cap. 29. de fin.* Exiſtimabat enim, cogitationes, commentationesque animi ſui in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores fore, ſi eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberaſſet: vid. Gell. *Noct. Attic. lib. X. cap. 17.* Hinc cum alii ſæpe, quod eſſet ante pedes, non viderent, ille infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate conſiſteret; namque Auctore Laërtio *lib. IX, in Democrit.* naturalia, moralia, mathematica, liberalium diſciplinarum rationes, artiumque omnem peritiam callebat. Plato non contentus diſciplinis, quas præſtare poterant Athenæ; non Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat: Ægy-

Ægypti quoque Sacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit, referenre Quintiliano *lib. I. Inſtit. Orat. cap. 12.* Ubi Moſis ſcripta legit, multaque ex iis fecit ſua, ut ſatis luculenter oſtendit Grotius *in annotat. ad pag. XXI. lib. 1. de verit. relig.* Fervor hic diſcendi inflammavit quoque animos eorum, qui ſceptro & diademate fuere conſpicui. Probat id ſuo exemplo Choſrões, Perſarum Rex, qui Philoſophia, diſciplinisque omnibus Græcorum ita fuit imbutus, ut par ſummis Philoſophis haberetur, unde in Perſiam ad eum, tanquam ad alterum Salomonem, viſendum ſe contulerunt Damaſcius Syrus, Simpliciusque e Cilicia, & Eleunamius Phryx, Priſcianusque Lydus. Hermias præterea & Diogenes ex Phœnicia ac Iſidorus Gazæus, qui omnes Juſtiniani temporibus omnium erant philoſophantium principes. Vid. Cozzand. *de Magiſter. antiquor. Philoſoph. lib. I. cap. 9.* Neque ab hoc diſcendi propoſito ullis revocabantur impedimentis. De Chreſto Byzantino, ab Herode inſtituto, commemorat Philoſtratus *libr. II. de Vitis Sophiſtar. pag. m. 587.* quod, vino quandoque victus, tantum ei ſuperfuerit ſobrietatis, ut etiamſi in gallicinium usque convivium proceſſiſſet, antequam ſomno ſe traderet, literarum tamen aliquid attingeret. Multis ita laudem in Philoſophia venantibus, Ægyptii ſuos habebant Cecropes, Perſæ Magos, Veteres Galli Druidas, Indi Gymnoſophiſtas. Verum ut quilibet fere mortalium ſuo abundat ſenſu,

ita

ita & Philoſophorum animis, in varias & ſæpe contrarias opiniones diſtractis, multæ naſcebantur ſectæ, ut Pythagoreorum, a Pythagora; Academicorum, a loco Platonis natali; Peripateticorum ab ambulandi conſuetudine Ariſtotelis, Stoicorum a στοᾷ ſeu porticu Athenienſium, in qua Zeno ſuos docuit; ut & multorum aliorum, quas ſi recenſere vellem, nihilo plus agerem, quam qui, ut eſt apud Catullum *Carm. VII.* allaborat ſcire,

Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ
Lacerpiciferis ſiet Cyrenis
Oraclum Jovis inter æſtuoſi,
Et Batti veteris ſacrum ſepulchrum.

Horum nonnulli dum ſapientiæ fructibus veſci ſategerunt, eo dementiæ ſunt delapſi, ut λόγους ἀπόρους ſeu inexplicabiles rationes excogitarent, & ad fallendos alios, confundendosque proferrent. Hi à ſophismatis Sophiſtæ ſunt appellati, teſte Cicerone *II. Academic.* & oſtentationis aut quæſtus cauſa philoſophati ſunt, quorum Anteſignanus Protagoras Abderites fuiſſe creditur Ciceroni *lib I. de natura Deorum* & Laertio *lib. IX. in vita ejus.* Alii finxere hominem fere truncum & ἄνθρωπον ἀπάνθρωπον, ſummum nefas reputantes, eum fronte vultuque mutatis, vel in Phalaridis tauro ingemiſcere; vid. Cic. *libr. V. cap. 28. de fin.* Sed inhumanam hanc ἀπάθειαν ſanior ratio jam dudum repudiavit, exploſit, damnavit. Alii ipſa vitia virtutum loco habuerunt. Ariſtippus ſummum bonum in volupta-

te

te animi, Epicurus in voluptate corporis poſuit, ut patet ex Cicer. *lib. IV. Acad. cap. 42.* Alii Philoſophiæ ſuavitatem ſuis hæcceitatibus, quidditatibus, entitatibus, & neſcio quibus nominum portentis reddiderunt intricatam, & tantum non ridiculam. Verum his miſſis ſaniorem SOPHUM in ſcenam produco, non gentilem, ſed Chriſtianum, non tam artium ſcientia, quam ipſius naturæ beneficio factum, unde nec Pythagoras hoc ipſi nominis detrahere poterit. SOPHUM, qui dum vixit, prudenter vixit, in cœleſtis & VERI SOPHI conſortio æternum victurus. Eſt is VIR maxime Reverendus, Ampliſſimus & Excellentiſſimus Dominus DAVID KLUG, SS. Theologiæ DOCTOR celeberrimus, Miniſterii Hamburgenſis hactenus SENIOR digniſſimus, ad D. Catharinæ PASTOR Vigilantiſſimus, & Scholarcha meritiſſimus, qui vere Vir antiqua virtute & fide terris exemptus, lugendi materiam nobis reliquit. Eccleſiæ Antiſtites veneranda canitie Senem deplorant, & ordinis ſui primarium querula voce proſequuntur. Parœcia Catharininiana ſuum flet Doctorem, deſtitutus grex ductorem, liberi Parentem, Amici Achatem, ſtudioſa pubes monitorem. SOPHI hujus fata multum acerbitatis afferunt literarum Cultoribus, quibus fuit præſidio, perturbant miſerorum animos, quibus fuit ſolatio, affligunt honeſtorum omnium coronam, cujus fuit ornamentum, commovent ipſas Muſas, quarum decus fuit nunquam intermoriturum. Vi-

tæ

tæ ipſius curriculum integrum ſi excutimus, nil niſi laudes, & virtutes offendimus. Natales ſuos debet Tilſæ, oppido Boruſſiæ, ubi anno M. DC. XIIX. die XIV. Aprilis ſt. vet. ex vetuſta Sacerdotalis Ordinis familia prodiit, & paternum ſtemma ex Nobili Klugiorum proſapia, quæ in Galliis originem habuit, ſed poſtmodum in Boruſſiam ſe recipiens, orthodoxæq; fidei cultores amplexans prædio feudali eſt exuta, repetit. Notam hic obſerves, SOPHORUM Generi inſitam, dum animæ ſalutem temporali prætulit felicitati, æterna caducis, ſolo polum. Maternam vero ſtirpem ex antiqua & Patritia Engelbrechtorum Pomeranorum familia deducit. In lucem editus, & ſacro Baptiſmatis fonte Chriſti Eccleſiæ initiatus, pueritiæ annos pietatis ſtudio in ſchola patria impendit. Poſtquam ex ephebis exceſſit, humaniora & mox Philoſophica ſtudia, ne omen nomini deeſſet, excolere cœpit. Ut vero hujus SOPHI animus ſolida rerum ſcientia occuparetur, non multum vacavit ad pueriles ineptias, Mus Syllaba eſt, Syllaba autem caſeum non rodit, Mus ergo caſeum non rodit, aut ad alias apinas & tricas, quæ à Seneca *Epiſt. CLIIX.* ſalſe ridentur. Anno ætatis ſuæ XIIX. Academiam Regiomontanam ſalutavit, & laudatiſſima Parentis veſtigia premens ſtudio ſe mancipavit Theologico. Impigre hoc ſaxum voluit, & pertinaci ſuperavit induſtria. Nocturna enim, diurnaque manu libellos eruditos verſavit, & frequentibus Diſputationibus pu-

publice habitis ita inclaruit, ut ad Magiſterii gradum ſuſcipiendum vice duplici à Collegio Philoſophico ſtimularetur. Amicorum etiam monitis conceſſit, oblatoque dignitatis gradu & titulo nobilitatis, pro loci conſuetudine à Clariſſimo tunc temporis Phlilоſopho M. Michaële Eiflero eſt exornatus. In Theologicis D. Johannem Böhmium, D. Cœleſtinum Mislentam, D. Abrahamum Calovium nactus eſt Duces, eorumque Collegia ſummo ſtudio frequentavit. Anno M.DC.XLI. ad Muſas ſe contulit Rhodopolitanas, ubi Oporothecam ſuam Logicam, XVI. Diſputationibus conſtantem publice præſidendo defendit, & à Facultate Theologica licentiam aperiendi privata in Theologicis Collegia impetravit. Hinc Soram ſe recepit, ut ſub famigeratiſſimi Theologiæ Profeſſoris D. Chriſtiani Matthiæ informatione ſtudiorum ſuorum perfectionem maturaret. Inde contendit Hafniam, D. Caſparem Erasmum Brochmannum auditurus profitentem. Hic aliquamdiu commoratus Regnum Süecicum adiit, & ſede Regia, monumentisque Holmiæ ſpectatis perrexit ad Academiam Upſalienſem, ibique Muſis non ſine gloria eſt operatus, donec flexo itinere ad Friſiæ Academias, Groningam, & Franeckeram Lubeca Hamburgo & Brema diſceſſit, ibique ad tempus ſubſiſtens in Bataviam migravit, oppidisque celebrioribus luſtratis Lugdunum & Ultrajectum eſt ingreſſus, doctorumque Virorum animos ſibi conciliandi

oc-

occaſionem arripuit. Cum in Angliam digredi cogitaret, & nave conſcenſa paſſisque velis per medios æquoris fluctus iret, Dünkerkeranorum piratarum acceſſu Roterodamum eſt repulſus. Mireris hic iterum SOPHI indolem, dum Pythagoræ, Platonis, Democriti, aliorumque more prudentum paternis focis non perpetuo adhæſit, neque viarum periculis eſt deterritus, ſed exterorum regiones pedibus obiit, & remotiſſimas terras propter diſcendi cupiditatem, ut habet Cic. *libr. V. cap. 19. de fin.* peragravit. His itineribus feliciter peractis in patriam ad ſuos eſt reverſus, exactoque ſemeſtri ſpatio Archidiaconi munus in inſula Boruſſiæ Mariana ipſi an. MDCXLIV. eſt demandatum, quo ſumma cura functus an. MDCXLVI. Archipresbyter, provincialis Scholæ Inſpector & Pomezanici Conſiſtorii Aſſeſſor Salfeldam Boruſſiæ eſt evocatus. Cum anno M. DC.LVI. Elbinga ſceptro Suecico ſubjiceretur, ſequente anno Paſtor & Inſpector ejusdem Paroeciæ, totiusque Marienburgici Palatinatus Superintendens, ut & Regii Conſiſtorii Præſes eſt conſtitutus. Elbinga vero vi Pacis Olivenſis Polono reſtituta, temploque Lutheranorum Pontificiis reddito, Majeſtas Suecica, ipſi Wiſmariæ Superintendentis & in Regio Conſiſtorio Præſidis dignitatem contulit. Hac gloria auctum Gryphisvvaldia anno M.DC.LXIII. Theologiæ Licentiatum renunciavit, ipſi anno M.DC.LXV. Dominica Reminiſcere ad Paſtoratum templi Catharinei ab Ham-

Hamburgenſibus vocato, inſignia Doctoralia XXVII. Aprilis ejusdem anni conceſſit. Hamburgum itaque cum familia ſua perveniens, die XV. Jun. ſuo muneri à D. Johanne Müllero, Miniſterii Hamburgenſis tunc temporis Seniore eſt præfectus. Tandem anno M DC. LXXIX. die XVII. Septembris, jam laudato Müllero denato, Miniſterii Senior eſt declaratus, & per Ampliſſimi Senatus Deputatos in cœnaculo Baſilicæ Catharinianæ Reverendo Miniſterio eſt præſentatus. His titulis & honoribus fulgens procul fuit ab arrogantia, procul ab auſteritate, procul à perfidia, præſentis ſeculi vitiis communiſſimis. Et quanquam divinarum humanarumque rerum notitiam indefeſſo labore comparaverat, nunquam eruditionem jactavit, eorum indolem acerrimo proſequutus odio, qui cum Palæmone falſo ſibi perſuaſum habent, literas ſecum & natas, & morituras. Et ut SOPHI partes ex omni parte expleret, præter Oporothecam Logicam in Eccleſiæ & proximi emolumentum juris publici fecit Ideam Biblicam, Heptalogum Chriſti, itemque Chriſtognoſiam, & inter Eriſtica Epicriſin adverſus ideam falſorum Prophetarum Dn. Seyrrabends/ Paſtoris Elbingenſis, & tractatus alios. Ad matrimonium quod attinet, nuptias anno M.DC.XLVI. die VII. Septembris celebravit, & cum conjuge ſua per mutuam caritatem mira concordia XXXVII annos & XXI. ſeptimanas vixit, factus parens quindecim liberorum, novem maſculi, ſex vero ſe-

ſequioris ſexus, ex quibus quinque filii morte jam ſunt abrepti, ex duabus vero matrimonio junctis filiabus nepotes quatuor, neptes tres vidit avus, ex quibus filius unicus, nataeque duae, quibus divina gratia canam ſenectutem, feliceſque dies largiatur, ſuperant. Mortis cauſam pepererunt pungentes pectoris dolores, quos die XIII. Aprilis circa duodecimam nocturnam ſenſit. His vires ſumentibus, membra corporis imbecillitate frangi cœperunt, malumque in pectoris ſede pertinaciter hæſit, cujus tamen moleſtias æquiſſimo animo pertulit. In conſilium vocati Medici, auxilium & opem ferre ſumma quidem induſtria tentarunt, verum cum medicamina nihil proficerent, ipſe facile conjiciebat, præſtitutum vitæ terminum adeſſe, ideoque ad ſalutarem animæ medicinam mentem applicuit, ſacraque Synaxi X. Aprilis fruitus eſt, ultimoque ſe viatico ad beatam vitam inſtruxit, donec tandem hora prima noctis, quæ ſacram patientis Chriſti diem ſequitur, inter preces & ſuſpiria ſuorum placidiſſime obdormivit, poſtquam exegit annos ætatis LXX. matrimonii XXXVII. additis XXII. ſeptimanis; Viduitatis IV. ſeptimanas X. & dies tres, Miniſterii XLIV. Paſtoratus Hamburgenſis XXIII. demtis novem ſeptimanis, Senioratus IIX. cum dimidio. Ita vixit maxime venerandus SOPHUS, & vere vixit, dum vixit DEO & proximo. Dulce ipſi erat ſacra peragere, & amoto hypocriſeos fuco vitam ad legis divinæ normam, regulamque exi-

exigere, & ſingulis pro virili inſervire. Hinc jacturam ejus acerbiſſimis lacrimis non pauci deflent, & queruntur, quod pietatis habitaculum, modeſtiæ exemplar, incrementum ſapientiæ, imago conſtantiæ diſparuerit. Imo vero diſparuit tantum, aliquando iterum appariturus. Corporis compagibus ſolutis vivere quidem deſiit, ſed melior pars ejus Cœlitum aſſociata cohortibus æternum triumphat. Hæc certe meditationes omnem mœrorem animis lugentium merito debent excutere, & quemlibet ad preces ſupplice voce fundendas incitare, ut Divinum Numen ſolatio ſuo ſuperſtiti familiæ & cognatis adſit, dignum in ſparta vidua largiatur Succeſſorem, ſibique beatum ex hac vita diſceſſum concedat. Nos interim exuvias, quas reliquit nobis, debito afficimus honore, terræque, unde fuerunt deſumptæ, reddimus, tumuloque hoc imponimus monumentum:

Klugius hic ſitus eſt, docta SOPHUS Arte vocandus,
In terris coluit, nunc colit axe, DEUM.

PROGRAMMA
IN FUNERE

SUMME REVERENDI EX-
CELLENTISSIMI AMPLISSIMIQUE

VIRI

DN. SAMUELIS SCHULTZII,

EDDELAKENSIS DITHMARSI,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
VENERABILIS MINISTERII
HAMBURGENSIS SENIORIS EC-
CLESIÆ S. PETRI ET PAULI
IBIDEM PASTORIS OPTIME ME-
RITI ET SCHOLARUM
INSPECTORIS,

QUOD DEDUCENDUM EST,

D. VI. MAII JULIANI

AD MONUMENTUM IN ÆDE
DIVORUM PETRI ET PAULI

ANNO clɔ Iɔc XCIX.

HAMBURGI,
TYPIS CONRADI NEUMANNI,
SEN. GYMN. & SCHOL. TYPOGR.

INexpectatum Vobis funus, Viri Omnium Ordinum honoratiſſimi, Inexpectatum inquam, atque repentinum vobis indicimus funus; cujus neceſſitatem in præſentiarum nobis imponit VIR Maxime Reverendus, Ampliſſimus, Excellentiſſimusque SAMUEL SCHULTZIUS, S.S. Theologiæ Doctor, Venerabilis Miniſterii Hamburgenſis Senior, Eccleſiæ, S. Petri & Pauli Paſtor, Scholarumque Inſpector, de officiis hiſce omnibus præclariſſime meritus. Hic cum feria prima pentecoſtes de ſuggeſtu verba publice feciſſet, & in ſequentis diei concionem ſecum meditaretur, ſummo mane fatali languore correptus, collabentibus ſubito viribus, poſtridie, non ſine ingenti Eccleſiæ, ſuorumque luctu, & noſtrum omnium deſiderio, ex hac fragili & laborioſa mortalitate diſceſſit. Habet hoc vita noſtra, ut inter certa & incerta, dubio diſcrimine contendendum, perpetuoque conflictandum nobis ſit, cum variis caſibus & inſidis; ideoque expoſita propemodum ſemper fato, & propter corporis hujus imbecilli fragilitatem, nunquam ab ultimo fine fere longius abſit. Omnis dies, omnis hora, nobis ultima eſſe poteſt, neque quisquam tam firmus, aut ea felicitate, qui ſtabilem ſortem, aut de eventuris, vel in craſtinum, certi quid ſibi polliceri queat. *Τὸ μέλλον ἀόρατον.* * Quod futurum eſt prævideri nequit. Hoc Lyricorum Græcorum facile Princeps, pluribus

* Pindar. Olymp. 12.

exponit, & ut latinis interpretemur verbis, nondum aliquem terreſtrium divino munere certum de rebus futuris reperiſſe indicium aſſerit, ſed mentes eorum occæcatas impendentia atque eventura non perſpicere. Hinc multa hominibus præter expectationem accidere minime ipſos recreatura. Qui autem in procelloſos turbines ſive calamitates inciderint, eos priora bona, ſubſecutis gravibus malis permutare, idque intra tempus perbreve. Graviter ſane veriſſimeque hæc dicta ſunt, & quæ ſi ſerio reputemus, non poſſunt non acriter afficere, præſertim cum a tam ingratis inculcantur exemplis, quæ altius in animos deſcendunt, vehementiusque commovent, quam vel innumera pie ſapienterque dicta, quæ tam ex ſacris quam profanis ſcriptoribus in unum congeri poſſent. Sed ut nobis antequam eventu certa reddantur, incerta pleraque in hac vita ſunt: ſic apud DEUM certa ſunt omnia; ut nemo effugere poſſit quæ per divinam providentiam omnia conſtituentem, & inevitabili poteſtate complectentem, evenire debent. Hæc divinæ providentiæ decreta, quandocunque de improviſo, & in longum ſpes emittentibus ingruunt, etſi graviora videantur, & acerbius perturbent: ferenda tamen ſunt placide, & tam ſecundorum quam adverſorum cauſæ recte, & eo quo par eſt modo in DEO quærendæ, cujus in voluntate cum omnia vertuntur, tum maxime mors, & vita mortalium. Hoc idem

idem quoque nobis jam faciendum in repentino, acerbiſſimoque obitu Summe Reverendi Antiſtitis noſtri; ut & cogitandum hoc alterum, noſſe fideles ſervos ſuos Dominum, eosque revocare ad ſe præfinito tempore, quod nobis conſiliorum divinorum, futurorumque ignaris, etſi videatur fortuitum, lugubre, atque moleſtum; nihil tamen mali accidere illi, qui a DEO immortali commodatus Eccleſiæ, completa ſorte ſua, redit eo, unde venerat, & qui mala bonis, incerta certis, caduca ſempiternis permutavit. Omiſſis itaque inutilibus lamentis, & querelis nil profuturis, pie defuncti potius memoriam colamus comiter, & vitæ ipſius ſummam, & ordinem ſequendum imitandumque omnibus publice proponamus, ut cum ſubductus ille noſtris ſit oculis virtutum tamen imago maneat, & vel ad ſeram poſteritatem propagetur. In quo noſtro inſtituto, non oratorum more verſabimur, qui immorantur rebus; easque ornare varie ac amplificare ſolent, (metuendum enim eſſet, ne tumultuaria & feſtinata ſcriptione laudes beati Antiſtitis, attereremus magis, quam illuſtraremus) ſed memoriarum conditores imitabimur potius, quibus ut ſatis eſt rem, prout geſta eſt, terſis atque perſpicuis verbis exponere; item & nos contenti erimus vitam illius ſine exquiſito aliquo ornamentorum apparatu retuliſſe. Natus Venerabilis noſter Præſul eſt Eddelakæ in Ditmarſia Meridionali Anno Chriſti cIↄIↄcXXXV. die 28. Octobris Juliani,

Apoſtolorum Simonis & Judæ memoriæ ab Eccleſia conſecrato. Patrem habuit Admodum Reverendum Virum Stephanum Schultzium Eccleſiaſten tunc temporis illius loci, poſtea vero Hamburgi templi S. Spiritus & Noſocomii ibidem paſtorem, per annos XXX. & amplius optime de Eccleſia Dei meritum; Matrem Barbaram, Petri Sabelii Civis & mercatoris Hamburgenſis honeſtiſſimi filiam. Parentes pii filiolum recens natum ſtatim Chriſto in Baptiſmate obtulerunt, & ſi vita ſuppeteret divino miniſterio, ſacrisque ſtudiis devotum eſſe voluerunt, & ut bene educaretur ſolicitam operam dederunt. Tranſegit in parentum ſinu infantiam, primaque pietatis & literarum rudimenta jam tum avide arripuit. Cum vero circa annum hujus ſeculi quadrageſimum mutatis ſedibus Pater ad Paſtoratum ædis S. Spiritus ſuſcipiendum vocaretur, ad nos delatus, traditus fuit in diſciplinam M. Paulo Friſio, Orphanotrophii paſtori, cujus erga ſe teneris in annis fidem & induſtriam, grata ſæpius recordatione deprædicavit, ut mos eſt hominum ingenuorum, generoſorumque. An. cIↄIↄcXLIX. in Scholam Johanneam miſſus, per quadriennium eximiam operam collocavit in literis & bonis artibus addiſcendis, magiſtris uſus Daniele Arnoldi, Petro Weſthuſio Rectoribus tum Scholæ, & Zacharia Moſero Conrectore, Viris perquam literatis, & inſtituendæ juventuti natis propemodum. Quorum ductu pro ingenii docilitate, quod egregium nactus erat, bre-

brevi ita profecit, ut commilitones ſuos facile præteriret, quod vel plura præclara ſpecimina, habitæque in prima Claſſe orationes teſtantur. Inde Gymnaſii hujus civibus adſcriptus, philoſophiæ initiis percipiendis gnaviter incubuit, & Jungio, Talſio, Vagetio, Gutbirio, aliisque tunc temporis ſumma cum celebritate docentibus per triennium audiendis ſedulam operam impendit, & inſigni literarum ac eruditionis philoſophicæ inſtrumento ornatus, anno cIↃDCLVI. menſe Februario ad Academiam Vitebergenſem profectus eſt. In quo itinere latronum inſidiis & nefario inſultu impetitus, divino auxilio manifeſtum periculum evaſit incolumis, & Vitebergam delatus, magno ardore ac ſucceſſu philoſophicis ſtudiis Theologica conjungere cæpit, ſectatus aſſidue præter Philologos & Philoſophos Buchnerum & Strauchium, magna illa Theologorum lumina, Johannem Scharfium, Abrahamum Calovium, Johannem Meiſnerũ, Andream Cunadum, quorum magiſteriis ac Scholis mirum quantum profecit. Tantum enim incrementi annus unus Vitebergæ exactus eruditioni ejus attulit, ut ſequente cIↃ IↃcLVII. ſub finem Aprilis, laurea philoſophica coronaretur; quam ſe meritis ſuis conſecutum approbavit habitis collegiis, & diſputationibus, publicis juxta ac privatis, inter quas vel præcipue nobis memoranda illa, quam de Perſona Chriſti contra veritatis adverſarios elaboravit, & in magna auditorum celebritate

ſumma cum laude publice defendit menſe Julio ineunte anni MDCLVIII. Paulo poſt remotiores academias, & ſuperiorem Germaniam videndi impetum cœpit., & profectus Anno cIↃ IↃcLIX. Viteberga, Argentinam verſus iter ſuſcepit, ibique per biennium verſatus ſummis, præcipuisq; Theologis Danhauero (cujus etiam domeſtico eſt convictu uſus) Schmidioque mirum in modum ſe approbavit. Inde Hamburgum reverſus quam de ſe ſpem concitaverat cumulatiſſime implevit, auditusque ſæpius eſt, magno cum applauſu, nec minore auſcultantium fructu. Itaque jam ſe fama Viri latius ſpargere, Schultziusque noſter non uni urbi aut regioni, ſed paſſim & apud ſeptentrionales quoque gentes celebrari cœpit. Quo factum ut anno cIↃ IↃcLXVII. Heydam in Ditmarſia ad verbi divini miniſterium vocatus inter Conſiſtorii Eccleſiaſtici aſſeſſores autoritate Sereniſſimi Holſatiæ Ducis cooptaretur. Qua provincia dum ſtrenue per quinquennium fungitur, ecce eidem nil tale ambienti, ſucceſſio paſtoratus Heidani concordibus electorum votis oblata eſt, quam ſpartam defuncto collega, ſuſcepit anno cIↃ IↃc LXXXI..quo tempore & Eccleſiarum ſeptentrionalis Ditmarſiæ Præpoſitus, clementiſſimo Holſatiæ Ducis juſſu declaratus eſt. Hæc apud exteros. Inde iterum ad noſtra Hamburgenſia pergendum. Poſteaquam interjecto aliquo tempore mortalitatem expleverat VIR maxime Reverendus HERMANNUS VON PET-

PETKUM, defuncti loco electus eſt hic noſter in Paſtorem Eccleſiæ S. Petri & Pauli die 4. Novembris Anno cIↄ Iↄc LXXXIII. Quam vicem ut cum majore auctoritate ſuſtineret, ſupremum in Theologia Doctoris gradum, eodem anno, die 21. Decembris ſolenniter in academia Kilonienſi aſſumſit, & 22. Januarii anno cIↄ Iↄc LXXXIV. in ſacrum hoc officium conſueto ritu immiſſus, inauguratusque eſt. Anno cIↄ Iↄc LXXXVIII communibus Ampliſſimi Senatus ſuffragiis in illuſtris famæ Theologi DAVIDIS KLUGII locum, venerabilis miniſterii, Scholarumque inſpector conſtitutus eſt, quibus muneribus cum magna fidei & diligentiæ laude, difficilimis Eccleſiæ temporibus præfuit, atque immortuus eſt. Atque hæc de publicis. Ad privata & domeſtica ut veniamus Anno cIↄ Iↄc LXIX. menſe Aprili legitimis nuptiis in matrimonium ſibi junxit lectiſſimam Virginem ANNAM Dni. NICOLAI BOIENI terrarum Ditmarſiæ Actuarii filiam idque concors habuit conjugium, ſed perbreve. Exegit cum illa annum unum menſes undecim circiter, procreata etiam gemina prole, quarum una ante partum, altera biennio poſt exceſſum matris extincta fuit. Anno cIↄ Iↄc LXXIII. menſe Julio ad ſecunda vota tranſiit, duxitque conjugem præſtantiſſimam fæminam ANNAM MARGARETHAM, REIMERI CLAUSENI parœciæ Tonningſtedenſis advocati viduam. Dni. JOHANNIS ADOLPHI RASCHENII

æra-

ærario regionis præfecti filiam, ex qua ſuſtulit filios quatuor; e quorum numero ſolus parentibus eſt ſuperſtes natu major STEPHANUS SCHULTZIUS. I. V. Candidatus, quem paternarum virtutum hæredem, ac Schultziani nominis dignam propaginem, inopinato hoc exceſſu confuſum, mærentemque, ut divinis ſolatiis recreare, atque ſeros in annos vigentem ſervare, omnigenaque felicitate cumulatum reddere benigniſſimum numen velit, ſeriis votis optamus atque expetimus. Anno cIↃ IↃc XCVII. acerbiſſimo luctu turbatus iterum noſter eſt, cum ipſi ſua longe cariſſima uxor, cum qua XXIV annos ſumma concordia vixerat, adimeretur, quo animæ dimidio orbatus, quod reliquum erat vitæ cælebs egit. Ante menſes aliquot cæpit conqueri de inſolita laſſitudine, & virium imminutione, quam ingruenti Senectuti, & recedentibus annis attribuens, ſolita interim munia ſtrenue obiit, nec quicquam in officii ſui partibus deſiderari paſſus eſt. Hebdomada Pentecoſten antecedente, vomitus atque diarrhæa per intervalla recurrens, invadere eum cæpit, quem adeo leviter tulit, ut in feſtivitate pentecoſtes ſolito more Auditores ad certam ſpem ſolatiorum divinorum in omnibus adverſitatibus, imo ipſa morte a Smi. Spiritus benignitate expectandorum animaret, atque erigeret. Quo peracto cum ſubſequentis diei homiliam præmeditaretur; ecce vires de repente usque eo proſtratæ, reſolutæque ſunt, ut ſtatim lecto

lecto affigeretur. Vocatus conſummatæ experientiæ medicus, etſi ex frigore extremarum partium, veniſque interrupte micantibus, occultam, alteque infixam labem, & tantum non mortem in præcordiis conceptam facile colligeret: nihil tamen omiſit eorum, quæ ad recuperandam ſanitatem, vireſque efficacibus pharmacis refocillandas facere videbantur. Sed adverſus prævalidam mortis vim fruſtra remediis, omnique alia diligentia pugnabatur. Sic igitur factum, ut feria tertia pentecoſtes quæ erat 30. dies Maji Juliani circiter nonam horam matutinam, Chriſto Servatori promte redderet, quam paulo ante Sanctiſſima Domini cæna refecerat animam, plenam ſalutaris fiduciæ, & firmiſſima ſpe ea ſibi pollicentem præmia, quæ, divina Veritas promittit omnibus, qui fidem & conſcientiam bonam retinuerint; Cum vixiſſet annos LXIII. menſes VII dies II. Atque ita curſum ſuum abſolvit ſumme Reverendus noſter Antiſtes, & nunc corona, candidiſſimoque indutus paludamento, & dextra palmam retinens, epinicia cantat, & luce reſplendet fulgidiſſima tanquam qui cæleſtia docuit, & ad veriſſimæ juſticiæ cultum auditores ſuos perduxit. Nos quod reliquum eſt exangui corpori juſtos, debitoſque honores perſolventes, Supplicibus votis orabimus Deum, ut Templum, navemque Chriſti in magno diſcrimine, inter atrociſſimas tempeſtates & turbines undique circum fremẽtes fluctuantem, & plurimis in locis cum conſtantiſſi-

mis

mis orbatam athletis, tum noviſſime hoc noſtro præſule, tanquam peritiſſimo navarcho deſtitutam, clemens reſpicere, inflicta hactenus vulnera ſanare, & operarios novos qui in hanc ejus vineam & hic, & alibi mittendi potiſſimum ſint, ipſe providere velit; Ut tam vniverſa Eccleſia, quam noſtrum præprimis Hamburgum, ſit & maneat Domus Dei, & Sion Sancta ejus!

P. P. VI. Junii Julian.

BALTHASAR MENTZERUS,
Mathemat. Prof. P. & hoc anno
Rector.

ELO-

ELOGIUM FUNEBRE,
SEMPITERNÆ MEMORIÆ
VIRI
SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI Atq; EXCELLENTISSIMI
DOMINI
JOHANNIS WINCKLERI,
IN ÆDE S. MICHAELIS SUPRA VIGINTI ANNOS PASTORIS OPTIME MERITI, ET REVERENDI MINISTERII SENIORIS GRAVISSIMI,

DICATUM

A

GEORG. ELIEZER EDZARDO,
GR. L. ET HISTOR. PROF. P.
H. T. RECTORE.

HAMBURGI,
TYPIS CONRADI NEUMANNI,
SENATUS ATQVE GYMN. TYPOGR.
ANNO MDCCV. D. XIV. APR.

QUod Summe Reverendus, Ampliſſimus Excellentiſſimusque Vir, DN. JOHANNES WINCKLERUS, Eccleſiæ Michaelitanæ Paſtor meritiſſimus, & Revendi Miniſterii Senior graviſſimus ſpectatiſſimusque, præſagiit animo, & Calendis Januariis habita publice ac typis etiam deſcripta concione ominatus eſt, non diu ſibi integrum amplius fore, ut e ſuggeſtu ſacro verba faceret; illud triſtis eventus, proh dolor, ſatis comprobavit. Vix enim decimam quintam anni hujus hebdomadem exorſi eramus, cum lugubris ille nuncius Venerandum, cujus Caput fuerat, Ordinem, ac populoſiſſimam, quæ ſeptem animarum myriades vel implet vel ſuperat, Parœciam, & univerſam denique urbem noſtram percelleret, Venerabilem Antiſtitem rebus humanis exceſſiſſe. Quod ad nos attinet, quos officii ratio ſtudiis bonarum literarum docendo propagandis adſtrinxit, tantum abeſt, ut in partem hujus luctus communi ſolum nomine veniamus, ut peculiari prorſus jure nos tangat, quandoquidem is, quem Honoratiſſimo Cariſſimoque Parenti ſuo juſta facientem in funere comitabimur, noſtri Ordinis eſt, ac præterea beate defunctus unum ex præcipuis locis in Ampliſſimo DNN. SCHOLARCHARUM Collegio tenuit, ſeduloque dedit operam, ne toties ſancita Legibus, & perantiqua conſvetudine ad nos traducta Gymnaſii jura privilegiaque imminuerentur. Attamen ferenda patienti animo ſunt,

quæ

quæ non in noſtro, ſed ſolius DEI arbitrio verſantur, cujus voluntatem ſicut in omnibus aliis, ita & hac in re humillima veneratione nos proſequi oportet. Nec quicquam majori deſiderio anhelavit Optimus Antiſtes, quem jam ante triennium & quod excurrit publice precatum meminimus, ut ex iſto carcere (ſic enim incumbentes humeris ſuis curas appellabat,) evocaretur propediem, transferreturque in cœleſtis quietis libertatem, qua nihil præſtantius, nihil jucundius, nihil glorioſius vel cogitari mente, vel ore calamoque exprimi poteſt. Cujus voti compos cum factus ſit, nihil reſtat, niſi ut noſtro etiam loco id faciamus, quod ad ſupremum officium perſolvendum ſpectat, & memoriam Venerandi Præſulis, quam tot millia hominum ad conciones ipſius audiendas confluentium animis ſervabunt, referamus in tabulas, & quantum in nobis ſitum eſt, poſteritati commendemus.

Naſcentem *viciniæ Grimmæ*, non ignobilis in Miſnia oppidi, gremio excepit, ubi primam lucem aſpexit Anno MDCXLII. d. 13. Julii, ortus Parentibus honeſtiſſimis, MARTINO WINCKLERO & MARIA DRECHSLERIA. Quos cum minime fugeret miſerrimus infeliciſſimusque iræ ſtatus, cui nos omnes natura ſumus obnoxii, in hanc curam ante omnia incubuerunt, ut ſacro baptiſmi fonte ablueretur infans, & ſuſciperetur in fœdus gratiæ, ac Sacroſanctæ Trinitatis templum fieret. Iidem

balbutire incipienti Chriſtianæ fidei fluentisque inde pietatis fundamenta diligenter ſeduloque inſtillarunt. Quamvis autem non licuerit ei eſſe tam felici, ut primis ſtatim annis Scholaſtica inſtitutione frueretur, quippe quæ ei nono demum anno contigit, expromta tamen ingenii alacritas, & non mediocris in literas fervor, temporis jacturam feliciſſime compenſarunt. Prima tyrocinia poſuit in *Schola Grimmenſi*, in qua per quinquennium imbutus eſt iis artibus, quibus pueritia erudiri ſolet: deinde *Lipſiam* miſſus Scholæ Thomanæ per triennium nomen dedit, tum aliorum Præceptorum, tum præcipue *Friderici Rappolti*, Conrectoris & poſtea Theologiæ Profeſſoris meritiſſimi fideliſſima informatione uſus. An. M. DC. LIX. in album Academiæ relatus Philologiæ ac Philoſophiæ ſtrenuam navavit operam, non otio transmittens tempus, ſed Excellentiſſimorum in Academia Profeſſorum acroamata conſtanter & induſtrie auſcultans, ac præterea *M. Andreæ Beieri*, Freibergenſis poſtea in Miſnia Paſtoris, prælectionibus non parum adjutus. Elapſo biennio Academiam relinquere coactus aliorum liberis erudiendis Grimmæ adhibitus fuit, in pertexenda tamen ſtudiorum tela indefeſſo ardore pergens, ut Anno M. DC. LXIV. *Jenenſi Philoſophorum Ordini* ſupremis in Philoſophia honoribus dignus videretur. Anno M. DC. LXVI. *Lipſiam* rediit, & totum ſe ſtudio Theologico ac Homiletico involvit, non publicis tantum priva-

tis-

tisque Dn. Profeſſorum lectionibus aſſiduum auditorem præbens, ſed & Celeberrimis Theologis *Hieronymo Kromaiero* & *Joh. Adamo Scherzero* Præſidibus cathedram cum inſigni laude aliquoties conſcendens, & concionibus quoque præclara profectuum ſuorum ſpecimina commonſtrans. Quo factum eſt, ut non modo Præceptorum ſibi benevolentiam & favorem adjungeret, verum etiam in Principum gratiam penetraret. Nam An. M. DC. LXVIII. Sereniſſimi Principis PHILIPPI LUDOVICI, Ducis Holſatiæ e Sunderburgica familia Filiis erudiendis admotus eſt, inter quos natu ſecundum CAROLUM LUDOVICUM ad *illuſtre Tubingenſe Collegium* proficiſcentem comitatus fuit, ubi triennium ferme exegit, diutius forſitan permanſurus, niſi adveniſſet hora, qua DEUS Eum in Eccleſiæ vineam mittere decreverat. Etenim ſupremi Numinis providentia evenit, ut a Sereniſſimo Principe GEORGIO CHRISTIANO, Haſſiæ ex Homburgica linea Landgravio, ad *Diaconatum Homburgenſem* An. M. DC. LXXII. vocaretur. Quo ita functus eſt, ut initio inſequentis anni altiorem locum capeſſere, & *Paſtoris ac Metropolitani* munia *Braubachiæ* ſuſcipere juberetur. Triennio poſt Sereniſſimo Haſſiæ Landgravio LUDOVICO VI. *Concionator Aulicus* & *Conſiſtorii Darmſtadini Aſſeſſor* clementiſſime deſignatus conſtitutusque fuit. An. M. DC. LXXVIII. apud *Manhimenſes* Paſtoratum Eccleſiæ Lutheranæ ſuſce-

 pit.

pit. Quo minus autem ultra annum ibi permaneret, nova vocatio obſtitit, qua Illuſtriſſimi Comites Lovvenſteino Wertheimenſes *Paſtoris & Superintendentis Wertheimenſis* provinciam ei obtulerunt. Etſi autem perſpectum exploratumque haberet, quantas moleſtias Pontificii D. Zeschio creaſſent, non tamen earum contemplatione deterreri ſe paſſus eſt. Itaque nacta WINCKLERUM Superintendentem *Wertheimia* fuit, ſed retinere non niſi per quinquennium & menſes aliquot potuit. Tanta enim eruditionis & verticordiæ eloquentiæ Ejus fama percrebuerat, ut *Hamburgum* quoque penetraret, & Paroeciam Michaelitanam tam inſignis Oratoris deſiderio impleret. Ab iis igitur, ad quos iſta cura pertinebat, electus deſignatusque *Michaelitanæ Eccleſiæ Paſtor*, mox a Magnifico Patriæ noſtræ Senatu datis pro more literis vocatus & ad capeſſendum munus invitatus fuit. Divinum interpretatus nutum Wertheimenſibus ægre dimittentibus valedixit, Hamburgumque venit, & a B. D. Klugio, Rev. Miniſterii tunc Seniore, ſolenni ritu introductus eſt An. MDCLXXXIV. d. 4. Nov. Sexies adeo Deo ſic dirigente ex uno vineæ Domini loco in alium tranſiit Summe Rev. Antiſtes, ut quod *Selneccerus* vocationum ſuarum contemplatione motus de ſe ipſo cecinit,

Septima me læto civem aſſignabit Olympo.

id nunc etiam de Venerabili Præſule noſtro ſic efferre liceat,

Septi-

Septima WINCKLERUM civem aſſignavit Olympo.

A. MDCXCIX. Supremus in Eccleſia Hamburgenſi *Senioratus* honor acceſſit, B. Schultzio ex hac mortalitate evocato, qui B. D. Klugio in Ampliſſima hac dignitate ſucceſſerat. Præterea certatim ad alia maximi momenti officia expetitum meminimus. In Orientalem Friſiam ante hos annos duodecim fuit invitatus. Ab Illuſtriſſimo Comite Ranzovio oblata ipſi fuit A. MDCXCV. Præpoſitura Eccleſiarum in Comitatu Ranzovienſi, quam etiam ſuſcepit, & geſſit per annos aliquot: creſcentibus autem ex Senioratu laboribus, & valetudine indies magisque ingraveſcente, ſponte iterum illa ante quadriennium ſe abdicavit, ut Hamburgenſi Eccleſiæ totus vacaret. Lubecenſis Reſpublica Senioratu jam apud nos fungentem Eccleſiarum ſuarum Superintendentem exoptavit, adeptura etiam, niſi tenerrimus auditorum ipſius amor obſtitiſſet. Nuperrime etiam Sereniſſimus Haſſiæ Landgravius ERNESTUS LUDOVICUS Wincklerum ſibi a Concionibus Aulicis Conſiliisque Eccleſiaſticis primariis & Principatus Darmſtadini Superintendentem eſſe cupiit. Quanta gravitate Venerandus Antiſtes præfuerit officiis ſuis, quam ſtrenuum, quam indefeſſum ſe in concatenatis laboribus præſtiterit, quanto ſtudio vitia præſentis ſeculi repræhenderit, quanto fervore pietatis ſtudium commendaverit, quibus virtutum exemplis præ-

luxerit, quanto affectu commendatas ſibi animas proſecutus ſit, quam ſingularis auditorum in Eum amor exſtiterit, non in obſcuro latet, ſed in oculis totius Civitatis verſatur, & ad exteros quoque ſe expandit diffunditque.

Cum Ecçleſiæ etiam hoſtibus non pauca Ipſi certamina interceſſerunt. Barclajo, virulentiſſimo Tremulorum Promacho, peculiarem concionem oppoſuit, quæ typis deſcripta exſtat, & Roman. Caput VII. a fanaticis depravationibus vindicat aſſeritque. Petri Schauvinii Naturaliſmum alia concione, quæ itidem in publicum prodiit, exploſit. Contra Anabaptiſtas doctrinam de Pædo-Baptiſmo repetitis Scriptis defendit. Cum Aſſeburgicæ revelationes in theatrum prodiiſſent, non, quod hodiernis fanaticis eſt in more poſitum, ſe inſtar anguis in omnes vertit partes, nec ſolicite conquiſivit ea, quæ ad auctoritatem iis conciliandam pertinere viderentur; ſed rejecit illas aperte, & publico refellit ſcripto, ac quanto cum pietatis detrimento conjungerentur, commonſtravit. Non modo enim approbabat, ſed & aliis commendabat ponderoſiſſima illa & cedro auroque multo digniſſima Megalandri Lutheri verba, quibus Majorem hæreſeos ſuſpicionem graviſſimis obteſtationibus a ſe amolientem allocutus fuit: *Silendo excuſandoque ſuſpicionem augetis; ſi vero creditis quemadmodum profitemini, ita etiam loquimini in Eccleſia, in Lectionibus, in Concioni-*

bus,

bus, & privatis colloquiis, & confirmate fratres veſtros, ac reducite in viam errantes, ac repugnate protervis Spiritibus, alias confeſſio veſtra nil niſi larva eſt, nec ullius utilitatis. Qui doctrinam ſuam fidem confeſſionemque pro vera certaque habet, non poteſt in eodem ſtabulo verſari cum aliis, nec blandis ſemper verbis erga Diabolum ſquamasque ejus uti. Doctor qui ad errores tacet, & tamen verus Doctor haberi cupit, pejor eſt manifeſto fanatico, & hypocriſi ſua plus damni infert quam hæreticus, nec ipſi fides haberi poteſt. Eſt enim lupus & vulpes, mercenarius, ac ventris ſervus. Et vitam, verbum, fidem, Sacramenta, Eccleſias & Scholas prodere & tradere audet, ac vel in eadem cum hoſtibus ſcapha navigat, vel Dubitantius eſt, & captator auræ, ac quorſum res caſura, num Chriſtus, num vero diabolus victoria potiturus ſit, obſervat, vel prorſus in animo fluctuat, nec dignus eſt, qui diſcipulus, multoque minus Doctor audiat, ac irritare neminem, nec pro Chriſto loqui vult, ac vafacere Diabolo & mundo. Godofredi Arnoldi Commentario de fide & vita primorum Chriſtianorum in lucem emiſſo, ſtatim publice privatimque indoluit, tam ſpecioſum titulum præfixum eſſe voluminі peſtilentis veneni pleno, a quo ſummo ſtudio cavendum eſſet. Terminiſticum dogma principio pro ſuggeſtu, poſtea vero epiſtola ad Venerandum Dn. D. Fechtium data refellit, ſed ingens potius obſtaculum converſioni hominum pietatique afferri. Symbola Eccleſiæ maximi fecit, & ſepem iſtam e Pietiſtis deſtrui tulit ægerrime, ac Symbolicis libris egregiam admonitionem ad Cariſſimos Filios ſu-

os propria manu præſcripſit, qua ſe Symbolicos libros firmo aſſenſu usque ad extremum vitæ halitum proſecuturum, Pontificios vero, Calvinianos, Weigelianos, Suencfeldiſtas, Bohmiſtas, totumque fanaticorum gregem ex animo rejecturum & abominaturum teſtatus eſt. Vidi eam oculis meis, nec annus adhuc dum præteriit, ex quo illam mihi Venerandus Antiſtes, præſente Filio ſuo, Collega meo conjunctiſſimo, commonſtravit. Cæterum ſic ſe gerendo odia & invectivas fanaticorum effugere WINCKLERUS non potuit. Quin & proximis hebdomadibus, cum jam graviter decumberet, & beatam analyſin propediem inſtare appareret, effrontiſſimus quidam nugaciſſimusque homo Oliger Pauli in Eum, nec non in univerſum Reverendum Miniſterium impuriſſimis chartis evomuit, quicquid inæſtuans præcordiis bilis ſuggeſſit. Verum enimvero nihil vel beate defuncto vel aliis ſinceris cordatisque Viris obeſſe poterunt abſurdiſſima ſtolidiſſimi ineptiſſimique nugatoris convitia, quem intolerabilis faſtus in iſtam inſaniam egit præcipitem, ut Johanne Sobieskio mortuo ſibi Diadema Polonicum una cum Conſtantinopolitana urbe divinitus oblatum gloriaretur, ac deinde Regem Iſraelitarum conſtitutum, & ab univerſis Regibus & gentibus olim adorandum eſſe fingeret, & præterea Graiffenfeldium ſibi datum collegam, & Wilhelmum Magnæ Britanniæ Regem ac Jacobum II. potenti claſſe, expeditio-

ditionem in Orientem, Palæſtinæ recuperandæ ſtudio ſuſcepturos, ridiculo & ab ipſo eventu falſitatis damnato vaticinio ſponderet. Ne jam ediſſeram, quo pacto templum Hieroſolymitanum exſtruere, & regna partiri, ac Danis Sueciam, Suecis Perſiam, Bavaris Bohemiæ & Poloniæ regna, Judæis vero præter alias ampliſſimas regiones viginti quatuor inſulas per univerſas mundi partes donare in animum induxerit. Unde Amſtelædamenſis civitas, nimis alias in toleranda fanaticorum colluvie facilis, tam ineptas, & in Reges atque Principes tam injurias nugas ferre noluit, ſed malitioſe inſanientis Oligeri proterviam ergaſtulo caſtigavit. Nuper etiam Altonavia ſe cum impiis ſuis ineptiis faceſſere juſſus eſt projectæ impietatis & dementiæ nugator. Cujus adſurdis blaſphemisque nugis qui adſtipulantur, næ illi non minus helleboro indigent, quam Holgerus ipſe. Id enim nominis in Baptiſmo accepit: Oligerum vero ſe appellat, ſtolide velificaturus faſtui, quo ſe cum Sara Abrahami uxore confert, cujus nomen *Sarai* in *Sara* mutatum legimus. Sed valeat impudentiſſimus ſcurra, cujus in B. Seniorem aliosque bene meritos Viros calumniæ non majoris fieri merentur, quam rabioſi canis latratus. Sarta tectaque manebit Venerandi Præſulis exiſtimatio, quantocunque etiam conatu effrontiſſimi hujus furfuris fanatici eam lacerare allaborent.

Ad domeſticas res Venerandi Præſulis accе-

cedendum eſt. A. MDCLXXII. vitæ ſociam Homburgi elegit, nuptiisque ſibi d. 11. Aug. junxit Virginem non minus virtutibus quam genere nobilem, ELISABETHAM MAGDALENAM de Lindau. B. Johannis Wilhelmi de Lindau, & B. Annæ Margarethæ de Lindau, natæ de Fronhorſt filiam, quæ nobilitatem ſuam non exiguum inde ſplendorem fœnerari ſtatuit, quod Divini Verbi Miniſtrum caſtiſſimo thalamo amplecteretur. Cum ea vero vix annum binosque menſes conficere licuit. Etenim A. MDCLXXIII. d. 10. Oct. Braubachiæ difficili partu una cum infante rebus humanis evocata WINCKLERUM Noſtrum ex marito viduum fecit. Adeo nihil in humanis eſt firmum & ſtabile! Ad ſecunda vota A. MDCLXXIV. d. 22. Nov. tranſiit, Braubachiæ adſciſcens in matrimonium JOHANNAM KUGELMANIAM, B. Joh. Georgii Kugelmanni, Conſiliarii Comitum Erpacenſium & Præfecti Michelſtadienſis, ac Sophiæ Eliſabethæ natæ Mentzeriæ Filiam Virginem, mœſtiſſimam nunc viduam, ſexus ſui decus atque ornamentum. Cum hac per triginta annos & quod excurrit, exoptatisſimo vixit conjugio, tantam Divinam benedictionem expertus, ut duodecim ex ea liberos ſuſceperit, JOH. BALTHASAREM & JOH. CHRISTOPHORUM, Werthemiæ pie defunctos, JOH. FRIDERICUM, Linguarum Orient. Profeſſorem Publ. Ampliſſimum, Collegam noſtrum honorandum, JOH. MAXIMILIANUM, Mercatorem

rem apud nos florentiſsimum honeſtiſsimumque, JOH. ANTONIUM, Theologiæ ſtudioſum ſolertiſsimum, JOH. CHRISTOPHORUM, Juris ſtudio in Academia Julia deditum, ſed ſeptem ante Venerandum Parentem diebus ardente febri ibi exſtinctum, JOH. GUSTAVUM, Hamburgi denatum, JOHANNAM SOPHIAM, JOH. LUDOVICUM, JOH. MARTINUM, JOH. HEDWIGAM & JOH. CHRISTIANAM, quos omnes ſingulosque, quotquot ſuperſtant, una cum mœſtiſsima Matre, Pater miſericordiarum ſolatio Spiritus Sancti afficiat erigatque.

Aliis prælucendo conſumitur lumen. Idem uſu venit Venerando SENIORI, qui dum ſe condenſatis officiorum ſuorum laboribus parem præſtitit, paulatim virium, quibus DEUS eum cumulatiſsime donaverat, decrementum ſenſit, ſcorbuto mox in pedes mox in pectus irruente. Obviam ire malo thermarum uſu conatus eſt aliquoties, nec ſucceſſu deſtituebatur conſilium, præſertim cum ipſo etiam ſuperioris Germaniæ aere corpus refocillari experiretur. Quin & ultimum B. Viri ad thermas iter non plane infructuoſum fuit, ſed levaminis quippiam attulit: quamvis minus ſolidum exſtiterit gaudium, prodentibus ſe paulo poſt reditum indiciis, quæ triſtiora omnia minarentur. Adhibebantur medicamenta exquiſitiſsima, & ſubinde liberari aliquantulum & meliuſcule ſe habere videbatur Vir Optimus; adeo ut Dominica

Læ-

Lætare ſe iterum conferret in ſuggeſtum, & in frequentiſſimo Auditorum cœtu concionaretur. Nec minus biduo poſt in templi Nicolaitani ſacrarium vehebatur, ut Noſocomiode novo Paſtore, cum aliis penes quos eligendi poteſtas eſt, proſpiceret. Reverſus autem in ædes ſuas morbum tantis indies incrementis augeri animadvertit, ut facili conjectura aſſequeretur, brevi ex hac miſeriarum valle ſibi eſſe excedendum. Hinc die 2. April. Plur. Rev. & Doctiſſimum Virum, Dn. M. Hieronymum Paſmannum, Templi Michaelitani Archidiaconum meritiſſimum, (quem Eccleſiæ bono Deus diutiſſime ſervet.& ſoſpitet,) accerſi curavit, ut ab Eo ad cœleſte iter Cœleſti viatico inſtrueretur. Sic tandem advenit 5. Aprilis dies, Dominica Palmarum, quæ magnæ hebdomadi initium, & WINCKLERO noſtro finem vivendi attulit. Illa enim cum illuxiſſet, hora ſexta matutina animam ſuam inter ardentiſſimas circumſtantium preces benigniſſimo SERVATORI reddidit, a cujus paſſione & morte hebdomas illa magna dicitur. Fuit proinde & WINCKLERO noſtro vere magna hebdomas, fuit vere Palmarum Dominica. Quid enim majus evenire illi potuiſſet, quam ut in cœleſtis Hieroſolymæ ſedes ſuſciperetur, videretque Agnum mactatum ab origine mundi, quem non ipſe modo fiduciæ ulnis amplexus fuerat, ſed & auditoribus ſuis amplectendum propoſuerat? Quas majores, præſtantioresque palmas potuiſſet conſequi,

qui, quam quas per beatam analyſin a SERVATORE accepit, palmas illas victrices, palmas æternum duraturas, ſemper gerendas in manibus, nec unquam deponendas? Lavantium Dominica dicebatur veteribus. Talis etiam WINCKLERO fuit, in beato obitu ſtolam ſuam in ſanguine Agni ita dealbanti, ut animæ ejus ne leviſſima quidem macula in omnem æternitatem ſit inhæſura. Sta ergo deſideratiſſime WINCKLERE, ſta coram throno, & coram Agno, amictusque ſtola alba & palmas in manu gerens clama voce magna, *Salus DEO noſtro ſedenti in throno & Agno.* Procumbe cum Angelis in circuitu throni, cumque XXIV. SENIORIBUS & quatuor animalibus coram throno in faciem tuam, & adora DEUM dicens: *Amen, benedictio & gloria, & ſapientia & gratiarum actio, & honor & potentia, & robur DEO noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.* Mane coram throno DEI, & miniſtra ei dies & noctes in cœleſti templo, in cujus templo his in terris miniſtrum egiſti. Fruere beatitudine, quam nobis prædicaſti, deſideratiſſime Paſtor, paſcente te Agno in medio throni. Oblecta te conſpectu Michaelis, Supremi exercitus JEHOVÆ Ducis, de cujus ſanguine morte & reſurrectione toties in Michaelitano templo verticordia feciſti verba. Corpus tuum mandabitur terræ, manſurum ibi tamdiu, & placida quiete dormiturum, donec mandante illo, cujus reſurrectionem nunc celebramus, ſurgat iterum prodeatque in vitæ nunquam deſituræ lucem. P.P. Hamburgi, d. 14. Apr. A. C. MDCCV.

Tranſ

Trauer- und Troſt-Gedancken/
Uber den Seeligen/
Der Kirchen aber/ dieſer gantzen Stadt/ ſei-
ner Wertheſten Gemeine und Vornehmen
Hauſe/
Schmertzlichſten Abſchied/
Des
Weiland Hoch-Würdigen und Hoch-
Gelahrten HERRN
Herrn Johann Wincklers/
Hoch-Verdienten Paſtoris zu
St. Michaelis, Scholarchæ, uñ des Hoch-
Würdigen Miniſterii Hoch-An-
ſehnlichen SENIORIS,
Entworffen/
Von der betrübten Feder
JOH. ALBERTI FABRICII,
Der H. Schrifft Doctoris und Prof. an
dem Löbl. Gymnaſio allhier.

HAMBURG/
Gedruckt bey Conrad Neumann/
E. Edl. Hochweiſen Rahts/ wie auch des Löblichen Gymnaſii
Buchdrucker. 1705.

DEr ſeinem JEſU hat gefolgt in Lehr und Leben/
Zieht an dem Palmen-Tag mit JEſU frölich ein/
Auff die Vocation die GOtt ihm hat gegeben
In das Jeruſalem das beyden iſt gemein.
Recht wohl für ihm/ für ihm/ dem frommen treuen Knechte/
Der in Auffrichtigkeit hat ſeinem GOtt gedient/
Und nun kömmt zu der Ruh/zum ſeeligen Geſchlechte/
Der Heiligen im Licht der'r Nahmen ewig grünt.
Recht wohl für ihm der nun entzogen iſt dem Schmähen
Derſelbigen/ für die zu GOtt er täglich bat/
Der nicht mehr darff für ſich und ſeinen Augen ſehen
Daß man ſo ſchnöd in ihm verachtet GOttes Raht.
Allein wie ſtets um uns? um unſre Kirch/ die arme/
Der ihr Elias heut mit ihm entriſſen iſt?
Iſt niemand der hierbey ſich unſrer Stadt erbarme/
Die ihren Daniel/ und Paulus Geiſt vermiſt.
Wie manchen hat er doch durch ſeine Red gerühret!
Die voll von GOttes Krafft/ und Geiſt/ und Leben war/
Wie manchen hat er von der Hell zu GOtt geführet/
Durch ſein Exempel/ das die Lehre ſtellte dar.
Die Biſchoffs-Tugenden die Paulus * Brieff erfodert/
Die funden ſich bey ihm zu GOttes Preiß und Ruhm/

Und

* 1.Tim.III. 2.ſeqq. Tit.I. 7.ſeqq.

Und wenn ſein todter Leib ſchon lange iſt vermodert/
Wird noch der Neid ihm diß geſtehn zum Eigenthum.
Er widerlegte nicht mit ſeinem Thun und Leben/
Was er aus GOttes Wort an GOttes ſtat gelehrt/
Er war unſträfflich/ fromm/gelinde/ frey im geben/
Den weder Geitz/ noch Stoltz/ noch Wolluſt hat bethört.
Und wer hat ſeinem Hauß wohl beſſer vorgeſtanden/
Wie unvergleichlich war nicht ſeine Kinder-Zucht?
Wie ämſig fand er ſich in dem/ was kam zu Handen
In ſeinem Amt/davon GOtt gab ſo reiche Frucht.
Er ſagte was er glaubt/ er wuſte was er ſagte/
Und thate was er lehrt/ und dachte was er that/
Er haßte falſche Lehr/ und den der Zanck nachjagte/
Und ſeine fromme Seel kam nicht in Spötter Rath.
Das Böſe straffte er/ ſolt dieſes gleich verdrieſſen/
Dem Teuffel und der Welt/ und aller Läſtrer-Schaar/
Hingegen ließ er Wein und Oel des Troſtes flieſſen
In das betrübte Hertz/das angefochten war.
Gelehrſamkeit und Macht die Schriften auszulegen/
Die GOttes Geiſt gelegt in ſeiner Knechte Mund/
Und die zuſchärffen ein mit ungemeinen Seegen/
War ſein abſonderlich von GOTT verlieh'nes Pfund.
Nun aber iſt er hin! ſein Mund der iſt geſchloſſen/
Sein Fuß betrit hinfort nicht unſre Cantzel mehr/
Der

Der Mund/aus dem ſo viel erbaulichs iſt gefloſſen/
Schweigt ſtille / und verläſt das ſehnliche Gehör.
Nicht nur die ſtille Woch ſchweigt unſer Winckler ſtille/
Durch den ſich JEſus ſonſt ſo tröſtlich hören ließ/
Die Oſtern ſelbſt heißt ihn und forthin GOttes Wille
Hier ſchweigen / welcher GOtt mit ſeiner Zunge prieß.
Sein Hauß hat einen Sohn/ Mann/Vater/Herrn verlohren/
Dergleichen beſſer es ſich wohl nicht wünſchen kont/
Betrübnis/ Traurē/Leid hat ſich auf ſie verſchworen/
Den'n ein ſolch theures Pfand nicht länger iſt ver-gönt.
Doch ſie ſinds nicht allein/die dieſen Riß bedauren/
Wer nicht gantz gottloß iſt/ beweint den GOttes-Mann/
Der unſrer Kirchen-Licht war / unſrer Stadt als Mauren/
Den man/ weint man gleich viel/ nicht gnung be-weinen kan.
Indeſſen können wir den ſtrengen Winck nicht hindern/
Den GOttes Rechte hat bey dieſem Fall beliebt:
Der einen Vater hat genommen ſeinen Kindern/
Iſt welcher ihnen ſich zum Vater wider giebt.
GOtt wird der Witwen auch wohl Raht zu ſchaf-fen wiſſen/
Die faſt zu einer Zeit Mann / Kind/ und Bruder mißt/

Der alles bittre Leid kan kräfftiglich verſüſſen/
Wird machen / daß ſie diß/ für ſeinen Troſt/ ver-
gißt.
Zwar wird in ihrer Seel wohl unvergeſſen bleiben
Diß Jahr/ das mehr als halb Sie ihrer Seel ent-
riß/
Doch wird GOtt mächtiglich in ihrem Hertzen ſchrei-
ben
Den Segen u. den Troſt/ den ihr ihr Liebſter ließ.
Sein Zion wird GOtt auch nicht gantz und gar ver-
laſſen/
Nimmt er Eliam weg / wird ein Eliſa ſeyn/
Auf welchen jenes Geiſt wird ruhen ſolcher maſſen/
Daß dieſer Haupt-Verluſt gebracht werd wieder
ein.
Nichts mehrers wünſchen wir/ dahin geht das Ver-
langen
Der Kirche/ und der Stadt / der ſämptlichen Ge-
mein/
Die Ihren Winckler hat mit gröſter Lieb umfangen/
Nun aber gönnen muß/ daß er in Ruh mag ſeyn.
Sein Leichnam hält zwar in dem Grab die ſtille
Woche
Die Seele aber prangt in Palmen ſchon für GOtt/
Biß auf den Oſter-Tag / fern vom Verweſungs-
Joche
Der Leib der Seel vereint/ Joch/ Todt und Grab
verſpott.

JOHAN. JOACHIMUS Schöpffer/
J. U. D. & Prof. Comes Palat. Cæſar. Sereniſſ. Ducis Mecklenb. Conſiliar. & Cancellariæ Vice-Director, Academiæ Roſtoch. hodie
PRO-RECTOR,

M E M O R I A M,

VIRI MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI atque EXCELLENTISSIMI

DN. FRANCISCI WOLFFII,

SS. Theol. & Phil. D. longe Celeberrimi, Academiæ hujus quondam Prof. Publ. Eccleſiæ ad D. Mar. Prim. Paſtoris Vigilantiſſimi, & Rev. Miniſterii Roſtoch. Directoris Graviſſimi,

Poſtea

Eccleſiæ Nicolaitanæ apud Hamburgenſes Paſtoris longe optime meriti, Rev. Miniſterii Con-Senioris Graviſſimi & Scholarchæ Spectabiliſſimi,

cum exuviæ ejus Hamburgi d. 30. Jun. An. MDCCX. terræ mandarentur,

Civibus Academicis O. O. Honoratiſſimis recolendam pieque cuſtodiendam

publico hocce Programmate

commendat.

ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGII, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

MOrtalitati quamvis obnoxii ſint, quotquot in hanc vitam naſcuntur, omnes; eſt tamẽ, quod mortalitati eripit mortales, & ipſa etiam in morte inter mortales immortales reddit. De Eccleſia Reque Chriſtiana publica qui in hac vita bene merentur, id agunt, ut mortui olim vivant, & ex hoc mundo ſublati, ſint velut in mundo degentes, dum non apud eos ſolum ſui relinquunt deſiderium, qui eos viderunt audiveruntve; ſed ſeræ etiam poſteritati ſui imprimunt memoriam, ipſorum merita ex æquo æſtimaturæ. Et talium Virorum nomina in pretio tam a præſentibus haberi, quam ſucceſſuris commendari, æquum omnino atque fas eſt. Idcirco, dum promeritus id, ſi quis alius, eſt, cujus luctuoſiſſimum ex hac vita abitum jam nunc condolet univerſa orthodoxa Chriſti Eccleſia, Vir quondam Maxime Reverendus, Excellentiſſimus atque Ampliſſimus, DN. FRANCISCUS WOLFFIUS, SS. Theolog. & Phil. D. Celeberrimus, noſtræ olim Academiæ Logices primum, tum Theol. Prof. Publ. Collegii Profeſſorum Senatorii Senior, Eccleſiæ ad D. Mariæ Primariæ Paſtor Vigilantiſſimus, & Rev. Miniſterii Director Fulgidiſſimus, ultimum ad ædem D. Nicolai apud Hamburgenſes Paſtor Fideliſſimus, Rev. Miniſterii ejus loci Con-Senior atque Scholarcha Graviſſimus, juſtum eſt debitumque noſtrum, ut ejusdem nomen immortalitati nos etiam conſecremus, famamque conſervemus in Academia pariter atque Eccleſia

no-

noſtra. Poſtulant id ſumma Optimi Viri merita nunquam intermoritura, jubet id Academia, in qua duplex ſuſtinuit Profeſſorium munus, depoſcit Eccleſia, quam & pura doctrina, & vita irreprehenſibili, & ſalutaribus conſiliis aliquot per luſtra ædificavit. Ut igitur conſtet, quantum Eccleſia Orbisque Literatus in hoc Virum amiſerit, vitæ ejus curriculum, quantum quidem ad noſtram pervenire notitiam potuit, breviter omnique ſine verborum ornatu, quem temporis anguſtia nimiaque feſtinatio prohibent, deſcribemus. Utque ejus ab initio initium ſcripturæ hujus ducamus, lucem hanc primum adſpexit in percelebri Pomeraniæ Sveciçæ emporio, Straleſundenſi Civitate, Anno O. R. MDCXLIV. die 13. Octobris. Prognatus autem fuit a Parentibus integerrimæ vitæ famæque honeſtiſſimæ. Genitorem quippe veneratus eſt Virum Spectatiſſimum, B. Dn. EGGERTUM WOLFFIUM, dicti loci Civem ac Mercatorem florentiſſimum. Matrem eſt oſculatus Matronam virtutibus ſexus ſui admodum conſpicuam, B. CATHARINAM *Dentſchen*. Prima optimorum horum Parentum cura fuit, ut, quem corrupto ex ſemine a ſe progenitum noverant, regeneraretur ex aqua & Spiritu, quo, qui natura filius iræ eſſet, DEO reconciliatus Regni Cœleſtis hæredum adſcriberetur numero. Deinde temporis nil quidquam omiſere eorum, quæ ad commodam educationem teneræque ætatis inſtitutionem face-

re poſſe rebantur. Quod ut felicius procederet, ſtudiis literarum filiolum huncce ſuum initiari curarunt, commiſſum ductui ac informationi celebris tum Muſici ejus loci, DN. ELIÆ WOLTERSDORFFII, ut & DN. JOHANNIS ALBERTI, ejusdem Scholæ Collegæ, tandemque & Sub-Rectoris eruditiſſimi, DN. CASP. MOVII. Quorum Præceptorum fideliſſima adjutus inſtitutione fundamenta in humanioribus, ceu vocantur, literis non contemnenda cum jamjam poſuiſſet, ſingularis quidam caſus ab illis eum abſtracturus videbatur. Cum enim, neſcio quo fato, puer adhuc lapſu periculoſiſſimo in undas præcipitatus fuiſſet, & non ſine ſpeciali DEI providentia inde extractus, (quod aperto ſatis indicio eſt, noviſſe DEUM ſervare ab omni caſu, quos Eccleſiæ ſuæ multum commodi olim præſtituros præſcit) Beati Parentes rei mercatoriæ operam addicere ſuam ipſum juſſerunt, quem etiam in finem Amſtelodamum, Emporium apud Batavos quaquaverſum orbis patet celeberrimum, navi vectus adiit, ut eo plus naniciſceretur occaſionis, quomodo talia tractanda negotia ſint, addiſcendi. Sed domum reverſus, deprecatus hoc quicquid erat negotii, efflagitantibus id cumprimis, qui antea eum erudiverant, Præceptoribus, utpote quibus elegantiſſimum Diſcipuli ingenium cognitum ſatis fuerat atque probatum, conſentientibus tandem Parentibus, Scholæ iterum traditus ad priſti-

ſtina Literarum Studia majori rediit cum ardore. Ita navigia cum Athenis, mercaturam cum literis commutavit, informatione uſus optimorum tum temporis Gymnaſii patrii præcipuorum Præceptorum, Con-Rectoris, *Dn. Nicolai Bruggemanni*, & *Dn. M. Hieron. Staudii*, poſteaque *Dn. Tobiæ Spradleri*, utriusque Rectoris. Præeuntibus illis, tam eximios felici ſucceſſu progreſſus fecit, ut eorum ex conſilio principes adire Scholas, quas Academias vocitare ſuevimus, in animum induxerit. Præferebatur reliquis tum ipſa hæc Varniaca Schola, Viris & ingenio & meritis præfulgentibus ſplendide coruſcans. Appulſum huc Anno 1665. ætatis annum vigeſimum primum agentem in Studioſorum numerum cooptavit Magnificus tum Rector, Dn. M. HENR. DRINGENBERGIUS, Ebr. Ling. & Catech. Chriſt. P. P. Studia heic commorantis formarunt Viri Excellentiſſimi ſupraque laudem noſtram poſiti, & Philoſophica quidem B. DN. D. CHRIST. KORTHOLTUS, Græc. Liter. heic, poſteaque in Kilonienſi Holſatorum Academia SS. Theol. Profeſſ. Publ. Prim. nec non B. Dn. M. *Herm. Beckerus*, Metaph. & Phyſ. tum, deinde autem Mathem. P. P. & ad D. Jacobi Paſtor optime meritus; Theologica vero Dn. *Joh. Quiſtorpius* II. Theol. D. & P. P. dictæque mox ædis Jacobeæ Paſtor ac Rev. Miniſt. Director, *Dn. Henr. Mullerus*, Theol. D. P. P. Paſt. Marianus ac Rev. Miniſt. Urbici Superintend. *Dn. Aug. Varenius*, Theol. D. P. P.

Conſiliar. Conſiſt. Ducal. & Superintend. Diſtr. Mecklenb. omnes jamdudum inter cœlites triumphantes. Biennio apud Noſtros omnium bonorum cum applauſu transacto, alias quoque inviſere Academias conſultum ſibi duxit, plantas, ſicubi alieno inſeruntur ſolo, felicius plerumque creſcere expertus. Jenenſis itaque Academiæ fama allectus iter eo direxit, atque d. 19. Aprilis Anno MDCLXVII. abs Rectore ejus Magnif B. *Dn. Georg. Gœtzio*, Moral. Phil. P. P. poſtea Theol. L. & Superint. General. Jenenſ. matriculæ Academicæ adſcriptus fuit. Ubi non minori cum ardore & induſtria Præceptores ſuos audivit, Philoſophos: *Gœtzium* modo laudatum, *Fridem. Bechmannum*, Log. & Metaph. *Caſp. Poſnerum*, Phyſ. *Erh. Weigelium*, Mathemat. *Joh. Andr. Boſium*, Hiſtor. *Phil. Mullerum*, Eloqv. publicos ea tempeſtate Profeſſores; Theologos item: *D. Joh. Muſæum*, *D. Jo. Erneſt. Gerhardum*, *D. Seb. Niemannum*, Viros omnes, quorum æterna eſt in orbe Literato memoria. Fixerat quidem Jenæ ſibi Studiorum ſedem, non tamen ad alias etiam excurrere Academias negligebat; ſed Wittebergenſem etiam atque Lipſienſem, nec non Erffortenſem ſalutabat, in hac potiſſimum, qui Pontificiis ſacri ſunt externo in cultu, ritus obſervaturus. Jena vero poſteaquam & ingenium ſolertiſſimum, & induſtriam nunquam remiſſam, & utriusque ope, Deo largiſſime benedicente, comparatam eruditionem ſolidam omnibus probaſſet, has

ejusce

ejuſce coronare dotes cupiebat, collato ipſi An. MDCLXIX. per manus Brabeutæ, laudati antea *Phil. Mulleri* ſupremo in Philoſophia Gradu, ſeu Magiſterio, uti vocare ſolemus, & ita quidem ut XIII. inter Canditatos primum ei locum ex merito aſſignaret Ampliſſ. FCtas. Quo Gradu ornatus ejusdem privilegiis uti cepit, tum varias Prælectiones Philoſophicas ſtudioſæ juventutis in gratiam inſtituendo, tum difficiliores nonnullas materias, ut Præſes, in publicis Diſputationibus ventilando, e quibus in noſtram notitiam pervenere Diſpp. *de Potentia Dei; de Scientia DEI Media, oppoſita Adr. Heereboord, contra quem aſſeritur, DEum non in decreto voluntatis humanæ determinativo ſcire futura libera conditionata; de Multipræſentia ſimultanea unius corporis, ſive de quæſtione illa, an unum numero corpus ſimul poſſit eſſe in pluribus locis?* Quæ ſingulare ingenii acumen ſolidamque eruditionem ſpirantia ſpecimina effecere, ut Adjunctus FCtatis Philoſ. ea in Academia fuerit adſcriptus, cum pro Loco, ceu loquuntur, in FCtate obtinendo Diſputationem *Theſes Miſcellaneas Selectiores ex quibusdam Diſciplinis Philoſophicis* exhibentem publico examini d. 12. Maji An. MDCLXXI. propoſuiſſet. Non ferebant res ejus, qui diutius ſe heic retineri pateretur Beatus Noſter; quamobrem eo ipſo anno in Patriam redux factus ad vicinam Sundio Gryphisvvaldenſem Regiam Pomeranorum Univerſitatem ſeſe contulit, convictu gaudens ac familiari converſatione *Dn. Joh. Michaelis*, SS. Theol.

D. & P. P. Paſt. in æde Jacobi & Conſiſtor. Reg. Adſeſſ. quondam Celeberrimi. Sed Roſeti noſtri haud immemor, primam hanc Academicorum ſuorum ſtudiorum nutricem iterato ſalutavit medio autumno Anni MDCLXXI. menſa & contubernio uſus *M. Hermanni Beckeri*, τ8 μακαρίτ8. Tum autem hic ita favere illi fortuna cœpit, ut in notitiam pervenerit Illuſtris tunc Cancellarii Mecklenburgici, *Dn. Jo. Sluteri*, poſtmodum Reipubl Hamburgenſis Conſulis Magnifici, qui dona ejus atque virtutes juſto pretio æſtimans, eadem Sereniſſ. Principi ac Domino, DN. GUSTAVO ADOLPHO, Duci Mecklenb. & Academiæ hujus Patrono Magnificentiſſ. gl. record. omni meliori modo commendavit. Isque Divinus, ſolide doctis neminem majoris exiſtimans Princeps B. Virum publicam Philoſophiæ Rationalis ſuſcipere Profeſſionem juſſit, ad quam obeundam Anno MDCLXXII. d. 27. Febr. prævia oratione inaugurali, ſolenni ritu introductus fuit. Quam ſpartam per quinquennium egregie ornavit, habitis frequentibus, maximo diſcentium cum applauſu, Prælectionibus & publicis & privatis. Inciderunt etiam in manus noſtras nonnullæ interea temporis propoſitæ ab ipſomet Diſputationes Logicæ, ut de *Natura Prædicationis in genere*, hab. Anno 1672. Theſes Miſcellaneæ, Anno eod. De *Prædicationis Diviſionibus duabus* An 74. De *Univocis*, An. 75. De *Syllogiſmo, in qua nonnullorum, quæ de ſtructura, figuris, modis*

&

& reductionibus Syllogiſmorum in Compendiis paſſim ſolent tradi, rationes inveſtigantur & explicantur, An. eod. Plura num ediderit Philoſophica Scripta, compertum quidem nobis non eſt. De eo autem ex Ampliſſ. FCtatis Philoofphicæ membranis conſtat, bis eum Decanatus ſuſtinuiſſe munus atque honores, Anno nimirum ſeptuageſimo tertio, & ſeptuageſimo quinto, utraque vice per ſemeſtre æſtivum. Anno autem MDCLXXVI. extra ordinem, ad quendam Promotionis actum accelerandum, ab Ampliſſ. FCtate Decanus fuit conſtitutus, quando d. 27. Aprilis ſex Candidatis, *Salomon.* Hofwerberg / Paſtorem Jemptelandia-Suecum, *Fridr. Nicol. Jillerum*, Colon-March. *Joh. Juſtum Mohr*, Corbach. Waldeccum, deinceps Scholæ Senatoriæ heic loci Rectorem, *Simon.* Grotens / Roſtoch. *Joh. Quandtium*, Regiomont. Boruſſ. *Joh. Gottfried.* Bergſtadt / Suſato-Weſtphal. ſummis in FCtate Phil. honoribus ac Privilegiis mactavit. Quæ prima fuit promotio poſt illos An. 1675. in ipſa Paſchatis paraſcevaſtica veſpera excitatos tumultus, in quibus ſceptra Academica a furore plebis confracta, unde Ampliſſ. FCtas, ne quid ſplendoris actui Promotionis deeſſet, ſua ſceptra argentea Academicorum in locum ſurrogare habuit; quod poſterorum memoriæ relinquendum, teſtante propria ejus manu, ipſemet B. Vir judicavit. Elapſo quinquennio, per quod Philoſophiam heic docuerat ipſe, contigerat Viri æternæ memoriæ, laudati ſupra *D. Henr. Müll-*

Mülleri, beata ἀνάλυσις, unde & Paſtoratus Marianus & Profeſſio Theologica Senatoria vacabat. Quandoquidem igitur Ampliſſ. ac Prudentiſſ. Urbis hujus Senatus & Academiæ Compatronus ſingularia B. Noſtri dona abunde cognoverat, nec meliorem *Müllero* ſucceſſorem inveniri rebatur, expetiit ab eo, qui ſeſe Eccleſiæ Paſtore ſuo orbatæ præſentari permitteret. Qua in re divinum agnoſcens nutum, Anno MDCLXXVI. menſ. Octobr. δοκιμαςικὴν habuit de ſuggeſtu concionem, eo cum applauſu ac approbatione, ut unanimi omnium conſenſu Primariæ urbis Eccleſiæ Paſtor eligeretur, atque ad commiſſum ſibi officium introduceretur. Nec multo poſt Profeſſionem quoque illam, cui præfuerat *Müllerus*, eidem commiſit Ampliſſ. Senatus. Qua cum, ex recepto in hac Academia more, plene defungi non poterat, niſi ſupremo ea in FCtate Gradu ornatus, Anno 1680. autumnali tempore Wittebergam conceſſit, ubi, prævIis Lectionibus Curſoriis, quas vocant, ex 2. Theſſ. II. de *Papa homine peccati* & defenſa ſub Præſidio Magni Theologi, B. D. *Abrah. Calovii*, cujus nomen omnium in ore geritur, Inaugurali Diſputatione de & ex *Formula Concordiæ*, ab ipſomet Præſide, quæ ejus Academiæ conſuetudo eſt, Candidato præſcripta, Doctoris Theologi decus & axioma obtinuit. Quo ornatus ad concreditam ſuæ curæ utramque cathedram reverſus eſt, duplicique hoc in officio eum ſe ſemper geſſit, qualem ſperaverant omnes.

omnes. Curam animarum ita egit, ut qui probe edoctus erat, de ſingulis earum ſe DEO olim rationem reddere teneri. Perverſos fulmine Verbi terrebat: afflictos leniebat erigebatque dulcedine conſolationum. Quæ alios docuerat, ipſemet vita & praxi exprimebat, vivum virtutum Chriſtianarum exemplum. Indeque & venerationem, & timorem, & amorem omnium conciliaverat ſibi. Promeruerat ita, cui etiam Directorium Rev. Miniſterii hujus loci concrederetur. Et nemo ullus fuit, qui non ſerio optaſſet, ut ne tantum Virum abs Eccleſia Roſtochienſi auferri permitteret, qui Paſtores animarum nobis dat, DEUS, Eccleſiæ tutor. Nec minus in Academia Studioſorum juvare ſtudia omnibus anniſus viribus eſt, ceu teſtari queunt, quotquot non ſine fructu ejus egreſſi ex Schola ſunt. Cum ſoliditate perſpicuitatem conjungere in docendo ſolebat, omnia convertere in uſum Auditorum. Grata adhuc agnoſcit Academia noſtra, quas pro ejus ſalute inſumſit curas vigiliasque. De qua inter alia etiam optime meritus eſt ter ejus Rectoratum gerendo, primum An. 1674. per ſemeſtre æſtivum, iterumque An. 1681. poſtremum An. 1684. ultimis his vicibus ſemeſtri hyberno. Nec memoria noſtra exciderunt, (ne de Concionibus funebribus & Nuptialibus, pluribusque jam programmatis dicam) quas vel Eccleſiæ judicio expoſuit, vel de cathedra Academica propoſitas admirabili cum ἀκριβείᾳ & acumine defenſita-

tavit, Diſputationes. E quibus ad manus nunc nobis ſunt: *De Transſubſtantiationis Pontificiæ abſurditate.* hab. An. 1681. *De DEO Trinuno, Creatore univerſorum & Moderatore*, An. 1682. *De Reſurrectionis Mortuorum poſſibilitate, probabilitate & certa veritate* An. 83. *ἄγραφον Pontificiorum, ſive de Communione ſub una*, An. 84. *Diſcurſus Theologicus, quo orthodoxa plurimorum celeberrimorumque Theologorum ſententia de formali mere privativo peccati Originalis, de motibus primo primis ad peccatum actuale vel originale referendis, de peccato actuali infantum, & de peccato voluntario ac involuntario proponitur, illuſtratur & a quibusdam objectionibus & difficultatibus liberatur.* An. 1687. *Theſes LVII. genuinæ pro ſopiendis tandem per ſeptendecim annos reciprocatis litibus.* An. 1695. *De Juſtitia Originali Protoplaſtorum naturali*, An. 97. *Collegium Theologicum Diſputatorium*, XIX. continens Diſputationes, quod An. 1696. 30. Sept. cœptum continuari prohibuit B. Viri abitus ad Hamburgenſes. Contingebat autem hic Anno 1697. circa S. Johannis Feſtum. Etenim cum ab inſignibus, quibus Deus eum exornaverat, concionandi dotibus ubique quam commendatiſſimus eſſet, nec eæ Hamburgi ignorarentur, ad Paſtoratum Eccleſiæ Nicolaitanæ hinc evocabatur. Cumque de vocatione legitima ac divina certus eſſet atque convictus, vocantem Deum ſequutus eſt, munereque ſibi demandato, quod Concione inaugurali in 2. Cor. IV. 6. 7. die 4. Auguſt. 1697. ſolenniter in ſe ſuſcepit, ad extre-

mum

mum usque vitæ halitum ita functus, ut memoriam ejus apud Hamburgenſes nulla unquam deletura oblivio ſit. Sed nolo de his plura. Ab officiis publicis ad domeſticas Viri beati res breviſſimis enarrandas memet convertam. Cum, velut ſupra memoravimus, Profeſſor Logices in hac Alma conſtitutus eſſet Beatus Noſter, de propria familia ordinanda cogitationes ſuſcepit. Et ita rem direxit Deus, ut matrimonio ipſi jungeretur, accedente Anno 1673. d. 29. Octobris ſacerdotali benedictione, Nobiliſſima tum Virgo ac virtutibus, quæ muliebrem ſexum ornant, omnibus maxime conſpicua, ANNA SCHUCKMANNIA, Viri quondam Maxime Reverend. Excellent. atque Ampliſſimi, Dn. HERMANNI SCHUCKMANNI, SS. Theol. D. Celeberr. Sereniſſ. Ducis Mecklenb. DN. GUSTAVI ADOLPHI Concionatoris Aulici Primarii ac Confeſſionarii, Eccleſiarum in Principatu Heneto Superintendentis & Conſilii Eccleſiaſtici Præſidis, de omnibus officiis longe meritiſſimi, atque Honeſtiſſimæ Matronæ MARGARETHÆ Lembcken/ ex fulgidiſſima apud nos Lembkiorum familia prognatæ, filia natu maxima. Quam concors hocce fuerit conjugium, ipſi nos heic vidimus atque mirati ſumus. Idem utriusque velle, nolle utriusque idem. Placuit hoc ipſum ipſi Deo, unde non unius duntaxat generis in illud effudit benedictiones. Cumprimis prole fœcundum, quod vel ipſo Spiritu S. teſte

teſte divinæ benedictionis teſtimonium eſt, exſtitit conjugium iſtud, ex quo tredecim procreati liberi fuere, ſex ſuperioris, ſeptemque ſequioris ſexus. Filii B. Viri ſunt Vir plurimum Reverendus, Ampliſſ. atque Clariſſ. Dn. HERMANNUS, natus A. 1676. 18. Jan. & ab A. 1701. menſe Jul. Ergaſtuli, deinde ab An. 1705. Cal. Nov. ad D. Nicolai Hamburgi Eccleſiaſtes optime merens, qui juncta ſibi An. 1707. Calend. Martii, in connubium nobiliſſima Virgine CATHARINA, ſpectatiſſimi Viri WILHELMI WOLPMANNI filia natu maxima B. Parentem adhuc ſuperſtitem duplicis ſobolis, filii nempe FRANCISCI & filiæ ANNÆ LUCIÆ, Avum feliciter ſalutavit. Contigit & hoc jucundum inprimis ac ſingulare, quod is Genitori ſuo non ſolum ſpecialis Collega & cooperarius datus, verum & ab ipſomet illo ordinatus ad S. iſtud officium eſt atque introductus. FRANCISCUS, natus 1677. 23. April. & ejusdem Anni d. 18. Auguſti mox iterum in tenerrima ætate cœlo redditus. B. MATTHÆUS, (natus 1678. 19. Maj.) Rev. Miniſt. Hamburg. Adjunctus & in ergaſtulo Concionator ordinarius, qui poſt peregrinationes per Angliam Bataviamque magnam de ſe in omnium animis concitaverat ſpem, ſed præmatura morte, non ſine ingenti Parentis dolore, ex hac vita abreptus. Iterum FRANCISCUS, SS. Theol. Cultor perſtrenuus, ac Rever. Miniſt. Cand. digniſſimus, EGGERTUS & JACOBUS

BUS CHRISTOPHORUS, qui in Gymnaſio Hamburgenſi optimis literis ſedulam operam navant. Filiæ vero ſunt Præ-Nobiliſſima magnisque virtutibus fulgidiſſima fœmina, CATHARINA MARGARETHA, nata An. 1674. d. 9. Octobr. & Præ-Nobiliſſ. Conſultiſſ. atque Excellentiſſ. DN. MATTHIÆ Stein/ in hac Academia Cod. P. P. O. Celeberrimo, Collegæ noſtro ac Fautori æſtimatiſſimo d. 8. Jul. An. 1697. nuptum data. ANNA MARIA & AGNETA BEATA beatudine æterna jamdudum fruuntur, in prima infantia Angelorum choro aggregatæ. Superſunt in hac mortalitate Virgines Virtutum cum Parentum ſanguine in ipſas derivatarum amantiſſimæ eximiisque donis exornatiſſimæ, ANNA DOROTHEA, CHRISTINA SOPHIA, ANNA ELISABETHA & MARIA. Quibus in hac, qua major nulla eſſe poteſt, afflictione Spiritus S. ſolatio efficaciſſimo adſit, optamus atque vovemus. Et hæc pauca ſunt, CIVES HONORATISSIMI, quæ de Magni hujus Viri vita commentari licuit, de qua longe plura dicenda forent, niſi ſumma me temporis premeret penuria. Ultima ejus quod attinet, accepimus, ipſum ab aliquot jam annis virium corporis decrementa perſenſiſſe, ante aliquot autem ſeptimanas in gravem incidiſſe morbum, qui media fere nocte inter 25. & 24. menſis hujus diem hanc ipſi eripuit vitam, ut cum Deo viveret ſine fine.

Exanime corpus Hamburgi hodie ad beatam uſque, quam ſperamus, reſurrectionem terræ mandabitur, cui cum, locorum ob diſtantiam, ultimũ exhibere honorum inter lugentes intercedendo, nobis licitum non ſit; id tamen agamus, CIVES O.O. HONORATISSIMI! ne tanti Viri immemores vivamus. Percepiſtis, quantum meritorum Academiæ pariter atque Eccleſiæ noſtræ olim præſtiterit ipſe. Grata igitur memoria hæc recolamus, virtutes Viri imitemur, relictis, viduæ, liberis, ceterisque conſanguinitate ac affinitate ipſi junctis, caſum hunc acerbiſſime lugentibus ſolatia & bona quæque apprecemur, tandem & propriam noſtram mortalitatem, imo totius hujus mundi vanitatem meditemur. Valete!

P. P. Sub Sigillo Rectoratus d. 30. Junii Anno MDCCX.

JUSTA

JUSTA FUNEBRIA,

MANIBUS

REVERENDI VIRI,

FANCISCI SIMONIS,

EXSOLUTA.

Vixit, beateque exceſſit Vir plurimum Reverendus, Ampliſſimus, Clariſſimus FRANCISCUS SIMONIS, philoſophiæ & optimarum artium magiſter, Hamburgi ad ædem divi Georgii ſacerdos per quinque luſtra meritiſſimus, cujus ſi vitæ curſum, lector benevole, dignum, qui referatur publice, ſcire cupis, paucis eum tibi enarrabo. Natus eſt patre, plurimum reverendo viro, FRANCISCO SIMONIS, per dimidium ſæculum in eo cœtu, quo filius, animarum cuſtode vigilantiſſimo: matre ELISABETHA PAPEN, HENRICI PAPEN, in eadem Eccleſia, cui ſocer ipſius, HENNING WICHREVE, poſthac gener, tandemque nepos præfuit, paſtoris, filia: lucem conſpexit CIƆ IƆC XXXIIX, quarto Aprilis die, hora matutina tertia, in noctis atque diei collimitio: ſexto ejusdem menſis ſacro baptiſmatis lavacro lotus, & Chriſtianorum ordini initiatus. Ex quo firmare greſſus & pedem figere cœpit infans, ſpem præ ſe tulit egregiam, auctam a puero, ſtudiis, quæ ætas puerilis capit, ſtudium & operam majorem, quam puerilem, impendente, magis ac magis ab adoleſcentulo corroboratam, ſub auſpiciis celeberrimi Gutbierii, præceptoris domeſtici fundamenta bonarum artium & elegantiorum literarum jaciente. Dimiſſus e diſciplina domeſtica, triennium illuſtre Gymnaſium Hamburgenſe frequentavit, clariſſimis in eo uſus magiſtris & profeſſoribus, JUNGIO, TASSIO,

SIO, VAGETIO, LAMBECIO, KIRSTENIO & jam memorato GUTBIERIO: *hoc* linguas orientales & ſacra ſtudia: *illis* univerſam philoſophiam & hiſtoriam civilem non minus, quam Eccleſiaſticam ipſi tradentibus. Adoleſcens ad Academiam Wittebergenſem menſe Februario cIↄIↄc LVII. profectus, totum ſe dedit audiendis Lectionibus Magnorum Theologorum CALOVII, MEISNERI, QUENSTEDII, quibus auditis ad alias Germaniæ Academias perrexit & comite BALTHASARE BEBELIO, Profeſſore poſtea Argentoratenſi, Lipſiam, Jenam, Norimbergam, Ratisbonam, Ingolſtadium, Monachium, Auguſtam Vindelicorum, Tubingam & plura Sueviæ; Franconiæ, Bavariæque celebriora loca ſpectavit, ſuperatisque horum itinerum difficultatibus, Argentoratum ſalvus attigit. In Argentinenſi philoſophiæ pariter ac Theologiæ ſtudia proſecutus, cum laude & plauſu omnium mitram philoſophicam ibidem ſumſit; deinceps per Alſatiam & Brisgoiam ad Academiam Baſileenſem exſpatiatus, celeberrimi Buxtorffii non modo vultum vidit, verum etiam animum perſpexit erga ſe benevolentiſſimum. Argentorato, quod repetiit, poſt intervallum aliquod relicto, cIↄIↄc LX tractum Rheni, primariasque in eo civitates, Heidelbergam, Moguntiam, Francofurtum Mœni & Coloniam Agrippinam luſtravit: inde ad Belgas abiens

Trajecti ad Rhenum, Amſtælodami & in Academia Lugdunenſi aliquantiſper commoratus, Roterodamum, Bruxellas & Antorſium petiit; poſt Briela in Angliam trajecit, unde Londino, Oxonio, aliisque in regno hoc memorabilibus luſtratis, navigium vectus cIↄ IↄcLXI. ſecundis ventis in patriam ad ſuos rediit. Poſt anni ſpatium e patria iterum diſcedens, Daniæ regnum adivit; aula regia & celebrata Academia Sorana Hafniæ viſis, per mare Balthicum Lubecam delatus, Roſtochio, Gryphsvvaldia, Stetino, Vratislavia, & Olmutio ſalutatis, Viennam Auſtriæ per hebdomades aliquot amplexus eſt; nec comitia regni Hungariæ, quæ tunc temporis Poſonii celebrabantur, neglexit, quorum ſolennibus penſitatis Moraviam & Bohemiam peragravit, hujusque metropolin, Pragam & potiora Saxoniæ munimenta contemplatus, almam Jenenſem novam ſibi Muſarum ſedem fixit, ſtudiis Academicis finem impoſiturus. Heic quanto in Theologiam ſtudio, quanta incubuerit opera planum atque apertum facit elegans & erudita diſſertatio *de glorioſo Chriſti ad inferos deſcenſu*, magno labore ab eo conſcripta, qua, ſummo Theologo, Jo. Erneſto Gerhardo præſide, cIↄ IↄcLXIII. publice defenſa, hoſpitibus, patronis, præceptoribus de ſtudiorum ſuorum profectu eidem congratulantibus, vale dicens, ut peregrinationibus ſuis curioſis & literariis colophonem imponeret, circa Joannis diem fe-

feſtum in patriam ſe recepit. Gratulabantur omnes parenti optimo de filio reduce: morum modeſtia, eruditione & probitate animi prædito: dotes ingenii, quas alii, remoti à diſciplina patria, voluptatum illecebris irretiti vel temere contaminant, vel penitus diſperdunt, non modo ſartas & tectas, ſed cumulatas etiam & ſtudioſe perpolitas ad lares patrios reportante. Eo enim tempore, quo parenti adfuit, nec patri, nec patriæ, nec ſibi unquam defuit: potius, ampliſſimum ingreſſus campum dicendi & perorandi in Eccleſiis, ſacros ſermones, non niſi attenta mente elaboratos, frequens & felix habuit, iisque ita ſe commendavit patronis, Eccleſiarum curam gerentibus, ut Allermœæ, in Billana Hamburgenſium inſula, XXII. Trinitatis cIↄ Iↄc LXX. ſacerdos conſtitueretur: quo ſacrato munere ferme decennium functus, in locum parentis ſui, XV. Novemb. cIↄ Iↄc LXXIX. pie demortui ſucceſſit, ab Eccleſiæ Georgianæ antiſtibus, JOANNE SCHROEDERO & BRODERO PAULI, reipublicæ Hamburgenſis conſulibus magnificis, pari voluntate Venerabilis Theologi, ANTONII REISERI, ſacerdotis ad ædem Jacobi Primarii, idem, quod conſules, cupientis & declarantis, IV. Adventus ejuſdem anni ritu ſolenni electus; ſpartam, quam erat nactus, ſummo ſtudio magnaque cura adminiſtravit, ratus, *ſacerdotium non eſſe otium, ſed laborioſum negotium, perpetuum ſtudium vigilemque curam efflagitans.* Cum XXVI.

annos Eccleſiæ huic præfuiſſet, imbecillitate corporis, quam ſenecta & ægrotationes intulerant, magis coactus, quam ſponte ſua & voluntate propria ductus, bene tamen de publico meritus, cIↃ IↃcc VI. publico muneri renunciavit, devoluto in humeros plurimum Reverendi, Doctiſſimi Clariſſimique Viri, M. NICOLAI MULLERI, quem ſibi gratulatus eſt adinueniſſe ſucceſſorem dignum, collegam dextrum, amicum fidisſimum, & fratrem atque vicinum conjunctisſimum, nuper etiam in mortis & vitæ confinio conſtanter ſibi adhærentem, & ſacras meditationes moribundo ſuppeditantem. Matrimonium NOSTER XXVII. Junii cIↃ IↃc LXXI iniit cum ornatisſima virgine, nunc vidua mœſtisſima, ANNA SCHNITLERIA, filia Viri Nobilisſimi, Ampliſſimi & Conſultisſimi, JOANNIS SCHNITLERI, præfecti ad ædem & cœnobium S. Georgii, & ELISABETHÆ JARREN, e familia in Senatorio ordine Hamburgenſi olim non ignota, oriundæ: ex quo conjugio in perpetua animorum concordia & tranquillitate nunquam interrupta per annos XXXVIII. continuato, ſuſcepit filios ſex, filias duas, e quibus filii quinque jam tum exſtincti, & ad ſuperos translati: filiorum ſextus ſupereſt, isque Vir Nobilisſimus, Ampliſſimus & Conſultisſimus, JOANNES SIMONIS, J. U. Licentiatus, ultra biennium in perluſtrandis regionibus exteris verſatus, propediem, Deo duce, domum redi-

diturus: filiæ vero iis virtutibus, quæ matronas decent, exornatæ, altera ELISABETHA, plurimum Reverendo Viro ERNESTO MUSHARDO, verbi divini in Eccleſia Michaelitana Hamburgenſi miniſtro fideliſſimo, die XIII. Jun cIↄ Iↄc XCII. nupta: altera, MARIA DOROTHEA, viro honeſtiſſimo, HENRICO MUHLIO, mercatori apud Hamburgenſes florentiſſimo die XXII. Septembr. cIↄ Iↄcc IV. in matrimonium data; decies NOSTRUM fecere avum, totidem nepotes neptesve in lucem proferentes; tres ex iis jam tum deſierunt vivere: reliqui autem, quos inter ingenui adoleſcentes, FRANCISCUS MUSHARDUS, Scholæ Regiæ Verdenſis Alumnus diligentiſſimus, & JO. ERNESTUS MUSHARDUS, itidem litterarum bonarum cultor, etiamnum florent, ac ſpem præclaræ familiæ maximam pollicentur. Fratres Germanos habuit Virum Magnificum, Ampliſſimum & Conſultiſſimum, JOANNEM HENRICUM SIMONIS, J.U.D. & inclutæ Reipublicæ Hamburgenſis Syndicum ſpectatiſſimum, bene de patria meritum, & in præſenti bene merentem: habuit Virum Nobiliſſimum & Experientiſſimum, BARTOLDUM SIMONIS, Medicinæ Doctorem, doctum æque ac felicem, Lutetiæ Pariſiorum, cum poſt ſexennium Jenæ, Lugduni Batavorum, & Oxonii conſumtum, in Italiam & Orientales regiones meditaretur, anno ætatis XXVIII. e nume-

ro viventium egreſſum: habuit ſororem quoque Germanam, ANNAM CATHARINAM, natam VII. April. cIↄ Iↄc XXXV. Reverendo Viro, GEORGIO HARDKOPFIO, in templo Nicolaitano Hamburgenſi divinæ veritatis prædicatori cIↄ Iↄc LII. conjugali ritu adſociatam, XVII. Martii cIↄ Iↄc LXXIV. vita defunctam. Præter hanc CHRISTIANA ELISABETHA & ESTHERA MARGARETA, pietate & virtute inſignes, ſorores ipſi fuere, non quidem uterinæ, ſed prognatæ ex altero parentis matrimonio cum ELISABETHA CAPELLA, Viri Doctiſſimi, JODOCI CAPELLI, in cœtu Hamburgenſium Catharinino ſacrarum litterarum ininterpretis, filia lectiſſima, XXVII. annos culto: illa ſororum innupta obiit: hæc nupta Viro Clariſſimo, MICHAELI ab OPPENBUSCH, Hamburgi ad ædem Michaelitanam quondam concionatori. Quod attinet ad invaletudinem & ægrotationes, quibuscum NOSTER conflictatus eſt, cIↄ Iↄc LXXXV. morbo ſcorbutico tentatus, tam fuit factus imbecillis, tamque exhauſtus viribus, ut officii ſui partes ultra totius anni ſpatium, etſi voluerit, explere nequiverit, per corpus integrum delumbatus & enervatus, adeo, ut vel mortem ſibi inſtare, vel morbum lentum eumque continuum, ipſa morte intolerabiliorem, imminere ſibi, vereretur: at, quæ Dei erga NOSTRUM fuit benignitas, adſcito in conſilia peritiſſimo

me-

medico, *JOACHIMO BIESTERO*, Medicinæ Doctore celebri & Hamburgenſium Phyſico ordinario, Emſam profectus, thermas, ut mederentur malo, vocavit in auxilium, iisque uſurpatis, ſanitatem, dubiam ante, immo deperditam, adnuente Deo, felix recuperavit, &, gratiis ſupremo Numini pro ſingulari hoc beneficio præſtitis, ſacros, quibus ſe deſtinaverat, labores de novo adgreſſus, eosdem XX. annis, defatigatus ſæpiſſime & feſſus, indefeſſus tamen ſuſtinuit. Vidiſſes ſenem venerabilem, Deo devotum, natum ad perferenda valetudinis incommoda, calamitates corporis, a Deo immiſſas, æquo ferentem animo: cogitantem ſecum & coram aliis quoque enunciantem: *Corporis infirmitates nihil eſſe, quam quotidiana divina erga ſe bonitatis ſpecimina: quoties deorſum veluti prematur adflictum corpus, toties animum, Chriſto deditum, ſurſum contendere, & ad cœlum, beatarum mentium ſedem perpetuam, elevari. Fluxa atque caduca eſſe inter mortales omnia: Se vitam, præſenti vita, ſi qua vita, & meliorem & longiorem, ereptum ex anguſtiis, promtiſſima voluntate aditurum.* Quibus pio adfectu ad aſtra misſis ſuſpiriis, clementisſimus PATER mortalium aures benevolentiſſimas præbuit, & candidatum æternitatis, meditantem ad ſuperorum conſortionem, divinitus ad iter beatiſſimum paravit, ipſumque XIV. diebus ante, quam vita diſcederet, ſanctiſſimo Chriſtianorum myſterio, a Chriſto inſtituto & nobis demandato, roboravit & adverſus quæcunque ma-

mala præmunivit. Munitus ita, ac ſpei pleniſſimus, die X. Octobris anni hujus cIↄ Iↄcc IX, in faſtis expurgationi Judæorum conſecrata, hora meridiana duodecima in primam inclinante, inter preces adſtantium, in primis MULLERI, collegæ ſui cariſſimi, SE NULLA DE RE, NISI DE CHRISTO, CRUCI ADFIXO, COGITARE, clare elocutus, ſeptuagenario major pie placideque exſpiravit, corporis exuvias humandas nobis relinquens, quibus efferendis cum hodie, XVI. Octobris, adſumus, mortalitatis memores, NEQUE NOS SINE MORTALITATIS CONDITIONE ESSE NATOS, animis noſtris repræſentamus.

Hoc monumentum beatis manibus reverendi viri lubens, ſed lugens poſuit

HERMANNUS GERARDUS WELAND.

HAMBURGI,
Literis PHIL. LUDOV. STROMERI,
cIↄ Iↄcc IX.

BRE-

BREVE ELOGIUM
M. NICOLAI HARDKOPFII,
PASTORIS AD S. NICOLAI, ET REVER. MINISTERII SENIORIS.
GEORGII
que
HACCII,
SS. THEOL. L. ET PASTORIS AD S. MICH.

M. Nicolaus Hardkopfius, natus A. 1582. ad d. 13. Nov. Oſtenæ* in ditione Bremenſi Paſtorem geſſit apud Wordenſes in agro Hadelenſi unde Hamburgum vocatus, & Paſtor S. Nicolai electus A. 1615. 29. Jan., hinc Senior Rev. Miniſterii A. 1633. In matrimonium duxit A. 1609. 15. Aug. Barbaram M. Joh. Wankelii, Prof. Hiſt. in Academia Witebergenſi filiam, e qua ſuſcepit quatuor filias & filios tres quorum duobus, ſuperſtes fuit. Uxorem hanc amiſit A. 1623. 7. Jan. Alteram inde conjugem ſibi adſcivit Annam filiam viri honeſtisſimi Dieterici de Goren, quæ filios quatuor totidemque filias ipſi peperit. Ex his filius unus & una filia diem obierunt ante Parentis ſui fata, qui poſt moleſtum quatuor annorum morbum, ob quem A. 1646. munus reſignavit ex hac vita diſcesſit An. 1650 die 13. Junii. Morti vicinus per aliquod tempus tacitus ac cogitabundus jacuit, & roganti qui ad eum inviſerat Collegæ quid cogitaret reſpondit, moriturus non ſine fiducia & gaudio meditor divinum promiſſum in Abrahamo omnibus fidelibus factum *ero DEUS tuus & ſeminis tui.* Gen. XVII. 7. Egregiam quoad vires permiſerunt operam Eccleſiæ præſtitit tum vita tum doctrina & ſcriptis e quibus hæc ad manus meas pervenerunt:

1. Di-

* Stadenſem facit Clariſſ. Vir Jo. Mollerus parte 3. Iſagog. in Hiſt. Cherſoneſi Cimbricæ pag. 572. ſed Oſtenſem tradit etiam M. Petrus Weſthuſius in Epicedio

1. Diſputationes VIII. Ethicæ in Academia Witebergenſi propoſitæ. Hamb. 1620. 8.
2. Oratiuncula de illo vulgato, *Fructus honos operis, fructus honoris opus*, habita cum introduceretur M. Bernhardus Melethræus Con-Rector & Tho. Sellius Cantor Anno 1641. 12. Aug.
3. Chriſtliche Schul und Vermahnungs-Predigten/ darunter 1. auf die Obrigkeit/ 2. auf die Eltern/ 3. auf die Præceptores und Schüler gerichtet iſt. 8.
4. Methodus audiendi Conciones, das iſt: eine Unterweiſung wie GOTtes Wort recht fruchtbahrlich zu hören/ und wie Prediger/ Regenten/ Schulmeiſter/ſolch Werck mit fortzuſetzen ſchuldig ſeyn. 1638. 12.
5. Chriſtliche Buß- und Warnungs-Predigt am 1. Sonntag des Advents. 1619. 4.
6. Dic cur hic, oder daß ein Menſch gebohren ſey GOTT zu preiſen/ nach dem ewigen Leben zu trachten/ und in ſeinem Beruff GOtt treulich zu dienen. 1641. 4.
7. Aller Betrübten Auffenthalt/ oder 25. Predigten über den 25ſten Pſalm. Hamburg. 1626. 4.
8. Schlüſſel zu GOttes Speiſe-Kammer oder 36. Predigten über den 65ſten Pſalm. 1620. 8.
Predigten über den 95ſten Pſalm. 8.
9. X. Predigten über D. Lutheri Morgen- und Abend-Seegen 1626. 4.

Chriſtliche Jubel-Predigt. 1617. 4. & curante

Max.

Max. Rever. D.Mayero 1693. 4. Hæc eſt quam habes ſupra Vol. 2. p. 809.

10. Gedenck daran Hamburg/ oder Predigt auf das Evangel. 3. Trinit. von verlohrnen Schaf als zuvor am Feſt Viſitationis Mariæ ein Schiff vom Pulver aufgegangen/ und 37. Perſonen dabey geblieben. 1623. 4.

11. Predigt an Obrigkeit und Unterthanen daß jene zu mehrer Handhabung der Gerechtigkeit ſich ermahnen / dieſe nicht leichtlich ſich mit einander in Recht einlaſſen. 1638. 4.

12. Geiſtliche Kampff und Sieges-Schule darinn angefochtene getröſtet werden. 1640. 12.

13. Der nachdenckende Leich-Gänger. 1638. 12.

14. Weyhenachtliche Veſper-Predigt von der heilſamen Gnade GOttes. 1622. 4.

15. Klag- und Warnungs-Predigt über das Evangelium von verlohrnen Schaaf. 1622. 4.

16. Geiſtliche Brodt-Korb mit 12. heilſamen Brocken angefüllet/ oder 12. Troſt-reiche Predigten/ von des Seel. Auctoris Sohne Georg. Hardkopfen/ Prediger zu S. Nicolai/ herausgegeben. 1675. 12. In hoc Volumine (præter num. 10. 12. 13. 14. 15. quæ jam memoravi) continentur Denckel-Ringl ad Luc. 2. 21. A. 1640. der gute Vorſatz ad Sir. 51. 24. A. 1634. Von der Liebe GOttes ad Joh. 3. 16. A. 1634. In Chriſto allein unſer Heyl ad Act. 4. 12. Liebet Gerechtigkeit ad Sap. 1. 1. A. 1637. Nun ſeufftze wer ſeufftzen kan/ über

über den Jammer-Stand Deutſchlandes ad Ezech. 21. 6. A. 1639.

Idem Georgius Hardkopfius, Nicolai F. edidit:

XIV. Montags-Predigten über das Geſpräch JESU mit dem Samaritiſchen Weibe. Jen. 1676. 12.

Zwo Danck-Predigten zu GOTT für erlangte Geſundheit und zum Beſchluß des alten Jahrs. Roſtoch. 1674. 12.

Hujus Georgii filius, Nicolai nepos, fuit M. Franciſcus Hardkopfius, Diaconus ad S. Jacobi, cujus mentionem feci parte 2. Memor. Hamb. p. 890.

Elogium Breve GEORGII HACCII, Paſtoris ad S. Mich.

Conſtat equidem, Georgium Haccium apud auditores ſuos, cum illis inopino obitu eriperetur, deſiderium ſui reliquiſſe prorſus ſingulare, nam propter ſuavem facundiam & doctrinæ ſalutaris vim, qua auſcultantium animos non minus permovebat quam demulcebat aures, videbatur ſi non plane mori haud debuiſſe, certe in effœta demum ætate & extrema ſenectute debuiſſe ex hac vita excedere. Natus eſt Uthlebiæ in Thuringia Patre Wilhelmo Haccio (Paſtore Uthlebienſi per annos 51. fideliſſimo & A. 1673. defuncto) & matre Anna Leiſenia, 3. Calendar. Sept. Anni cIↄ Iↄc XXVI. & cum litteris ſe totum mancipaſſet, mature admodum vocatus in vineam Domini & laboribus admo-

tus Scholaſticis primum, dein Eccleſiaſticis fuit. Conrectorem vocari Scholæ Mindenſis * contigit Anno 1648. d. 24. Octobr. inde Paſtorem Eccleſiæ S. Mariæ ejusdem opidi A. 1661. d. 10. Maji. SS. Theologiæ Licentiatus creatus eſt Rinthelii A. 1666. defenſitata diſputatione inaugurali de CHRISTO Sacerdote. Ab Hamburgenſibus electus eſt Paſtor S. Mariæ Magdalenæ A. 1669. 15. Nov. introductus d. 20. Decembris: & Paſtor Primarius templi novi S. Michaëlis A. 1680. Dominica cui a reminiſcendo nomen inditum fertur. E litibus, quæ ipſi propter formulas quasdam non ſatis cautas & hyperbolicas, ** motæ ſunt, tam belle ſeſe extricavit, omnemque falſæ doctrinæ ſuſpicionem tam procul à ſe removit, ut in ejus declaratione libenter acquieverint etiam ii, qui verendum antea ſibi exiſtimaverant, ne res Eccleſiastica & doctrinæ puritas aliquid detrimenti ex eo caperet. Anno 1684. d. 15. Febr. potentisſimus Elector Brandenburgicus clementisſime contulit ei dignitatem injunxitq; munus Conſiliarii Conſiſtorialis, per Ducatum Mindenſem. Sed non diu licuit ei hac nova ſparta fungi, paucis enim hebdomadib9 poſt vehementi morbo correptus, defunctusque vita eſt die anni ejusdem duodecimo menſis Aprilis. Diploma Vocatio-

* Dav. Sculteti von der Schulen zur Kirchen berufene Hamburgiſche Prediger p. 52. Perſonalia Wilhelmi Haccii p. 37.

** Jo. Molleri Iſagog. ad Hiſtor. Cherſoneſi Cimbricæ parte ult. p. 597. ſeq.

tionis typis exſcriptum extat, itaque hoc loco à me ſubjungitur.

Studiis, negotiisque multis diſtinebatur, nequaquam parcens ſibi, aliorum cauſſa: poſt exactas diei horas, ſcribendi laborem in noctem extrahebat. Erat habitu corporis non infirmo quidem, neque tamen nimis robuſto. Morbus contagio ſerpens ipſum per inſidias invaſerat, cum curandis eo correptis vacaret, & metuens ſibi inhorruerat: quod ipſe faſſus eſt. Maculis virus ſuum prodit, febrisque ideo purpurata appellatur: licet & eo ſenſu purpurea dici queat, quo mortem Homerus dixit, cui valde cognata eſt. D.XV. hujus Octob. in lectulum ſe conjecit moriturus FOGELIUS, ſumptis elexipharmacis, quæ nec poſtea intermiſſa ſunt, ut nec alia medicamenta, ab accerſitis quoque medicis amicis commendata. Inter initia morbi ſtatim ejus vim nimis timere, & de vita potius deponenda, quam conſervanda cogitare. Illo invaleſcente, d. XXI. veſperi, percelli animo ſenſibusque, extra ſe poſitus, quaſi caro gravatus. Excitatus ad ſe rediit, circa medium noctis, & recuperato ſermonis uſu, integra mente, voce clara, & contenta, peroravit ad adſtantes cognatos, amicosque, ut admirationi fuerit: de ſe, rebusque domeſticis, de profeſſione Logicæ, de JUNGIO, de libris ejusdem, ſuisque, de aliis. Converſus ad Deum, manibus complicatis, vultu in cœlum ſublato, egit gratias, quod rationis linguæque uſu reddito, ſibi eloqui, quæ vellet, daretur: aliaque pietatis Chri-

ſti-

ſtianæ, optimoque viro digna argumenta edidit. Fortiſſimo æquiſſimoque animo mortem ſpectabat: nihil in eo hæſitantiæ, nihil trepidationis. Mane, & de die magis magisque defecit, quieſcenti ſimilis, & qui ſecum aliquando loqueretur: veſperi circa ſextam placidiſſime exſpiravit, d. XXI. Octobr. Ita fuit MARTINUS FOGELIUS: vir optimus, induſtrius, boni publici amantiſſimus, philoſophico plane ingenio, eoque vaſto, & acerrimo, judicio exquiſitiſſimo, & una ſumma fide, & humanitate, quod rarum eſt: quique, cum linguis, & doctis propriis, & elegantioribus Europæ ceteris, omnes prope ſcientias, ultra communem modum, conjunxerat. Phœnicem dixeris Hamburgenſium, non facile rediturum.

Jacent opera interrupta, minæque
Librorum ingentes:

ut rurſus ad Virgilii verſus alludamus. Præter Doxoſcopias Phyſicas minores, aliaque minuta edita, parabat edere JUNGII alia, & ſua: cœpta multa ipſi ſunt, & inchoata, maxime in Logicis, in Phyſicis naturalique hiſtoria, quam impenſe excoluit: in Hiſtoria, Geographia, Philologia quoque. Subnecterem indicem, ſi anguſtia temporis permitteret, ideoque alii operæ relinquetur. Vita pariter illius tota meretur pluribus deſcribi. Neque nunc finirem, niſi me charta & tempus deficeret. Ut, quod ſupereſt,

eſt, exequias eamus FOGELIO, non multis invitandi ſumus: virtus ejus, merita, memoriaque invitat, pietas cogit.

P. P. XXVIII. Octobr. Julian.

MICH. KIRSTENIUS,
Phil. & M.D. Gymnaſ. Prof. Pr.
nunc RECTOR.

CORONA GYMNASTICA,

Viri quondam

Nobiliſſimi, Excellentiſſimi, Experientiſſimi

MICHAELIS KIRSTENII,

Phil. & Med. Doctoris celeberrimi, Polyhiatri fideliſſimi, Polyhiſtoris, Poëtæ, Litteratoris ſummi, in Gymnaſio Hamburgenſi Profeſſoris ex Mathematico Poëſeos atque Phyſices primi

Tumulo honorando

nomine

PROFESSORII COLLEGII

ab ejusdem nunc

R E C T O R E

VINCENTIO PLACCIO

J. U. L. & P. P.

Languida ut potuit a decumbente manu contexta & oblata

Exequiali die

VIII. Mart. Anno Æ. C. cIↃ IↃc LXXVIII.

Typis GEORGII REBENLINI,
Senatus, Gymnaſii, Scholæque Hamburgenſis Typographi.

Digitized by Google

I. N. J. C.

Collapſa eſt Corona capitis mei: ſimulque CLARISSIMI DOMINI COLLEGÆ, Corona Gymnaſii noſtratis: quid? dicam libere, Corona Civitatis noſtræ, imo univerſi Orbis literarii Corona non ex vulgaribus una collapſa eſt: collabente, proh dolor! MICHAELE KIRSTENIO, noſtri Ordinis Viro ætate, loco, meritis PRIMO. Eheu! quam

Multis a) ille bonis flebilis occidit!

ſi modo ſit occidiſſe dicendus ille, qui e vita hacce tam placide, tam præmeditate, tam præparate, avocantem, qui eum in hacce collocaverat ſtatione *ſummum Imperatorem b)*, neutiquam ut *malus miles gemens* ſecutus, exceſſit. Sed nos quidem ſcimus haudquaquam occidere Chriſtianos quibus *occidit brevis lux*, adeoque *rem tenentes de verbis faciles ſumus*, ut ſolebat hoc ipſe de quo verba facimus, & ſcriptis & voce frequentare proverbium. Nimirum hoc de meo p. m. KIRSTENIO dico: Sive occidit ipſe tanquam Sol orbi litterario, ſive ſol occidit illi, qui bonis æque ac malis lucet, ſive exiit e vita, vel vita ex ipſo, caſus exitusque

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam mihi.

Qui præter illa quæ partim cum multis, partim cum

a) Horat, 1. Od. 24.
b) Epictet, apud Arrian. Sen, brev. vitæ c. 15. Arrian. l. 2. diſſ. 26:

paucis in eo habui communia bene multa: quod videlicet exemplo virtutis ac eruditionis rariſſimæ vivo, amantiſſimoque ex fideliſſimo Præceptore Collega, tum corporis mei non minus ac animi ſubinde Medico dexterrimo meo, miſere nunc privor: etiam hanc præterea nunc lugendi cauſſam habeo peculiarem, quod nec ægrum adire, videre, alloqui, nec moribundo aſſidere, valedicentis extremas voces audire, ſpiritum languentem, quibus datum foret modis ſubinde refocillare, aut ultima certe ſuſpiria ſociare, meus etiamnum lecto me affigens dolorificus alioqui ſatis morbus, etiamſi non *ad illum hoc etiam* permiſit. Qui utinam hucusque tam ſontice impediviſſe me contentus, non inſuper & illud extremum ac triſte quod molior officium lugubre nunc intervertat plane! quando impeditum illud iri plus nimis equidem fractæ, vixque calamo ſatis regendo ſufficientes adeo vires non dubie minantur. Utinam vero de tuo nunc etiam, deſideratiſſime KIRSTENI, tumulo liceret ſcribere Plinianum illud. *c*) *Hic ſupremus ejus felicitatis cumulus acceſſit: laudator eloquentiſſimus!* Nihil equidem nunc mallem! Sed ut ego vel extra meos quibus nunc urgeor animi corporisque dolores poſitus, tale quid Tibi, cui tamen omne quidquid in me foret ingenii, ac facultatis ad dicendum, impendere cuperem deberemque, promittere, non auſim, (aliud longe comperiens eſſe præcepta eloquentiæ incul-

ca-

c) L. II Ep. 1.

care, aliud eum, quem animo concipere ſe tantum, non exprimere potuiſſe Oratorem eloquentiſſimum ipſe Tullius *d*) confeſſus eſt, actu exhibere.) Ita quoties tuam cogito modeſtiam, & ad talia *οὐκ ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν e*) Philoſophicam imo Chriſtianam *ἀδιαφορίαν f*), non poteſt quin ſubeat illud Maronianum

Hoc cinerem & manes credis curare ſepultos?

Nimirum ut ego pauxillum hocce virium, quod necdum plane diſcedens morbus, cumque morbo dolor, ſatis aliquando exquiſitus decumbenti jam hebdomadem alteram reliquum fecit, in miſerabilem ex ſe quoque, ſi non ſatis ex argumento ſuo funebrem laudationem impendam, illius, qui antequam ego vivere, certe ita ut nomen cluit, inciperem, omnes a me dicendas laudes jam dudum meritis ſupergreſſus erat ſuis. Et vero Te quidem Optime KIRSTENI hocce magnarum dicendi canendique virtute mentium commune fatum facile manebit. Ut nimirum nullis æque ac ſuis ipſorum carminibus atque orationibus immortalitatem aliis impertitam ipſi una conſequantur. At me tamen etiam vel abſque expreſſo mandato Tuo foret, tamen officio meo non deeſſe, vel novum hujus anni officium, ut innumera quæ Tibi debeo taceam, nunc ſinet: nec ſinet pietas, *dum ſpiritus hos regat artus*, ut aliquam

quam

d) De Oratore.
e) *Non in noſtra manu.*
f) *Indifferentiam.*

quam tenuis licet apud me reſidui ſpiritus partem Tuæ memoriæ nolim indulgere. Neque tamen eſt quod inanem aliquis a me nœniam, *carmenque minoribus umbris Utile*, *g*) nunc præſtoletur, qui duodecennio jam & quod excurrit Muſarum contubernio publice valedixi. Multo minus laudes KIRSTENIANAS Oratione nunc deteram mea, quæ vel ipſi, ut erat in hoc genere delicatiſſimus, non minus ac Lyſiana Oratio Socrati, calceo inepto aſſimilanda foret. Levius nunc defungi me corporis atque temporis ratio ultra quam vellem habenda imperat. Proinde quod vel imbellis ætas, vel mollior ſexus olim adeo, quando præter lacrumas aliud non poterat, Heroum funeribus afferebat, coronam puta, & frondes, atque flores leviter contextos, in ornamentum qualecunque ſepulchri, ac bonæ voluntatis leve ſignum: id ego nunc KIRSTENIANO funeri, magnæ voluntatis indicio, parvum afferam ornamentum. Majora daturus ex intervallo, ubi potero. Sed ut nihil ſatis tutum reliquit humana imbecillitas dicam an malitia? ita fortasſis hic etiam quærendum eſt prius, an liceat Chriſtiano Chriſtianum mortuum coronare? Sane quam aliqui Patrum Eccleſiæ primitivæ frondes coronasque funereas improbaverint, Juſtini Martyris *h*) Minutii Felicis *i*) & Tertulliani loca *k*) teſtantur. Sed dandum hoc qui-

g) Stat lib. 6.
h) lib. 2. Apolog.
i) In Octavio.
k) De Corona Militis.

quidem pio illorum id temporis forte nec imprudenti nec ſuperfluo zelo, quo gentiles ritus & corollas frondesque Diis eorum qua inferis qua ſuperis conſecratas abjicere, quam cum idololatriæ vel ſimilitudine vel ſuſpicione retinere maluerunt. Mox ethniciſmo magis deleto, ceſſante cauſſa etiam ceſſavit hic effectus, & alia tempora mores alios, etiam ipſis Patribus induxere. Unde jam Clemens Alexandrinus citra exprobationem inquit! Ἀοχλήτου δ' ἀμεριμνίας ὁ στέφανος σύμβολον, ταῦτα καὶ τοὺς νεκροὺς καταστεφανοῦσιν. *l*) Nec amplius carpuntur alias rigidiſſimo D. Hieronymo, Chriſtiani, *qui ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia, purpureosque flores, & dolorem pectoris his officiis conſolantur.* Prudentius vero etiam in exequiis defunctorum ita canit:

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis & fronde frequenti,
Titulumque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Quin ergo nunc, o boni! *Manibus m) date lilia plenis,*
Purpureos ſpargam flores, animamque beati
His ſaltem accumulem donis.

Nimirum *dant hæc emblemata Muſæ,*
Ut florens virtus, ut videatur honos,

ceu

l) *Turba & negata remota ſecuritatis ſignum eſt Corona. Quare ea & mortuos coronant. lib.* 2 *Strom.* 8.
m) Æneid, 6.

ceu Tute quondam alienis manibus hoc accinebas. Imo vel magno illo Hipponenſi Epiſcopo *n)* teſtante etiam. *Floribus Eccleſiæ cæleſtis nec roſæ, nec lilia deſunt. Certent nunc cariſſimi, ſinguli ad ſuos honores ampliſſimas conſequi dignitatum coronas: ſive de virginitate candidas, ſive de paſſione purpureas, ſive de doctrina laureas.* Harum primas nos iis relinquemus, quibus datum eſt capere verbum hoc. Ad cœteras jam non eſt quod aliunde flores, frondes, imo gemmas, aurique metalla, quam a Temet ipſo petam, cujus vita qua mihi quidem parte innotuit, quæ minima prohdolor! fuit, nihil non horum omnium operibus, fructibus, virtutibus ac pietate γνησίως Chriſtiana largiſſime ſubminiſtrat. Quid quod Tute texturam addes quoque, ne languens mea nunc nimis manus vel illi non ſufficiat. Tua videlicet ipſius conſignatione vitæ tuæ, quæ quia tam modeſte facta eſt, ut inde nec verbulum quidem ad tuam laudem liceat excerpere, pro ſola textura tenorem ſuum mihi commodabit, aliunde cognitis vel ex parte meritis tuis ſplendorem ac ornamenta ſuperadditurις. Ut adeo KIRSTENIANUM nihilominus fere totum hoc ſit futurum, quod KIRSTENIO nunc datur, imo Corona tibi ſit KIRSTENIUS, aut ſi malis, KIRSTENII Corona vita ſit KIRSTENIANA. Eam hauſit A. C. 1620. d. 25. Januarii Gregoriani h. 2. pom. Bernæ ſive Beronæ, quod oppidum eſt Moraviæ ad Baro-

n) Auguſtin. ſerm. 37. de ſanct.

Baronatum Sternbergenſem pertinens, quem Principes in Sileſia Olſnenſes ſive Munſterbergenſes tenebant. Hauſit autem a Parentibus non una laudum corona dignis. Patre quidem Cognomine Eccleſiaſte, primo Beronæ in Moravia, mox Smolnæ in Sileſiæ vico ampliore Ducatus Olſnenſis, ubi Miniſterii Senior factus ſuperiori anno ſatis conceſſit: matre vero decennio jam ab hinc defuncta, MARIA MONTANA filia ANDREÆ MONTANI Paſtoris in oppido Sileſiæ Bentſch. Horum cura mox baptiſmo, quem liceat primam juſtitiæ coronam dicere fuit coronatus: ac ſtatim ut ætas permiſit, parandis ſibi virtutum & doctrinæ coronis præparatus, inſtitutione tum privata Pædagogorum, tum pubica *Smolnæ* ac vicinorum oppidorum *Olſnæ Bernſtadiæque* Scholarum, donec in *Eliſabethano Vratiſlaviæ Gymnaſio* validioribus exercitiis poſſet adhiberi, unde A. 1637. ad capiendum uberiorem ingenii cultum *Roſtochium* ſeſe contulit, jam tum Poëtica hedera dignus, imo lauro, ut ex carminibus eo tempore ſcriptis apparet. Ibi Philoſophicam & Medicam Coronam triennì totius ſumma diligentia promeruit, non tamen niſi longo poſt tempore demum alibi ſumptam. Videlicet virtutem potius, quam virtutis prœmia quærebat animus horum præ illius aviditate contemptor. Itaque 1640. vere vix ineunte Roſtochio *Stedinum* Pomeraniæ conceſſit, ubi Clariſsimi Mathematici *Laurentii* EICHSTADII, Medic.

Doct.

Doct. & Phyſici ejus loci domo exceptus, Ephemerides illius, aliosque calculos ſtrenue promovit: donec ad ſcopo ſuo propiora Chemica Studia excolenda properans, *Georgio* DETHARDINGO ibidem Pharmacopœo non ex vulgaribus ſe adjunxit, cujus ſcripta contra aurum potabile Germanica multum adjuvit. Exiguæ quoque molis at magnorum inter Chemicos motuum cauſſam libellum *Non entia Chemica* inſcriptum anonymum emiſit jam id temporis. Quo licet necdum XXII. annorum Juvenis, jam ad Profeſſoriam Coronam invitatus eſt *Francofurtum ad Oderam* litteris *Gregorii* FRANCI SS. Theol. Doct. & Profeſſoris ibidem publici Kal. Nov. anni 1642. ſcriptis, ut Mathematica doceret. Noſter autem plura diſcendi prius, ac peregrinandi avidior, declinavit hunc honorem, annoque ſequente proximo *Germaniam inferiorem, Daniam*, & *Norvagiam* peragravit, circa hyemem exceptus ædibus celeberrimi *Simonis* PAULLI, tunc Med. Doct. & P. P. quo auctore *Inſtitutiones Anatomicas* in eo ſtudio tunc facile regnantis *Bartholini*, nec non explanationes Tabularum Anatomicarum *Jul. Caſſerii Placentini* cum additis *Danielis Bucretii* Germanice vertit, ingenio magno vocabulis technicis excogitatis bene multis. Neque tamen, quæ fuit hominis modeſtia, paſſus eſt unquam nomen ſuum hiſce cum ederentur præfigi. Quin adeo nec mihi Anonymos detectos edenti permiſit ante obitum ſuum hæc ſua ſibi aſſerere. Anno 1646.

Hafnia relicta, cum Ampl. Conſulis Hafnienſis *Nicolai* LUNDII domeſticus, & filii Ephorus aliquandiu fuiſſet, inclytam Academiam Juliam, cum Excellent. *Jacobi* FABRICII Reg. Dan. Maj. Archiatri filio, adiit, ubi exacto biennio, quantopere ſe Profeſſoribus bonisque cunctis probaviſſet, ſecuta mox fama, & huc illuc ipſum vocantes ad coronam non unius generis voces, probavere. Mox enim adulta jam æſtate. A. 1648. *Hamburgum* una cum *Fabricio* ſuo reverſus, anno ſequente, illo dimiſſo, ad Phyſicum id temporis noſtrum, virum Celeberrimum D. *Paulum Marquardum* SLEGELIUM divertit, ejusque obſervationes de motu ſanguinis, earumque publicationem adjuvit: omnibus interim doctis & doctos amantibus in hac Urbe innoteſcens ac inter eos etiam meo p. m. *Parenti*, cum quo arctiſſimie cultam amicitiam literæ utriusque ſuperſtites mutuæ teſtantur. Interim ad Profeſſionem Medicam *Rintelenſis* Academiæ, ac ad Mathematum denuo *Marpurgum* invitatus, ut & ad Regimen Scholæ Cathedralis *Sleſvvicenſis*, omnia recuſavit, iter Italicum meditans, quod anno ſequenti 1651. cum filio Doct. *Helvici* DITERICI ſuſcepit, ac *Venetiis Patavium* delatus, ex quartana exaſperata ægre convaluit. Hæc Academia cum aliorum ipſi plurium amicitias non contemnendas dedit, tum etiam *honoratiſſimi Avunculi mei* Proto-Phyſici hujus Urbis *Joannis* GARMERI Ph. & Med. Doct. amorem, ab eo inde tempore usque ad vitæ halitum

litum extremum officiis mutuis conſtantiſſime cultum. Subſtitit Patavii Anno 1652. integro, niſi quod circa autumnum partem Galliæ tranſalpinæ ſeu *Lombardiæ* bonam perluſtravit. An. 1653. d. 8. Maij tandem promeritam olim *lauream Philoſophico Medicam* ſibi conferri paſſus eſt, magno cum totius Academiæ applauſu: mox eodem anno comitem quoque ſuum coronatum ſimiliter vidit, ſed non diu, quippe ſub finem ejusdem adhuc anni extinctum. Itaque mox Anno 1654. exeunte Februario menſe Italiam reliquam perluſtravit, *Romam* usque; ubique id quod ad ſe pertinebat & ſuam artem, id eſt, Medicam & Philoſophiam, quærens in bibliothecis publicis, & Muſeis atque colloquiis eruditorum, non uti ſolent plerique, nugacia vel obvia vel vitioſa etiam ſectantes. Unde famam ubique ac deſiderium ſui apud doctos reliquerat, de quo & ego decennio poſt illuc delatus queo teſtari. *Roma Neapolim* tendens ab equo præcipitatus, graviterque humero & brachio dextro afflictus, per menſem & amplius coactus ſubſtitit, maximam partem in ædibus notiſſimi ſcriptis ſuis egregiis M. *Aurelii* SEVERINI Phil. & Med. Doctoris. Inde *Romæ* iterum aliquandiu moratus apud eruditos varios, ut & *Florentiæ*, *Bononiæ*, *Venetiis*, *Patavii*, *Oeniponte Viennam*, & hinc *Vratislaviam*, ac demum autumno vergente ad cariſſimos parentes amplectendos conceſſit. Dein Vratislaviæ ſe tantisper tenuit, donec Anno ſequente 1655. *Hamburgum* rever-

ſus, collatam hic m. Novembri *Mathematum Profeſſionem* uti bis aliis fecerat, tertio noluit repudiare, quamvis ad *Juliæ Academiæ* quæ *Helmſtadii* floret, eandem Profeſſionem, & aliam quoque *Tubingenſem* ante menſes jam aliquot eſſet invitatus, ad Profeſſionem vero Medicam ſecundam in Nobiliſſima *Roſtochienſi* Academia, etiam litteris Sereniſſimi Ducis, anno adhuc ſuperiori cum adhuc in Italia degeret vocatus, quas litteras Hamburgi demum acceperat, quando primo interim Medicinæ Profeſſore mortuo Doct. *Steph. Schulteto* primum locum illico potuiſſet occupare.. Neve ſolam fortunam ſic coronare noſtrum voluiſſe putes: en meritis etiam ejus ſimilem coronam datam, ab Ill. Comite Schauenburgenſi, litteris ſuis ad primariam Profeſſionem Medicam *Rintelenſem* eod. anno 15. menſ. Septembris vocante. Profecto neſcio an non habeat *Gymnaſium noſtrum* de quo ſibi gratuletur, quod unum tot ac tam honorificis locis a noſtro ſit prælatum: qui omnibus illis quam hocce maluit carere. Neve conſilii unquam eum fui pœnituiſſe credas, etiam Anni 1656. ad *Aulam* Sereniſſimi Ducis Guſtavi Adolphi *Meklenburgicam*, juſſu ejus ſcribente litteras Eccleſiaſte Aulico maxime Reverendo & ſcriptis ſuis orbi litterario notiſſimo *Joſuo* ARNDTIO invitatus, hic manere prætulit. Anno vero 1660. loco Mathematicæ Profeſſionis *Phyſicam & Poëticam* uti maluerat, conſecutus, etiam anno ſeq. ad *Rectoris* locum *in Gymnaſio S. M. Magdalenæ Vratiſlavienſi*

ienſi ab affine ſuo *M. Georgio* SEIDELIO Ec-
:leſiaſte ibidem plurimum reverendo fruſtra ſe
ollicitari, paſſus eſt, menſe Februario Neque
amen adhuc tum erat irretitus uxoriis vinculis,
juibus poſtea ipſum conſtrinxit lectiſſima virgo
ADELGUNDA ANNA PUTSCHIA,
ilia ELIÆ PUTSCHII, M. SEVERINI
SLUTERI, olim Paſtoris hic ad D. Jacobi
Vigilantiſſimi ex filia nepte, cum qua ineunte
llius anni Decembri nuptias celebravit, vixit-
que ſequentem annum integrum ſolum. An.
1663. enim nocte inter 23. & 24. Febr. interce-
dente media, epilepſia cum pariendi conatibus
correpta, poſtero mane h. 10. puellum & mox
puellam quoque inſcia rerum omnium enixa,
nocte ſequente vitam cum morte commutavit,
quam gemelli poſtridie ſunt imitati. Hæc fuſi-
is paulo recenſens noſter in ſuæ vitæ commen-
ariolo ſubjicit: *Durum ſed levius fit patientia*! &
ejus coronam ſe ambiiſſe Chriſtiano plane lau-
dabilique ſtudio teſtatus. Neque tamen vel
hac orbitate vel viduitate luctuoſum ſibi factum
nunc locum deſerere ſuſtinuit, etiam invitante
Anno 1664. ad novam a ſe conditam *Kilonien-
ſem* Academiam Sereniſſimo Holſatiæ Duce.
Quin potius in ſolatium ſui luctus, ad ſecunda
vota tranſiit A. 1665. d. 11. Sept. cum lectiſſima
Virgine, relicta nunc mœſtiſſima Vidua ANNA
MARIA DASSOVIA, Venerandi maxi-
me Eccleſiaſtæ M. JOHANNIS DASSOVII
filia: ex qua filium & filias duas ſuperſtites reli-

quit, filiolis binis etiam ex eadem ſuſceptis mature a Deo repetitis. Fuit utrumque conjugium ſine querela: nec erat ipſe moroſus, ſed facile omnes perferens ac patiens, & urbanitate mira multum acerbitatis eludens. Valetudinem quoque diæta prudenti atque temperanti conſervabat æquabilem, non niſi uno, quod ſciam, Hamburgi morbo verno An. 1676. paucorum dierum in lecto detentus. Unde illa æſtate Pyrmontanas acidulas hauſit, comitibus exoptatiſſimis Venerabili SS. Theol. Lic. ESDRA EDZARDO fama ſuper æthera noto, & Conſultiſſimo D. DAVID van der FECHTE currentem impellentibus. Eas aquas ſibi profuiſſe aliquoties teſtatus eſt. Mihi tamen utut primo vegetior rediiſſet, mox tamen ab inſequente ſtatim hyeme, viribus & habitu corporis minui viſus eſt indies, donec Februario nupero jam diebus aucto, cœpit ægrotare, incertum qua die. Viceſima tamen, qua demum ægris aliis præſens adeſſe, at conſiliis ne tum quidem deſiit, ad eum vocatus pro amicitia veteri, Domin. *Avunculus meus* JO. GARMERUS. Phil. & Med. D. ac Protophyſicus hujus urbis, cui *quod ad abitum ſe pararet* paucis ante hebdomadis *prædixerat*, intellexit jam aliquoties alternis diebus horrorem cum ſubſequente calore perceptum fuiſſe, adeoque febrem ex tertianarum genere adeſſe: cum vero etiam major quam pro morbo eſſet virium imbecillitas, malignitatem ſubeſſe nec ipſi diſſimulavit ægro, nec mihi, qui ex

ea

ea die deſperare de vita illius, qui jam tot abhinc menſibus ſenſim mori mihi viſus erat incœpi. Interim adhibitis medicamentis quæ maxime convenire videbantur, neque cedente tamen morbo, res accidit auditu mira, nocte 24. & 25. Februarii diem intercedente: ut ægro nempe vigilanti ſpecies aliqua ſe ſiſteret, finem imminere nuntians, hiſce verbis. Es iſt zum Ende kommen. Quod ipſe neſcius quale interpretari oſtentum deberet, de fine morbi ſe interpretari conſtanter reſpondit, hiſce verbis. Mit meiner Kranckheit / GOTT wird mir Geſundheit geben. Species vero illa ſuum ingeminans dictum, mox diſparuit, noſtro quidem etiam ſua repetente verba, ſed, uti docuit exitus, ſine ſucceſſu. Ejusdem enim hebdomadæ ultima die, cum ſacra ſynaxi uſus mane fuiſſet, inter alloquia ſacra vocati ad ſe circa meridiem Venerabilis EDZARDI ſui, liugua tandem, non mente tamen titubante, circa tertiam pomeridianam, placide expirans, Chriſtiana morte vitam coronavit ſuam. Quot quæſo non coronis dignum! Theagenes Thaſius cum curſu lucta & pugillatu viciſſet in Olympiis, mille & ducentis coronis donatus eſt: quas tamen alii valde imminuto calculo ad CXL. reducunt, fortasſis de vicibus potius, quarum ſingulis coronas plures conſecutus eſt intelligendi. Quid autem omnis quæſo curſus, lucta, ac pugillatus ad illud exercitii genus, *o*) quo juvenilibus vitiis ac

Ff 4 igno-

o) Alex. ab Alex. lib. 5. c. 8. Pauſan. apud Volater. lib. 20. anthrop.

ignorantiis occurrere, obſiſtere, pugnam & arma intentare, non profecto ſine niſu nervorum animi corporisque, boni Gymnaſiarchæ utilius longe in noſtris nunc quam olim in antiquorum Gymnaſiis occupantur. Ne jam unumquemque plurimas coronas, vel ſuam ipſius malitiam & inſcitiam multimodam debellando, promereri, nunc latius deducam. Niſi forte, caſtrenſem, muralem, navalem coronam ei, caſtra, muros, navigia hoſtium armis primus occupat, civicam etiam ob vitam civi ſervatam, ovalem aut triumphalem ob clades armis datas, deberi cenſemus: ob expugnata vero vitiorum in animis noſtris & aliorum formata tot annorum habitu munimenta, ſervatasque ipſorum lethifera manu expulſa ipſas animarum vitas, levius aliquid conferendum vel hoc aliquid nihil eſſe debere judicamus. Ne nunc de ſervatis a noſtro arte ſua medica tot ægris verbum addam. Nam quod ad debitas ingenio, prudentiæ, doctrinæ, ſuavitati morum atque tot virtutibus aliis oleaginas, laureas, myrteas, floridasque Coronas omnis generis attinet, eas omni ſua vita noſter quotidianas ſane promeruit. Ita non licuit ab ipſo niſi delectato doctiorique diſcedere cuiquam. Teſtabuntur hoc elogia tot Eruditorum, partim edita jam, partim edenda, quibus etiam Epiſtolæ τοῦ μακαρίτου quas a præcipuis Europæ doctis plurimas accepit, erunt refertiſſimæ; ut ex paucis mihi, non niſi quando ad me pars earum aliqua pertinebat oſten-

oſtenſis, liquidam facio conjecturam. His adpluet impoſterum etiam largior longe talium florum ſparſio, frondiumque ſeges, poſtquam mors invidiæ odioque nunc exemptam virtutem in culmen tranquillioris applauſus evexit. Inde quot non coronæ pactiles, plectiles, ſutiles abhinc per omne quo litterarum ac litterati orbis aliquid ſuperſtes erit ævum KIRSTENIANO tumulo dabuntur! Interim hæc quoque tenuia licet,

Tu tamen p) extincto feralia munera, PLACCI,
Deque tuis lacrumis humida ſerta dato.

Serta dabo Mi KIRSTENI, quin imo jam dedi a temet ipſo conſerta, quæ quia omnis generis, melioribus animi nunquam otiantis exercitiis promeruiſti, quid vetet *Gymnaſtica* vocari, vocabulo non amplius corpus, ſed animum, ut & ipſa noſtra *Gymnaſia* faciunt reſpiciente. Sane *Gymnaſio noſtro* Tu tantum non XXV. annorum ſpatio cum laude coronarum omnium humanarum cumulos exuperante præfuiſti ſic, ut multis in eo ſe tuo ductu exercentibus coronæ non unius eſſes cauſſa, pluribus etiam annis *Rectoris loco* vacante, munus obiiſti ſine nomine ac emolumento, quibus ipſe Te ſubtrahebas. Tandem facto ad tempus ab Ampliſſimis Dn. SCHOLARCHIS *annuo Rectoris officio*, *primus* ut eras in ordine, functus es, & functus probe, nec hoc nomine ſimplicem promeritus coronam. Sed quod a Chriſtiano de Chriſtiano taceri non debet:

 bet:

p) 2. Triſt. El. 3.

bet: Pietatis etiam ſemper anhelaſti, nec fruſtra, illas quas vel in hac vita dilectæ Chriſto animæ,

Accipiunt q) ſertas nardo florente coronas,

cujus odore ipſi cœleſti ſponſo ex amabilibus amabiliores reddi poſſint: vel quas in ſecutura beatiore illa olim palmeas r) & palmares, imo aureas & ſidereas, immortales, ſemperque vivas s) adipiſcentur. Haſce Te Chriſtiana vita tua ſollicite ſemper ambiiſſe, precibusque ſeriis expetiviſſe, certus ego ſum, quem pia tua colloquia, precesque in templo, ubi mihi adſtabas, ſæpius fuſæ, nunc quoque recordatione ſua lugentem licet oblectant. Quidni ego & Te credam ego fuiſſe dudum, atque nunc eſſe vel maxime, *coronam pulcherrimam in manu Domini*. Viciſſimque *Coronam* eſſe tibi qui eſt omnia: imo *coronam vitæ* atque *juſtitiæ*, qui per juſtitiam ſuam vita eſt omnibus, *cumque vita coronam ſe diligentibus amarantinam* i. e. *immarceſſibilem* u) promiſit. Euge quam, ego nunc Te, Chariſſime KIRSTENI, ſic coronatum, magis etiam, ſi fieri queat, quam vivum

Suſpicio venerorq; lubens!

Sed pœne præ gaudio, me in luctu eſſe ac fune-

bria

q) Lucan.

r) Apoc. 3. v. 11. add. C. 1. v. 12.

s) Pſ. 92. v. 13. Apoc. 4. v. 4. & 7. v. 9. & 12. v. 1.

t) Eſ. 62. v. 13 Eſ. 28. v. 5.

u) Jac. 1. v. 12. Apoc. 11. v. 10.

bria facere oblitus eram. Itaque hoc quidem nos brevi Deo volente ſyncerius una gaudebimus gaudium. Nunc ad exequias d. 8. Martii habendas, quas ipſe comitari, quantum video, prohibebor, alios voco. Nec dubito quin heic quoque corona promerita non populi modo, ſed Procerum etiam civitatis, & maxime litteratorum, vel me non rogante, ſit pie defuncti reliquias & Cognatos ſuperſtites honoratura: tot viventibus in hac urbe, qui ſuam ſuorumque, qua corporis, qua mentis medicinam pie defuncto noſtro debent. Vos vero *Gymnaſii Cives, chariſſimi mei*, qui *gaudium* eſtis *& corona mea*, *x*) ſicut & pie defuncti noſtri fuiſſe vos teſtor, *Quæ enim noſtra* (pro vobis valetudinem & vitam ipſam tam lubenti animo impendentium) quæ inquam noſtra *ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Annon etiam Vos, in conſpectu DOMINI noſtri JESU CHRISTI, in adventu ejus. Certe vos eſtis corona noſtra & gaudium.* Quo magis doleo etiam in partem luctus vos a me vocandos: quem ſane quanto melior veſtrum eſt quisque, tanto ſentiet magis: neminem vero non ſenſurum ſpero. Proinde vos etiam *corona veſtra funus* hoc *ornate*. Magis vero etiam ut *ſimilem*, (ſi fas ſperare tantum eſt,) *Gymnaſio noſtro Coronam* ademptæ loco mox iterum conferri detur, Orate DEUM & *exorate*. Denique mihi quoque coronam aliquando meam, & vobis veſtram illam unicam ve-

x) 1. Theſſ. 2. v. 19.

veram ita liceat precari. *DOMINE! Ecquando dicam, DOMINE! Certamen y) illud praeclarum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod ſupereſt ſepoſita eſt mihi*

CORONA JUSTITIÆ.

y) 2.Tim.4. v.7. 8.

ME-

MEMORIÆ
AC
HONORI SUPREMO
V. C.
JOHANNIS VAGETII,
LOGICÆ QUONDAM ET
METAPHYSICÆ
PROFESSORIS PUBLICI
DE
HAMBURGENSIUM GYMNASIO PER TRIA, ET QUOD EXCURRIT, LUSTRA MERITI
OPTIME

SUAM DICABAT OPERAM
EX AUDITORE SUCCESSOR

GERHARDUS MEJER,
S. THEOL. LIC.

HAMBURGI,
TYPIS CONRADI NEUMANNI,
SEN. GYMN. & SCHOL. TYPOGR.

AUGUSTINO VAGETIO,

V. C.

SUO ANTE SEXENNIUM
AUDITORI ACADEMICO,
DEIN
AMPLISSIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ, QUÆ ALMAM
ILLUSTRAT LEUCOREAM,
ADJUNCTO DIGNISSIMO,
ET
IN ELECTORALI GOTTINGENSIUM GYMNASIO DESIGNATO
MATHEMATUM PROFESSORI PUBLICO,
AB ILLUSTRIBUS VIRIS
TSCHIRNHAUSIO PARITER
AC LEIBNITIO, MATHEMATICIS HUJUS ÆVI PRINCIPIBUS
IN CLIENTELAM RECEPTO,
ATQUE
OB MATHESIN SOLERTISSIME EXCULTAM
DEAMATO,
VITAM MORTEMQUE
DESIDERATISSIMI PARENTIS
IN MEMORIAM REVOCAT
G. MEJER.

Google

POſteritatis intereſt, Viros laude dignos, quos fama vetat intermori, epitaphiis concelebrare, magnanimis heroibus aram erigere fortitudinis, eruditionis vero laude præſtantibus monumenta conſecrare iſtiusmodi, quæ ad multorum ſeculorum memoriam valeant, & gloriam meritis quæſitam ab omni interitu temporumque injuria tueantur. Quotquot verum diffiteri nolunt, profitebuntur ultro, ſingulorum, etiam ab ambitione atque κενοδοξία remotorum, animis infixum eſſe aliquod æternitatis deſiderium, & ſollicitudinem a natura demandatam, quam famæ poſt obitum duraturæ, non ſecus ac filii cujusdam poſthumi, gratia ſuſtineant. Poſteritatis enim commemoratio ad ſpem quandam immortalitatis rapit omnes. Ne ſibi deeſſent res geſtas literarum monumentis conſignaturi, ideo & Calliſthenem Philoſophum ſuis volebat expeditionibus intereſſe Alexander Magnus, & Spartanorum Rex Muſis ante ſacra faciebat, quam prælium ingrederetur, & litteratos omni ſtudio colebat Alexander Severus, Scaldos denique, antiquiſſimum doctorum genus, Potentiſſimi Daniæ Reges negotiorum in toga æque ac ſago expediendorum conſcios habere diſcupiebant. *Vid. Thom. Bartholin. Antiqu. Dan. Lib. 1. cap. X.* Et quem latet? Romanæ decus eloquentiæ, Ciceronem, cupiditate incredibili, neque, ut ipſe arbitrabatur, reprehendenda exarſiſſe, ut ipſius nomen L. Lucceji ſcriptis illuſtraretur.

II. Per-

II. Permagni autem refert, cujus monumentis res noſtræ apud ſuperſtites celebrentur. Qui propriam ingenii gloriam nos collaudando conſequi neſcit, per eum gloriæ commendari ſempiternæ, aut deſperata res eſt, aut nimium periculoſa. Neque enim Alexander ille gratiæ cauſa ab Apelle potiſſimum pingi & a Lyſippo fungi volebat, ſed quod illorum artem cum ipſis, tum ſibi etiam gloriæ futuram ſuſpicabatur. Hæreo dubius, Achillemne an Spartiatam Ageſilaum prædicare auſim feliciorem. Illi præconium ab Homero tributum eſſe, quum in Sigeum veniſſet, Alexander affirmavit: In hoc autem Rege laudando unus Xenophontis libellus facile omnes imagines omnium ſtatuasque ſuperavit.

III. Parem mihi neutiquam tribuo, dicendi facultatem, neque ulla vel in ſuſcipiendo ingenii, vel in perficiendo induſtriæ ac laboris oſtentatione ductus has mihi ſumpſi partes, ſed operam ad ſupremum munus Præceptori debitum delectam totiesque flagitatam nullus potui denegare, nihil præter pietatis gloriam & quæſitam leniendi deſiderii rationem mihi vindicaturus.

IV. Laudi datur Ariſtoteli, quod Platoni vel aram poſuerit vel epigramma ſaltem ſupremis ejusdem dicaverit honoribus, in quo Præceptorem per integros viginti annos egregie meritum laudibus ornavit ampliſſimis. Nec Johanni Mullero Regiomontano a gratis poſteris ver-

ti

ti potuit vitio, quod epiſtola quadam pietatis pleniſſima mortem Georgii Purbachii Præceptoris deflevit. Laudant certatim omnes Johannis Schulteti officium, quod Ambroſio Moibano, qui primus eccleſiæ Vratislavienſis doctrinam repurgarat, habita de ipſius laudibus oratione perſolvit ſucceſſor. Sed quare illorum imitari videbor cacoëthes? qui in exteris demirantur, quæ domi nata & a ſuis profecta civibus alto deſpiciunt ſupercilio. Quidni propius ab inſtituto diſtantia commemoro? Sunt, quorum opera quosdam Gymnaſii Hamburgenſis Profeſſores ab oblivione vindicavit. Neſcio utrum Henrico Rumpio, Paſtori ad S. Joh. & per XIII. annos Profeſſori, Marcus Rumpius, an huic ille vitam debeat? Profecto absque Johanne Blumio, Petro Lambecio & Mart. Fogelio ſi fuiſſet, Henrici Vagetii, Joh. Adolfi Taſſii ut & Joachimi Jungii hiſtorias tenerent pauciores, neque exempla eorum ac pericula & varii eventus de vita moribusque nos commonefeciſſent. Quorum diligentia minime obſcuraſi ad æmulationem provocaſſet complures, nullo jure de patria noſtra eædem poſſent inſtitui querelæ, quas in Jac. Aug. Thuani ſinum de quodam illuſtri loco Magnus effudit Grotius: *Plerique hic a literis tam ſunt alieni, ut ſi quem in cognatione eruditum habuerunt, tantundem de eo poſſint referre, ac ſi nunquam fuiſſet. Ep. IV. ad Gallos.*

V. Nemo fuerit, cui vitas Profeſſorum vel conſpicato vel legenti doleant oculi. Non ini-

qui rerum æſtimatores ſuo aſſenſu calculoque dignabuntur acutiſſimum Johan. Meurſii effatum: *Quis honorem Profeſſoribus dignum habet? Atqui tamen ita literæ, uti iſti, æſtimantur.* *Videſis Ep. Dedic. præmiſſam Auctoribus Hiſtor. Mirab.*

VI. Quod ſi cui ſerius hæc & poſtquam novitatis gratia exolevit conſcripta videbuntur, ſuo abundet ingenio per me licet. Num quid vero poſſunt ancipites eruditorum variique caſus intempeſtive percenſeri præſertim ſi exitu valde notabili concludantur? Præterea in animum induxeram expectandum fore, ut proſilire ad ſcribendum non geſtienti labor negotiis diſtenti paucioribus hunc laborem levaret. Qua poſtquam expectatione præter ſpem excidi, committendum non fuit, quin memoriam VAGETII valde mei hac refricarem lege, ut nec hiſtoriæ leges neglexiſſe, nec ullam poſſim videri aſſentatiuncula gratiam aucupatus.

VII. VAGETIORUM majora proſtant erga Eccleſiam pariter atque Scholas Hamburgenſium merita, quam ut nomen ipſorum obrui poſſit hominum interitu & oblivione poſteritatis extingvi. Bernhardus Vagetius, ad D. Nicolai Paſtor. & Maxime Reverendi Miniſterii Senior, non iiſdem finibus celebritatem famæ, quibus vitam, terminavit. Davidem, germanum Bernhardi fratrem & ad D. Nicolai Archidiaconum, ſuſpexerunt admiratique ſunt omnes, adeo ut extincti deſiderium perennis memoria illuſtret. Ex hoc procreati, Joachimus

nus ac Henricus Vagetii, Scholaſticam ſibi ſparam, ex qua plus ſollicitudinis & laboris quam laudis atque mercedis caperent, paſſi fuerunt demandari: Etenim ille ſecundæ claſſis inſtitutioni præfectus pro virili traditam exornaſſet provinciam, niſi poſtridie, quam Ludimagiſter erat declaratus, cum adverſa cepiſſet valetudine conflictari, atque iter ante laſſitudinem abſolviſſet. Hic autem limato Vir ingenio, ad ea inprimis ſtudia natus, quæ inter cætera eminent, magnumque decus afferunt, humaniorum literarum atque antiquitatis Profeſſor unanimi ſuffragio fuit conſtitutus, nec vitam peregrinantium more tranſegit, ſed divinis ingenii prorſus eximii fœtibus apud ſuos immortalitatem, apud exteros præterea gloriam nullo obliterandam tempore eſt conſecutus. *Vid. Vita & Mors Joach. Vagetii ab Henr. Vagetio conſcripta, ut & Joh. Blomii Epiſtola de morte & oratio de vita Henric. Vagetii.*

VIII. Viro, cujus memoriam proſequor, idem, ex alia tamen proſapia, quæ Hamburgenſibus parum innotuerat, cognomen hæſit. Quemadmodum pagi, in quibus Eobanus Heſſus & Fried. Taubmannus naſcenti habuerunt initia, hiſce ſuis civibus adeo inclaruerunt, ut cum multis etiam celeberrimis urbibus de palma decertarent: Sic Gebersdorffio, ad Oſtam fluvium in tractu Bremenſium Kædingenſi ſito, magna inde acceſſit celebritas, quod ortum noſtro non infelicem conceſſit.

 IX.

IX. Parentes, quibus ſecundum Deum hujus lucis debuit uſuram, honeſtis ambo familiis fuerunt oriundi, & rebus dediti Chriſtiano non indignis. Pater Auguſtinus vir erat moris antiqui, avitæ religionis tenax, & faciendis mercaturis, quas loci ferebat conditio, rem quærebat. Quos, quæſo, avos abavosque doctiſſimus quisque poteſt recenſere? Pythagoras ab infimæ ſortis homine, annulorum ſculptore ac eo quidem ad paupertatem redacto eſt procreatus. Socrates, Plato, Ariſtoteles, Solon, Demoſthenes, Cicero, Ovidius, Martialis, Horatius & reliqui tantum non omnes, Philoſophi, Oratores, Poetæ, ex infima plebe ac obſcuro loco ſuam traxerunt originem.

X. Solet nonnunquam generis quoque materni ignobilitas objici Viris laude conſpicuis. Ariſtophanem advertas Euripidi exprobraſſe, quod matre, olerum venditrice, fuerit prognatus. Blandius noſtrum reſpexit fortuna, Dorotheam JOHANNIS JOWARDI, divinorum myſteriorum Oeconomi, & ANNÆ MATTFELDIÆ Hamburgenſis filiam deſtinans, a qua anno MDCXXXIII. ad d. X. Jun. ederetur in lucem.

XI. Statim atque editus eſt, parentes, quorum eæ erant partes, curarunt ſedulo, ut ſine mora de fonte ſacro levatus dulciſſimo JOHANNIS nomine inſigniretur. Quibus ſacris initiatum omni foverunt ſtudio, &, cum neuter in componendis filii moribus eſſet re-

miſ-

miſſior, ad vitam recte inſtituendam conatu minime irrito excitarunt. Videbatur nihil vulgare a natura conſecutus, quamobrem ex veterum lege primogenitum DEO reddendum & ſtudiis conſecrandum pie ſtatuebant. Quamprimum elementa literarum imbiberat, emerſit illico ingenium & velut ex cineribus atque carbonibus redivivus ignis effulſit. A quo cum induſtriam minime ſejungeret, primis doctrinæ tyrociniis in patria poſitis indolem egregio & capace animo dignam tenera adhuc ætate demonſtravit.

XII. Ut a primis diſceret incunabulis boni conſulere mediocria, odiſſe luxum, &, quod caput eſt, cauſis ſecundis minus quam Deo confidere, non equidem oſtiatim panem cum Taubmanno quærere fuit coactus, attamen vix annum agens decimum ſævitiam militum, duce Torſtenſohnio cædibus omnia implentium, eſt expertus. Durum neceſſitatis telum cogebat parentes, qui neque in tuto erant futuri, neque ruenti & deflagranti patriæ opem ferre poterant, laribus derelictis & fortunis non mediocriter afflictis Hamburgum confugere, tanquam ad aſylum certiſſimum & non invidam miſerorum nutricem. Obtento commorandi loco, perrexit ſtudia literarum adeo non faſtidire, ut quoque concupiſceret ac opere amplecteretur maximo.

XIII. Johanneam ingreſſus ſcholam, in MARTINI FOGELII, æqualis atque con-

condiſcipuli ſui, conſuetudinem dedit ſe immerſitque penitus, ut unis viverent moribus, nec amicitiæ tantum officiis ſed communibus quoque ſtudiis conjunctiſſimi. Nihil eſt amicitiis ſtudiorum ſocietate contractis honeſtius, nihil dulcius, conſtantius nihil. Quotquot accurati erant morum cenſores, in animum inducebant ſuum Simonem Grynæum & Philippum Melanchthonem denuo in ſcenam prodiiſſe, utpote inter quos inde a primo commilitio ſanctiſſima interceſſit animorum conjunctio. Pyladis & Oreſtis neceſſitudinem noluit Gregorius Nazianzenus ad illam comparari, quam ipſe cum Magno Baſilio conjunxerat & coluerat ſanctiſſime. Hujus glorioſam paſſim Gregorius ille Theologus cum ſacra quadam oſtentatione injecit mentionem. Niſi me omnia fallunt, potuit B. VAGETIUS verbis ex Nazianzeno *Orat. XX. in laudem Baſil. hab.* depromptis religioſum illud fœdus, quod cum B. FOGELIO ſanciverat, adumbrare: *In utroque noſtrum nonniſi una videbatur eſſe anima, duo animans corpora, unus & idem amborum ſcopus erat, virtutem exercere & vitæ noſtræ ſtudia ac propoſita futuris bonis applicare.*

XIV. Quamvis vero aliis eundem ingreſſis ludum præriperent laudem, & ſocios longe multumque ſuperarent, quid? quod dubia inter ſe ipſos palma de virtute contenderent, neuter tamen invidere alteri, nec lacerare famam, nec ea demoliri, quæ lucem videbantur præreptu-

ptura. Quodſi Ariſtoteli habeas fidem, ob commune ſtudium pari vigilantia & contentione mures inſectandi, muſtela a nonnullis ſerpentibus, murium venatoribus, odio diſſidet inveterato atque capitali. Non paucos advertas literatos nimia honoris cupiditate ductos, ſi pares tractent operas, idemque anheli præmium aucupentur, nefariis invidiæ facibus inflammari, & alieni ſucceſſus odio concitari. Homerum ſuis officientem luminibus Zoilus etiam poſt fata eſt inſectatus. Sola ex invidenda Iſocratis eruditione ægritudo Ariſtotelem extimulavit, ut totam propemodum diſciplinæ ſuæ formam immutaret. Aſinius ille Pollio Ciceronis laudibus adeo erat infenſus, ut eas invitis acciperet auribus. Verum ab hoc morbo eruditis nimium familiari FOGELIUS æque ac VAGETIUS tota mente atque cogitatione abhorruerunt. Divinas FOGELII virtutes, illuſtris ingenii ſuavitatem, memoriam tenacem & peracre judicium admirari VAGETIUS: Hujus viciſſim incredibilem diſcendi ardorem; docile ingenium, in audiendo ſolertiam, celeritatem in percipiendo, nec non pietatis ſinceritatem, ſtupendamque laborum tolerantiam FOGELIUS abſque invidentia maximi æſtimare. Tantum abfuit, honeſta ipſorum æmulatio, quæ rivalitati erat diſſimillima, contentionum diſſidiorumque ut fuerit mater, ut voluntates pari celeritate ad laudis metam contendentium æternæ conglutinaret conſuetudine, & nunquam

laxandis amoris perpetui vinculis colligaret. Ecquem enim latet? Pyladeam FOGELII & VAGETII amicitiam, quam a puero inierant, nec remiſſione uſus elevatam, nec intervallis temporum interruptam, nec locorum ſpaciis diſſociatam, nec fortunæ viciſſitudinibus fuiſſe obnoxiam, quandoquidem ad calculos, ut par foret acceptorum & datorum ratio, revocabatur nunquam.

XV. Primum ſtudii literarii curſum GEORGIO BUSCHIO moderatore confecit. Dein JOHANNI KOPIO æque voluntatem diſcendi ac proficiendi facultatem approbavit. Neuter ſtudiorum ipſius in majus provehendorum ſpem abjecit, nec ullum prætermiſit laborem, quo diſcipuli adeo morigeri alacritas poſſet excitari. Quapropter non potuit non & amore ſingulari utrumque complecti & debita per ætatem proſequi veneratione.

XVI. In primam admiſſus claſſem de ſe novam concitavit expectationem, quam induſtria ſuſtinuit, vicit aſſiduitate. A ZACHARIA MOSERO Con-Rectore literis excolebatur melioribus. ARNOLDUS Rector virtutum imbuebat præceptis, ut in ſapientiæ ſimul ſtudiis diſciplinisque liberalibus progreſſus faceret non contemnendos. Utrumque conſtanti diligentia ſibi adeo devinxit, ut certatim amarent & complexu quaſi tenerent. Quæ Præceptorum fides ac benevolentia eo valuit, ut ægre ab ipſorum lateribus pateretur ſe divelli. Non fere-

ferebat invitus, commilitonum quoſdam per compendia ire in humanæ ſapientiæ contubernium, & vix ad mediocrem cum linguis familiaritatem formatos de Gymnaſii cogitare ſubſelliis: Ipſe cum animo putabat ſuo, deliciis, quas primæ ſcholarum claſſes proponunt, animum eſſe paſcendum diutius. Tinctoribus in more poſitum eſt macerare pannum, ac inferiorem prius ſubtexere, quam duraturum & perfectum purpuræ colorem inducant: Sic in ſcholis animum præparari & literis humanioribus ante imbui oportet, ut Philoſophia deinde in parata velut hoſpitia immigret atque commoretur. Itaq; VAGETIUS, cum Præceptorum quidem expectationi, ſibi autem nondum ſatisfaceret, plura ponere rudimenta in ſcholis conſtituerat, antequam ad altiora Philoſophiæ ſtudia adſpiraret. Verum a FOGELIO, egregias celeberrimorum ea tempeſtate Gymnaſii Profeſſorum dotes admirato, commonefactus, & in Gymnaſium transeundi occaſionem, quam arripere noluerat ſæpius, nullus neglexit. Uſque adeo de claſſis primæ alumnis verum eſt Platonis effatum:

Ariſtoteli freno eſt opus, calcaribus Xenocrati.

XVII. Civibus Gymnaſii ad d. XVIII. Maij A. MDCL. adſcriptus minime ad Homileticam artem applicuit animum, ut vel experiretur, an lingua eſſet animo expeditior? vel cruda adhuc ſtudia in templa propelleret; ſed totum ſe ad illas artes contulit, quæ cultoribus ad altiora ni-

tentibus immortale aſſiduitatis præmium rependunt. Voluptates eſſe ſpinis ſimillimas merito reputavit, quæ cum ſteriles & acutæ ſint, lacerant homines ac lædunt, & florem ſimul cum fructu eripiunt ac perdunt. Ludos otioſis, pugilibus cæſtum reliquit, ſibi autem illa vindicavit, quæ ad capeſcendas doctrinæ rationes apprime idonea videbantur. Data vires privatim periclitandi facultate, non minus præſtans ingenium quam expeditum pro ætatis captu judicium probavit.

XVIII. In Logicis duce ac interprete JOACHIMO JUNGIO, quem nominaſſe ſufficit, gnaviter profecit. Poterat in hujus diligentiſſimis auditoribus conſenſu omnium numerari. Docilitate atque induſtria cum plurimos anteverteret, laboris inſuper patientia præſtaret cæteris, nemo non ominabatur, nec omini fides defuit, ex diſcipulo hoc aliquando magiſtrum fore. JUNGIUS ipſe, ſagaciſſimus ingeniorum exiſtimator, cum nulla inſtitutionis in VAGETIUM impenſæ pœnitudine duceretur, ſumma diſcipulum benevolentia eſt complexus, & cum docendi fide ſtudium juvandi ſingulare conjunxit. Socratem ferunt de Platone non obſcure vaticinatum. Dixit enim ſe ſomniis uſum pridie, quam ad ipſum veniſſet Plato, cygnum in gremio tenuiſſe, qui in altum evolans, cantus ediderit dulciſſimos. De VAGETIO ſane JUNGIUS adeo ſpem non abjecerat, ut multa honorifice prædicaret,

ſtu-

ſtudiisque ſapientiæ non vana incrementa ex ipſo polliceretur. VAGETIUS viciſſim de JUNGIO ſibi non minus gratulabatur, ac de Socrate Plato, qui moriturus ſuam mirifice deprædicabat fortunam, vel hoc nomine, quod nativitas ſua in Socratis ætatem incidiſſet.

XIX. Erat tunc temporis JUNGIUS in eo totus, ut Philoſophiam Rationalem juxta cum Naturali redderet perfectiorem, & jugum ſervitutis Ariſtotelicæ, quod per veritatem licebat, a cervicibus dejiceret diſcipulorum. Cui inſtituto diſtinctæ rerum naturalium notiones plurimum inſervituræ videbantur. Quapropter omni contentione animi iis incumbebat inveſtigandis. Regiam præterea viam ad pleniorem perveniendi certitudinem commonſtraturus, hebdomade quavis privatas habere cepit recitationes de accurata ſingularum herbarum definitione, cui fini felicius obtinendo non deerat auditorum induſtria, quipe qui herbas ultro comportabant, & Iſagogen Phytoſcopicam typis deinceps exſcriptam ex ore dictantis excipiebant. Hoc pacto Vagetius ἐπιχάρμειον illud imbibit mature: *Nervi atque artus ſapientiæ ſunt, non temere credere.*

XX. Ut emendatius ſcriberet ac elegantiorem dicendi facultatem conſequeretur, literarum, quibus ab humanitate nomen hæſit, addiſcendarum flagrabat deſiderio. Quos igniculos HENRICI VAGETII aluit dexteritas, cui religio erat ab ore ſuo pendentes ad

ina-

inanem aſſuefacere garrulitatem, quandoquidem ipſe conſueverat gravitate ſenſuum & verbis ad veterum legem compoſitis multaque doctrinarum ipſi Deo gratarum varietate ſuam animare dictionem. Fertur Carneades ad tantam perorandi abſolutionem perfectionemque perveniſſe, ut pro falſo non minus quam pro vero vires eloquentiæ poſſet intendere. Eandem in utramque partem dicendi copiam JOHANNES VAGETIUS ſua ſibi ſolertia pepererat. Vincere potuiſſet Gorgiam ſimul atque Lyſiam aliosque complures & amplificationum gravitate & lectiſſimarum figurarum lepore & pondere argumentorum, niſi rebus addere ſplendorem & ornamentum refugiſſet, minus turpe reputans nimis timidum ſe, quam verecundiæ ſepta tranſiliendo parum prudentem judicari.

XXI. Omnibus vero eloquentiæ humanæ fluminibus longo intervallo majeſtatem ſacrorum ſcriptorum & argumenti divinitatem præire, pro ea, qua pollebat, ſagacitate advertens, eas cepit deamare linguas, quæ Dei mentem aperiunt, & quibus nihil eſt aptius ad familiarem cum Deo ſermonem inſtituendum & contrahendam neceſſitudinem. Aulus Poſthumius eo tantum fine linguam expetiit Græcam, ut doctos poſſet exagitare: Noſter vero, tum ut Græcos ſcriptores tam elegantia quam ſubtilitate præſtantes pernoſceret, tum ne ſpecioſis gloſſis circumveniretur.

Nam

Nam quanquam ſapor eſt oblata dulcis in unda:
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de cælata ſumere lance juvat.

Reputent alii Hebræorum literas eruditionis ſteriles, fertiles laborum, VAGETIUS ſane gravibus movebatur argumentis, & auctoritate Lutheri, quotquot Hebræa ignorant pecora campi & indoctum vulgus appellantis, quare illas pro ſacri ſtudii haberet condimento. Quo in genere ducem habuit ÆGIDIUM GUTBIRIUM, cujus laudes neminem fugiunt pasſimque celebrantur.

XXII. His literarum adjumentis dici vix poteſt quantum fuerit aſſecutus. Attamen ſi quis per vitam omnem in Dialectica tantum aut linguis elaboret, nullis aliis adhibitis artibus, in quibus illæ exerceantur, is velut ludo quodam delectari ſuo ſtudio, non autem veros ex arte fructus poſcere videbitur. Noverat VAGETIUS parum prodeſſe diſciplinas, niſi in unum contubernium recipiantur complures, ut inita quaſi ſocietate ad uberiora præſtanda emolumenta ſvaviter conſpirent, perinde ac in fidibus plurium concentus perfectam efficit ſonorum ſvavitatem. His de cauſis partes Philoſophiæ ſingulas quam potuit maxime in deliciis habuit, & ſumma animi contentione in hoc ſtudium peramplum ingreſſus bonitate naturæ maturitatem judicii prævertit. Monumenta, quæ res ge-

geſtas oblivioni eripiunt & animum exemplorum recordatione confirmant PETRO LAMBECIO auctore adeo verſavit feliciter, ut, quod vetus ætas tradidit, quod inclinata peperit, quod noſtra ſuppeditavit, haberet in numerato. Vidit tot naufragia ſine metu, tot bella ſpectavit ſine periculo, ædes principum eſt ſine repulſa ingreſſus, ſapientum conſiliis absque omni cenſura ſe immiſcuit, ipſa denique templorum ſacraria ſine ſacrilegio viſitavit.

XXIII. Matheſeos ſumma jucunditate ac utilitate invitatus magis, quam difficultate deterritus, JOH. ADOLPHI TASSII, Viri doctrinæ ac meritorum fama notiſſimi recitationibus non interruptis vicibus interfuit, ne non divinam ſibi compararet ſcientiam, quæ ab erudito pulvere celebratur. Manca ſane ac mutila eſt Philoſophia omnis, niſi rerum cœleſtium accedat cognitio, quæ & per ſe liberalis eſt, & multas vitæ affert utilitates, & aſſvefacit animos ad quærendas demonſtrationes, nec non ad veritatis amorem, quæ virtus vel inprimis digna eſt ſtudioſo, qui cum Ixione nubem pro Junone amplecti, progenerare centauros, atque ex falſis opinibus factiones eccleſiæ exitioſas gignere tergiverſatur. Quapropter VAGETIO nihil prius erat, nihil antiquius, quam erectos ad ſidera vultus tollere, circulos & orbes cœleſtes non oculo magis quam animo contemplari, attendere ad motum ſolis, ſtellarum curſus perquirere diligenter, nec minus ſpatia orbis ter-

terrarum ſcrutari ejusdemque magnitudinem & intervalla definire ac metiri, ut in ſingulis expreſſa divinitatis veſtigia indagaret atque demiraretur. Lucem artes nonnullæ fugiunt, verum hæ dignitate præſtant & utilitate vincunt. His ergo non præparaviſſe animum, ſed prorſus imbuiſſe, VAGETIO ſummæ erat voluptati, quippe qui Euclidem, hujus ſtudii principem, non ſecus ac Theſeus filum Ariadnes, a puero ſequebatur.

XXIV. Conſcio præterea & jubente JUNGIO, a STEPHANO MOLTICHIO, bonarum artium Magiſtro, viro ingeniis acuendis dexterrimo, in Matheſi juxta & Logicis eſt perpolitus. Huic quantum debuit, tantum grato memorique animo ſubinde prædicavit. Impiam ſtatuens Maximiliani I. vocem: *Si hodie præceptor meus viveret, Petrus, quanquam multa Præceptoribus debeamus, efficerem, ut eum inſtituiſſe me pœniteret.* Ipſe contra votis expetebat omnibus, ut obſervantiam ingentibus erga ſe meritis debitam MOLTICHIO ſuperſtiti relinquere teſtatam ſibi liceret. Tantam enim STEPHANI ſui ſedulitatem atque fidem erat expertus, ac ſi cum VAGETII commodo & incremento ſuam MOLTICHIUS laudem eſſe conjunctam habuiſſet perſuaſum.

XXV. Hactenus expoſita, quibus ætatem abſolvunt alii, adoleſcentiæ VAGETIANÆ fuerunt rudimenta, eo quod ſemper diſcendi cupidiſſimus per integros quatuor annos Gymnaſii

naſii ornavit ſubſellia, ut ſolidam perciperet eruditionem, & artes, quibus tenerior ſolet ætas formari, multo uſu atque exercitatione conſequeretur. Noſtra ætas proh dolor! ita in omnis generis artibus verſatur, ut quandam auferat opinionem, qua ſe venditet apud imperitos. Quotusquisque eſt, qui quo indoctior, eo celerius ad Academias non devolet, ſeſe Icari germanum & Phaëtontis ſocium probaturus, quaſi vero ſemidoctorum agmina non forent copioſiora, quam novi ſodalis acceſſione augeri ut debeant.

XXVI. Vitam auſpicaturus Academicam prima nec obſcura dedit conſtantiæ ac firmitatis animi documenta. Rem domi anguſtam conatibus VAGETII obſtituram prævidens JUNGIUS impenſas neceſſarias pollicebatur liberaliſſime, hoc ſtipulatus unum, ut in Batavorum Academias, Lugdunenſem præcipue, commigraret, omnem operam & cogitationes Medicinæ præter Philoſophiam impenſurus. Rariores ſolent eſſe Eobani Heſſi, quorum animi a ſtudio abhorreant, cujus excolendi gratia largi ſubminiſtrantur ſumptus. Religione tamen VAGETIUS ſe impediri putabat, quominus ſuum mutaret inſtitutum. Maluit tenuiori ſorte vivere contentus, quam manum aratro ſemel admotam retrahere, nec in vitæ genere, quod a parentibus Theologiæ conſecratus ſemel arripuerat, perſiſtere ac pertendere gnaviter. Nolim inconſtantis animi notam Johanni Ferrario in-

inurere, qui artium Magiſter primam in Theologia laurum jam tum obtinuerat, paulo poſt Medicinæ Licentiatus Wittebergæ renunciatus. Nec Caſpari Bartholino ullam impingo dicam, quod ſtudium Theologiæ, cui per per luſtrum Roſtochii ac Wittebergæ ſedulo incubuerat, cum arte Medicinam faciendi commutavit. Nec fero invitus, Johannem Antoniden van der Linden, illuſtrem ex Theologo Medicum, Belgas eſſe veneratos ac ſuſpexiſſe. Feror tamen tacito animi impetu, ut VAGETII in propoſito ſuſceptoque conſilio permanentis inſtitutum collaudem, quandoquidem Theologia Medicinæ in tantum eſt anteponenda, in quantum nativis æterna, caducis immortalia, divina humanis antecellunt.

XXVII. Theologorum imprimis celebritate allectus Anno MDCLIV. Jenam ſe contulit, ut eruditorum conſvetudine ſe magis excitaret. Sacris Academiæ initiatus mentis aciem hebeſcere non eſt paſſus, ſed e Stoa pro lubitu in Academiam, ex hac in Lyceum tranſiit, nunc Zenonis ſubtilitatem nunc Platonis divinitatem nunc Ariſtotelis acumen demiraturus, nunc Pythagora, Epicteto, Seneca, ceterisque inſignibus viris familiariter uſurus, & quicquid in Philologis accuratum, in Lyricis excultum, in Epicis amœnum, in epigrammate acutum, in ſatyra ſalſum, varium in hiſtoria, in eloquentia ſublime, in fabula ingenioſum, in Matheſi dignum admiratione, reconditum in Theologia delibaturus.

Perſvaſum enim habebat, vitam ſine literis mortem eſſe ac vivi hominis ſepulturam.

XXVIII. Primum, quod Jenæ conduxerat, muſeum ſpectri cujusdam tumultibus erat horridum, iisdemque propemodum ludibriis, quibus ædes Mompeſſonianæ Tedvvorthi in Anglia expoſitum. Binos minuendorum ſumptuum gratia contubernii neceſſitudine ſibi junxerat. Singuli ejusdem figuræ phantaſma vice plus ſimplici ſuis uſurparunt oculis, fama deinceps nec diſſentientibus fide digniſſimorum teſtimoniis redditi certiores, ſtudioſum quendam eodem haud adeo pridem uſum fuiſſe domicilio, cujus ex improviſo Salæ aquis ſuffocati bona minus juſte diſpenſata defuncti quietem interturbent, & larvis perterrefaciant ſuperſtites.

XXIX. Tanta nonnullorum maleferiatorum temeritas eſt atque confidentia, ut in nullum vocati diſcrimen periculis ultro ſe offerant & committant, viribusque ſat tenuibus inſtructi ſatagant cum ſpectris depræliari. Quaſi vero vel Reginaldi Scoti nec non Thomæ Hobbeſii ac Webſteri de Spectris opinio laudem intemeratæ veritatis mereretur, vel ea poſſit cum lemuribus iniri ſocietas, quæ metu exanimatos refocillet. Verumenimvero non a pietate magis, quam ab indole VAGETII alienum erat omne cum Satana, cui ſub Chriſti vexillo militaturus nuntium remiſerat, commercium atque congreſſus. Quapropter in ædes minus infeſtas commigraturus fatis viam commonſtrantibus

tibus in ſummum incidit Virum, MARQUARDUM GUDENIUM ſ. GUDIUM, qui Jenæ animi ſtudiis excolendi cauſa commoratus cepit VAGETII efflictim amati convictum efflagitare. Huic quanto in pretio fuerit puri commonefaciunt jambi, quos albo contubernalis Jenæ ultimum vale impertituri GUDENIUS inſcripſit, purum animum ſincerumque affectum teſtatum relicturus. Nondum etiam memoriæ unici filii, qui ſuperſtes paternum ſervat decus, initia carminis omni humanitatis ſale conſperſi exciderunt:

> Vagete, quo ſuperna fata te trahunt,
> Sequare, at illa ſi darent moras Tibi
> Locumque congruum, liceret haud tuo
> Negare contubernium Gudenio &c.

XXX. Ceterum quod ad ſtudia ejus Academica attinet, inprimis Schubarto, Bechmanno, Weigelio, Slevogto, forſan & Zeiſoldo, ducibus diſciplinis aſſvevit liberalibus, rerum naturam eſt ſcrutatus, ſiderum obitus & ortus cognovit accuratius, morum emendatiorum notitiam acquiſivit, nodos Metaphyſicorum expedivit, & reliquis Philoſophiæ deliciis animum pavit, ut nunquam tamen expleret ſatis. Theologiam ex rivulis haurire faſtidivit, hujus ſtudii principes ſectatus Joh. Erneſt. Gerhardum, Muſæum, Chemnitium, a quorum ore penderet, ſalviſicis æque dogmatibus ac ſaniorum verborum hypotypoſi initiandus. Permagni intereſt, per quos proficias Theologos. Recens te-

ſta diu odorem ſervat, quo imbuta eſt ſemel, & raro fontes diverſam ab ea, quam biberant, aquam mari reddunt. Multi repurgatæ religioni minus attuliſſent detrimenti, niſi improvidum dicendi genus & ſparſum a Præceptoribus venenum obbibiſſent incautiores.

XXXI. Gradus Scholaſticos, qui non plus ad eruditionem quam ad equorum generoſitatem phaleræ inauratæ afferunt momenti, ſuæ ac aliorum conſcientiæ teſtimonio contentus ambivit nunquam. Sunt quibus ideo Academicæ ſordeant dignitates, quod vel Brovvniſtarum imbiberunt opinionis commenta, vel ad honoris templum nonnunquam virtutis ac eruditionis templum nondum ingreſſis, forſan nec ingreſſuris, aditus aperitur. Sed mirari ſubit animum, quare vino iidem non abſtineant ſobrii, quippe quo certum eſt abuti ebrioſos. VAGETIUS Antigeniden minime imitatus, æquo ferebat animo, monumentarios choraulas tibicinum characteribus inſigniri. Ipſius vero aures monito Melanchthonis patuerunt: *Adoleſcens, quisquis eſt, ſi non habet certam conditionem*, adde nec animum docendo proficiendi, *meo judicio rectius faciet, ſi non properabit ad gradum. Titulus habet aliquid oneris.* Interim ſtudia quotidie in majus provehebat, ut Cenſorii illius Catonis, rogati, quamobrem inter nobiles ſtatuam non haberet? Reſponſo potuiſſet uti: *Malo ambigere bonos, quamobrem id non meruerim, quam, quod eſt gravius, cur impetraverim muſſitare.*

XXXII. Jena domum revocatus fortuna conflictatus eſt duriore, quæ ipſum a ſtudiorum curriculo, in quod deſcenderat, propemodum avertiſſet. Mater jam tum extremum vitæ diem morte confecerat. Unicum ſupererat inter mortales præſidium, pater, cum ab integritate tum a ſingulari erga filium benevolentia merito celebrandus. Hujus vero inſperatus nec opinatus ex hac mortalitatis valle diſceſſus anxiam VAGETIO laborioſamque peperit emergendi difficultatem, præſertim quando per novercæ injuſtitiam eo adigebatur, ut una cum fratre ac ſorore ſtatueret, nullam potius hæreditatem adire, quam legibus in paternas agere facultates. Apollonius ſane Tyanæus negabat Philoſophi eſſe περὶ χρυσίȣ διαλέγεσϑαι. Nec vituperanda eſt VAGETII cogitatio, quod tanti habuit re carere, ne propter eam ſæpius litigaret.

XXXIII. His vero de cauſis incenſa plures Academias inviſendi cupiditas comprimenda fuit & reſtingvenda. Græci laudibus orrient maximis paupertatem artium repertricem omnium. Fuerit hæc in Ariſtide juſta, ſapiens in Socrate, in Homero diſerta, in Davide Vagetio bonæ mentis ſoror, pia fuit in JOHANNE VAGETIO & conſtans, ut negotia cum laude ſuſcepta fortiter perſequeretur, moleſtias ferret ſapienter, nec ob adverſitatum minas ab inſtituto divagaretur curſu. Tantum enim abeſt, ut propter denegatum Platonis amplum pa-

trimonium VAGETIUS animum abjiceret, ut indueret atque confirmaret, ne non ex vero Horatius ceciniſſet: *Inopemque paterni*

Et laris & fundi paupertas impulit audax.

XXXIV. A portu ac omni propemodum perfugio excluſum JUNGIUS in ſuas recepit ædes, inſtar filii habuit & aluit benigne. Blandior fortuna omnibus beneficiis ex domeſtico ad JUNGIUM redituris clauſerat aditum. Quapropter ne in hominem ingratum benignitas conferretur, operam ſuam hoſpiti adeo benefico addixit, eandemque in Doxoſcopias Phyſicas, quas FOGELIUS deinceps typis exſcribi curavit, aliqua ex parte in ordinem redigendas contulit egregie. Nec, quem dixi, FOGELIUS priſtini ſodalis abjecerat memoriam, ſed ſumma nitebatur ope complurium Patronorum benevolentiam in ipſum derivare, qua ſe miris modis adjutum nunquam deſtitit deprædicare. Illud potiſſimum ſibi glorioſum cum animo putavit, quod Ampliſſ. Dn. ALBERTUS TWESTRENG, celeberrimus J. U. Licentiatus & prudentiſſimus patriæ Senator, ſe duce prima eloquentiæ artiumque tyrocinia fecerit atque poſuerit.

XXXV. Erat tunc temporis Schola Verdenſis Regia tantum decus ac ſplendorem conſecuta, ut oculos perſtringeret Sileſiorum, alios item e regionibus procul diſſitis alliceret, qui agmine quaſi facto ipſam frequentarent. Paſſa vero deliquium fuerat, ſuo orbata Rectore, HENRI-

RICO SOLTERO, Viro laudibus ſinceræ pietatis ac perfectæ eruditionis cumulatiſſimo. Priſcam ut poſſet dignitatem tueri, Patroni Scholæ nihil eorum faciebant reliqui, quæ ſummam de indagando ſucceſſore idoneo ſollicitudinem teſtarentur. Deo, cui res VAGETII erant curæ, procul dubio dirigente, quidam eorum, quibus novi Rectoris exquirendi provincia erat demandata, ex FOGELIO petiit conſilium, ecquem Rectoratui parem ac præficiendum judicaret? Hic tacitus in ſinu gaudebat ſuo de dudum quæſita occaſione, quantum VAGETII ſui cauſa vellet teſtificandi. Explorate compertum habens, virtutes Rectore dignas, quæ rariſſime in uno fixerunt ſedem, in VAGETIO non ſororio tantum nexu copulatas ſed eminentes deprehendi, ſibi duxit religioni præter VAGETIUM commendare alium. Huic vero ſtimulos admovit, ne inſperatam opportunitatem pateretur præterlabi.

XXXVI. Ignorabat Vagetius ullam dignitatem vel verborum blanditiis emendicare, vel importunis amicorum flagitationibus extorquere, vel pretio mercari. Quapropter opem a ſolo Deo, rerum ſuarum moderatore, petiit & firma mentis fiducia eſt præſtolatus. Ex hujus nutu & arbitrio delatam regiminis ſcholaſtici provinciam anno MDCLXII. ſuſcepit prompte, ac magna cum laudis acceſſione adminiſtravit conſtanter. Multis in more poſitum eſt, impetrato officio, quaſi confecto penitus

itinere, ſegniter diſſidere, cuticulam curare, otio diffluere ac voluptatibus. Noſter vero diſciplinis literarum amplius excolendis incubuit, ac ſingulas officii partes usque adeo implevit, ut ſtudium in ſuſcipiendis, conſtantiam in perferendis laboribus admirarentur. Videas Rectorum nomen nunc per plagoſos Orbilios contaminari, nunc per Alexarchi arrogantiam reddi exoſum, quippe qui ſuam cœlum arbitrabatur Scholam; præcepta ſtellas; nomina, verba & pronomina, ſigna Zodiaci; ſe vero ſolem inſolenter jactabat, quem nemo fixis poſſet intueri oculis, quin cæcitate laboraret. Suo ſe metiri pede VAGETIUS, humilitatis laudem ſervare, nihil niſi judicio ac induſtria perfectum tradere, Epicteti oves imitari, nec balatu, ſed lana, vellere, lacte quantum ſuis prodeſſet, teſtari. Fieri non potuit, quin enodate perplexas explicanti controverſias & aditum velut ad intima ſcientiarum penetralia patefacienti quotidiana Auditorum frequentia calcar admoveret, numeroſoque conſeſſu Scholam celebraret. Platonem Ariſtoteles per annos viginti, id eſt, ad quadrageſimum fere annum ætatis veneratus eſt Præceptorem. Nec defuerunt, quibus tantis in deliciis habitus eſt VAGETIUS, ut ipſius moti amore in Schola Verdenſi tantisper operam darent literis, dum barba caderet tondentibus. Statuerant enim prudentiſſime, non poſſe in eo ſuccum eſſe diuturnum, quod nimis celeriter aſſequatur maturitatem.

XXXVII.

XXXVII. Rectoratus dignitate auctus, miſeram multumque jactatam fortunam cum ſecunda commutare, ac multum in matrimonio ad vitam eſſe ſubſidii ratus, ad nuptias adjicere animum cepit. Adjumentum curis levandis deſtinavit ac reperit ANNAM de LITHE, cujus virginis frugalitas & pietas cum generis ſplendore paria faciebant. Sponſæ majores meritis & virtute a vulgo diſtinguebantur. Etenim Lithei dignitate generis æſtimantur, quam memoratu digniſſimis auxerunt neceſſitudinibus. Quibus factum eſt, ut Ditmarum quoque Kenkelium, patrum memoria Reſp. Bremenſis Conſulem, ſed ſeculo ſuperiori a Reformatis juxta cum Senatu & Miniſterio urbe ejectum atque hinc a Chemnitio identidem collaudatum ſuis ſponſa majoribus accenſeret. Blandior Parentem, Johannem Dietericum de Lithe, reſpexerat fortuna, & gubernacula Reip. Verdenſis tractare juſſerat, ut clavum tenens ceu in puppi quadam ad ultimum vitæ halitum quietus ſederet.

XXXVIII. Aliis deſperatæ propemodum videbantur nuptiæ, inprimis cum utrinque ingererent ſeſe contrahendum matrimonium rationibus non paucis diſſvaſuri. VAGETIUS autem cum obnitendo non poſſet, patiendo vicit. Per integros ſeptem annos a conſtantiæ poſſeſſione noluit dimoveri, ſed amori virginis, quæ ſtirpis nobilitatem gloria pietatis cumulaverat, Jacobi inſiſtens veſtigiis ſervire per-

ſeveravit. Indolis tandem bonitate animum deamatæ adeo ſibi conciliavit, ut amaret certatim, & connubio adſtringeret fidem. Auſpiciis non infelicibus domum ducta, res domeſticas atque familiares curavit diligentiſſime. Sed poſtquam læta prole maſcula, rectæ indolis ac rarioris doctrinæ FILIO AUGUSTINO, nunc Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ, quæ almam illuſtrat Leucoream, Adjuncto, & in Gottingenſium Gymnaſio Matheſeos Profeſſore, maritum reddiderat parentem, lectiſſima conjux octavo & decimo poſt partum die e vivis eſt erepta. Sic orta cadunt & conſtantiam reſpuit amica varietati fortuna! Usque adeo citata ſunt curricula felicitatis inter ipſa beneficia metuendæ! Habet in VAGETIO poſteritas exemplum, quo Manuvillii dematrimonii fortuna & infortunio libellum locupletet.

XXXIX. Gravi hoc vulnere, quo magis adverſum vix infligi potuiſſet, exanimatus fere VAGETIUS, nihil humani a ſe alienum eſſe intellexit. Ægre patiebatur ab illius ſe divelli ſocietate, in qua præter ſexum muliebre adverterat nihil. Itaque ſolitudinis faſtidia ſecundis antetulit nuptiis, ne non tantundem ad minimum temporis deſtinaret, quantum amori impenderat conciliando. Nondum vero ſeptennium, quod conſecraverat luctui, elapſum erat, quando conditiones neutiquam contemnendæ, ad ſecunda ut tranſiret vota, invitabant. Quas tantum abeſt ut acceperit, ut alios ſeptem an-

annos recordationi amoris priſtini addere maluerit. Atque hoc pacto annos ter ſeptem viduus tranſegit, ne Fauſtina quædam Philoſophi contaminaret felicitatem.

XL. Interea temporis, dum orbus conjuge VAGETIUS Verdæ degeret ætatem, FOGELIUS longe lateque peregrinando animum oblectare, in exterorum familiaritatem venire, eruditos cum ipſis miſcere ſermones, notitiam linguarum exoticarum accuratiorem ſibi comparare, varios gentium mores, inſtituta & leges pernoſcere, nec non Doctoris Medici characteribus condecorari. Quibus obtentis, ægre non tulit, ſe anno MDCLXXIV. Divinæ ac Rationalis Philoſophiæ conſtitui Profeſſorem, minime indignum Doctore ratus, aliis ſuæ doctrinæ copiam impertiri. Quod ea addo gratia, ne quis ipſi linguam profeſſoriam, ut Agrippina quondam magno illi Senecæ, velut probrum objiciat. (*Miræus Vitæ Lipſii p. 14.*) Spartam, quam erat nactus, ſplendide ornabat & tuebatur fortiter, ſed anno proxime ſequenti quodam perditæ valetudinis genere tentabatur. Lecto affixus mortique proximus a Collegis undiquaque celeberrimis, B. MICHAELE KIRSTENIO & VINCENTIO PLACCIO, quem bono literario perennare divina jubeat clementia! votis contendit omnibus, ut, quamprimum ipſe diem obiiſſet ſupremum, meliori de nota VAGETIUM ſuum Ampliſſimo Scholarcharum Collegio commen-

mendarent. Quoddam hujus negotii omen eadem nocte, qua FOGELIUS Deo ac naturæ conceſſit, per ſomnum præſenſit VAGETIUS, quandoquidem cubiculum, in quo FOGELIUS graviter decumbebat, ingreſſus læta fronte manuque porrecta excipi ab eo ſibi videbatur. Eobani Heſſi felicitatem quædam navigii ad curſum omnibus rebus inſtructi ſpecies dormienti oblata præſagiit. FOGELII ſane commendatio prora fuit atque puppis Vagetianæ felicitatis, per quam pronum erat navem turbinibus ac fluctibus jactatam ſalvam in portu collocare.

XLI. VAGETIUS enim Ampliſſimis Dnn. Scholarchis, quotquot curam Gymnaſii ſuſtinebant, vix de facie innotuerat. Quamobrem viduitatem experta Profeſſio, abſque FOGELIO, KIRSTENIO, PLACCIOque ſi fuiſſet, una cum inſigni dote alii fuiſſet notiori elocata. Verumenimvero tum FOGELII teſtimonium morte obſignatum, tum bigæ Virorum, fide digniſſimorum nec ſua ſed Gymnaſii emolumenta unice deſiderantium, auctoritas tantum VAGETIO profuit, ut anno MDCLXXVI. plerorumque ſuffragiis ſuo ſufficeretur FOGELIO. Primordium Profeſſorii muneris, prout more ac legibus eſt receptum, ad d. XXVII. Jun. ab oratione duxit ſolenni, qua Logicæ artis dignitatem, neceſſitate pariter ac utilitate ſua nec non jucunditate metiendam, diſerte copioſeque explanavit. Frequens audi-

torium peroraturo B. D. CAPELLI programma exoraverat, ex quo hæc inprimis huc merentur transſcribi: *Nacti ſumus Profeſſorem veræ pietatis, ſolidæ eruditionis & antiquæ virtutis & fidei laude inſignem.*

XLII. Tantam de ſe concitaverat expectationem VAGETIUS! quam ſuſtinuit perpetuo & ſuperavit. Vitam enim Hamburgi inſtituit Philoſopho ac Profeſſore digniſſimam, ne horologium evaderet aliud ſonans aliud indicans, neve manus Eſavi vocem Jacobi contaminarent. Nullo odio aut invidia abreptus ſibi alienas tribui laudes poſtulavit. Sorte ſua contentus nec alieni fuit appetens nec ullo diteſcendi ſtudio incenſus. Avaritiam & ambitionem animi eſſe labes, cum ſapiente tum Chriſtiano indignas, eſt arbitratus. Maximis ornent alii laudibus Taubmanni liberalitatem & ſtudium de noverca optime promerendi. Fuerit Ptolemæorum alter Philometor, Philadelphus alter: VAGETIUS tanto flagravit exercendæ charitatis ſtudio, ut binas ex noverca prognatas ſorores domi aleret, pro re ſua elocaret, tres denique majoris natu pupillos educaret liberaliter. Temperans & frugalitati ſolitudinique deditus labori ſtuduit. Sunt quibus hæc vivendi diſpliceat ratio. Sed noſtro illud Poëtæ perplacuit:

Felix ille animi divisque ſimillimus ipſis,
Qui tacitos ſinit ire dies & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla ſilentia vitæ.

In

In publicum quoties progrediendum fuit, nec perpetuam gravitatem, nec jocos amavit æternos. Nihil ab eo ſiniſtre dictum, quod amicos tangeret, nihil intempeſtive monitum, quod aliis diſpliceret. Omnes animi ſui motus intra duos veritatis & charitatis polos compoſuit, ſententiam de aliorum vita factisque laturus. Quapropter nullos habuit inimicos, niſi una hoſtes forent virtutis ac veritatis, & Salamandræ inſtar in diſſidiorum vivere flammis geſtirent. Horum vero contumelias non eſt moratus magis, quam luna ſplendens canum latratus. Fidem vel privatim vel publice datam omni exſolvit tempore. Romanis ducibus ſpecioſos ex Creta, Numidia, Africa, Aſia aliisque devictis gentibus titulos nunquam invidit, ipſe vitiorum & hoſtis ubique & victor perpetuus. Philoſophiæ Theoreticæ, tanquam ſoli ardenti, ſe totos dies exponens nihil contraxit fuliginis, nec praxeos virtutum vixit immemor. Auctores ab ingenio & judicio commendandos quotidiano ſtudio pervolvit & aſſidua legendi conſvetudine ſibi conjunxit. Si quid temporis vel intervenientium amicorum vel relaxationis gratia eſſet deperditum, ad multam vigilavit noctem, & oculos vigilia fatigatos cadentesque tantiſper in opere detinuit, dum integri diei penſum abſolviſſet. Memoriæ quoddam paraturus ſubſidium Plinium Majorem fuit imitatus, quem nihil legiſſe, quod non excerperet, nepos ipſius reliquit teſtatum. *Lib. 3. Ep. 5.* In adverſariis ve-

vero colligendis minime ſimilis erat ſpongiis nihil non attrahentibus, neque clepſydris omnia permittentibus dilabi, ſed ventilabro excuſſa palea triticum retinenti.

XLIII. Diſcentibus multum ingenii dexteritate, multum fide, plurimum vero diligentia & aſſiduitate profuit, nullam, vel iniquo anni tempore, muneris partem negligens unquam aut temere prætermittens. Infrequentiam Auditorum, Rationalem Philoſophiam alto ſupercilio deſpicientium, tulit moderate, quandoquidem nunquam arte ſua, tanquam ſcorto ad voluptatem, aut inſtar ancillæ ad quæſtum, ſed velut ſponſa ad generationem, fructum atque ſolatium honeſtum uti conſtituerat. Quam inique faciunt, qui paucitate auditorum commoti animum deſpondent, & otioſam ætatem ſine labore atque contentione traducunt: Illi vero longe iniquius, qui publicam temporum injuriam in privatam Profeſſorum culpam vertunt. Quaſi vero humanum genus ita comparatum eſſet, bona pluribus ut placerent, aut proclive adeo foret, juventutem ſibi profutura ignorantem ad aliquam cogere lectionem. Nempe olim Antimachi ſcholam unicus frequentabat Plato, reliquis a ſolidiori eruditione faſtidio quodam delicatiſſimo ac ſatietate abalienatis. Sufficiebat Antimacho ſolus Plato, & VAGETIUS quinquaginta aliis oppido paucos idoneos præferebat Auditores, in quorum nonnullis adhuc ſpiritum vitamque ducit.

XLIV.

XLIV. Quæ annua volverit laborum publice non minus ac privatim ſuſtinendorum penſa, Catalogi ediſſerunt Prælectionum. Hos nunquam relego, quin ſolertiam admirer atque dexteritatem, uſum Logici artificii luculenter amplificandi; quin, quam ſancte ſteterit promiſſis, revocem mihi in memoriam, gaudeam denique abſque omni verborum jactatione argumenta incredibilis induſtriæ fide digniſſima percenſeri. Scopus recitationum erat omnium, tum ad Dei gloriam referre ſingula, perinde ac Cæſar coronam capiti ſuo ab Antonio impoſitam in Jovis caput tranſtulit; tum oſtendere auditoribus, quam anguſto calle veritatis ecliptica terminetur, a quo ſi vel latum unguem deflecterent, triſtia utrinque præcipitia imminerent.

XLV. Ad habendas publice diſputationes per aliquot annos animum noluit applicare, quoniam non adeo ſibi erat ſuffenus, ut vel cum Hieronymo Cardano ſtatueret, ſua inventa eſſe talia, quæ a nullo potuerint inveniri, vel cum Abælardo, ſe ſolum in mundo ſupereſſe Philoſophum, exiſtimaret, vel cum Agathocle Peripatetico ſe ſolum & primum eſſe omnium Dialecticorum jactaret. Mutata vero deinceps ſententia, ter in arenam deſcendit, editis diſputandi cauſa monumentis, nihil minus quam fucoſa inſcriptione ullum mortalium circumvenire intendentibus. Primo de Enuntiationis Categoricæ partibus & ſpe-

ſpeciebus; Alteri de primis ratiocinationis principiis; Tertio de Enuntiationis Categoricæ quantitate & veritate titulus hæſit. In ſingulis nihil per inſcitiam erroremve eſt admiſſum, ſed ordine, via, ratione, recte omnia & convenienter tradita fuerunt.

XLVI. Ab omni faſtu & arrogantia alieniſſimus, etiamſi aliorum Doctor eſſet conſtitutus, ad ſubſellia diſcentium non raro ſe demiſit. Cato, Vir apud Romanos maximus, annos natus ſexaginta operam Græcis dare cepit. VAGETIUS vero poſtquam a puero Græcas literas perinde ac Latinas calleret, Hebræam quoque linguam mediocriter delibaſſet, tanto literaturæ Orientalis flagravit deſiderio, ut Origenis, Hieronymi, Lyrani, Galatini, Weſſeli, Capitonis, Rud. Agricolæ ac aliorum exempla ſecutus, eam addiſceret ſenex, & quadragenario major celeberrimam Excell. DN. L. EDZARDI ſcholam iniret, quippe ex qua pleroſque Philologiæ Profeſſores, quos Germanorum Academiæ alunt, prodiiſſe habebat compertum. Privatim quoque in conſilium adhibuit incomparabilis Philologi veſtigia prementes filios natu maximos, operam ut traderent mutuam, atque hi Rabbinica docendo illius Matheſin docturi redimerent diligentiam.

XLVII. Theologiam ſtatuens a viatoribus nunquam poſſe nimium addiſci, impenſe ſibi gratulabatur, quod copia Hamburgi daretur, tum antiquas controverſias in mentem redi-

gendi, tum recentiorum fundamenta percipiendi. Qua de cauſa ab aureo Magnifici DN. D. MAYERI, Conſiliarii Regii, ore ſedulus pependit, & hunc in Gymnaſio docentem magna cum voluptate audivit, meditatas tanti Doctoris commentationes calamo excipiens, ne rerum ſelectiſſimarum faceret jacturam, ſed ut easdem unigenæ ſuo poſſet repetitis vicibus inculcare. Non deerant, qui hoc ſectandi Theologos ſtudium in ſene culparent, Momum imitati, quem cum Venerem non poſſet, ſandalium Veneris perhibent reprehendiſſe.

XLVIII. Laborum publice ac privatim exantlatorum pertæſus, prout omnium rerum datur ſatietas, libenter deambulabat, non famem obſonaturus, ſed ea lege, ut nunquam minus eſſet otioſus, quam cum otioſus, atque in otio de negotiis cogitaret. Etenim vel in ſacris, quæ ſolitudinem amant, verſabatur meditationibus, vel naturæ, quæ admiraretur, opera rimabatur, herbarum inprimis ac florum amœniſſimam varietatem tantiſper contemplatus, dum diſtinctis, prout loqui conſvevit, notionibus ſuum augeret alphabetum. Haudquaquam amor me fallit, aut adulandi ſtudium, a quo ætatem, tanquam ab inteſtino quodam morbo, abhorrui, ſi profiteri ſuſtineam, multos medicinam exercentes & immoderatis potionibus ægritudinem depulſuros a Botanica minus, quam VAGETIUM, eſſe inſtructos. Fidem aſſerto facturus teſtes excitarem locupletiſſimos, quotquot

quot comites habuit & ſocios, habuit autem non raro, deambulationis pariter atq; ſententiarum.

XLIX. Reliqua providæ naturæ myſteria ſcrutabatur ſolertiſſime. Vermes varii generis, alia itidem animalcula ſæpenumero alebat, ut horum naturam, incrementa & generationes pernoſceret, ne vermium hiſtoriam editurus ſeſe daret turpiter. Non animus deerat, non ſagacitas, nec pertinax induſtria, quæ phyſicis experimentis cum laude inſtituendis redderent imparem, ſed ſola cujusdam Alexandri liberalitas, quæ Ariſtoteli octingenta & quadringenta coronatorum millia fuit impertita, quibus venatores conduceret atque beſtias aleret, ut earum natura poſſet, remotis obſtaculis, explorari ſtudioſius.

L. Laudibus vehant alii Joſiæ Simleri modeſtiam, qua factum eſt, ut aliorum ſcripta, ex quibus fructus aliquis ad doctrinæ ſtudioſos redire poſſet, quam ſua, edere maluerit. Sint, qui Alardum Amſtelredamum vel eo nomine affirment optime de Rep. literaria meritum, quod Agricolæ ſcripta integra, quantum licuit, emendataque edi curavit. Noſter ſane gratias meretur immortales, quod manu JUNGII exarata ab interitu vindicavit, ne cum blattis & tineis, ceu Politianus loqui amat. *Epp. L. I. Ep. 1. p. 1.* rixarentur. Quamprimum enim Teſtamenti Jungiani curæ atque adminiſtrationi fuit admotus, nihil prius habuit nihilque antiquius, quam ut ſchedas B. JUNGII in ordinem revocaret.

Fuerat B. JUNGIO in more poſitum, curioſiſſima quæq; inter legendum obvia & in rerum natura vel a ſe vel ab aliis obſervata ſchedulæ peculiari una cum titulo inſcribere convenienti; Dein pluribus ejusdem argumenti ſchedulis generali titulo inſignitis, involucrum deſtinare; ex involucrorum deniq; manipulis integros colligere faſciculos, quos ſexaginta atque trecentos, poſtquam extremum vitæ diem Jungius morte confecerat, licuit numerare. Pleraque feſtinanti erant calamo exarata, lituras experta nec omnium mendorum expertia. Nonnulla vix poterant conjectura quadam reſtitui priſtinæ integritati. Herculeum poſtulabat laborem ipſa ſchedarum, etiamſi absque hæſitatione legi potuiſſent, copia. Tantis in laboribus ſe fregiſſent alii, ſed VAGETIUS eos, opera familiaris ſtudioſi, quem paulatim ſingula deſcripturum a manu habebat, exantlavit.

LI. Indefeſſo ſtudio, non ſecus ac apes e variis floribus mel congerunt, tum Iſagogen Phytoſcopicam, tractatum de Mineralibus, tum Hiſtoriam Vermium, tum Contemplationem ligni ex ſchedis collegerat. Primam juſſu reliquorum Teſtamenti Jungiani Adminiſtratorum typis curavit exſcribi. De reliquis cum typographo erat pactus, qui vero colophone Tractatui de Mineralibus nondum impoſito per aliquot annos traxit negotium, cujus moræ impatiens VAGETIUS ſuis ſumptibus faſciculum ſchedarum, cui Germaniæ ſuperioris ti-

tu-

tulus hæſerat, publici fecit juris, ut pro ſua virili ſuoque modo publicis ſtudiis aliquid adjungeret utilitatis. Hiſtoriam vero vermium ad umbilicum perductam ut ſuperſtes conſpicaretur, fuit denegatum.

LII. Induxerat in animum, quæſtum eſſe maximum, quam maxime aliorum ſervire commodis, & mentem beneficiorum memorem nulla non occaſione relinquere teſtatam. Quapropter non Jungianis tantum, verum & Fogelianis & Capellianis manibus ſuam declaravit fidem. In Lexicon FOGELII Philoſophicum, quod dudum publico deſtinatum edere tergiverſabantur Bibliopolæ, non exiguos fecit ſumptus. CAPELLI quoque pie defuncti Rariora Becceleriana, ut promiſſo ac recepto faceret ſatis, publico eſt inpertitus, nec multo poſt cura & ſumptu filii AUGUSTINI VAGETII, Gymnaſii tunc ſtudioſi, Byzantina ejusdem recenſuit.

LIII. Sic vitam tranſiit VAGETIUS publicæ utilitatis & aliorum famæ, quam ſuæ, ſtudioſior! Parum abeſt, quin prodigus temporis judicetur, qui frugali tamen victu brevique ſomno uſus eſt, ad hæc exercitatione aſſidua vim mentis intendit, ne non avare tempus diſtribueret. Verumenim vero is demum deamat Præceptores, Patronos colit, Commilitones æſtimat, & de Collegis meretur optime, qui nullam temporis ipſorum intermortuorum honoribus dicati jacturam fieri arbitratur.

LIV. Catonem Seneca vivam appellat virtutum imaginem. VAGETII ſane animum res adverſæ ita exercuerunt atque firmarunt, ut merito vivum conſtantiæ exemplar poſſit nuncupari. Longum foret nimis, ſingulas percenſere calamitates, quibus Deo viſum eſt Virum ſibi chariſſimum explorare. Joh. Geilerum accepimus in calendario ad nativitatis ſuæ diem adſcripſiſſe: *Dies calamitatis*. Complures VAGETIO illuxerunt dies eodem titulo inſigniendi. Sed arboris robur turbinis monſtrat procella, militis animum pugna declarat, quam peritus ſit nauta, in tempeſtate cernitur, & VAGETII conſtantiam quidam calamitatũ furnus examinavit. Non defuere adverſa, quibuscum certaret, certavit ut vinceret, vicit ut coronaretur. Eobanus Heſſus, quoties minus proſpera evenerunt, patientiæ nomen fertur pronuntiaſſe; Nec aliud placuit VAGETIO victoriæ genus, ſive ſubiti dolores inceſſerent, ſive caſus repentini imminerent.

LV. Digna potiſſimum eſt VAGETII patientia, eo, quo per luctuoſiſſimum incendium bonis erat exutus & valetudine privatus, tempore declarata, quam non homines tantum imitentur, ſed æthereæ quoque mentes admirentur. Quamobrem nec indigna fuerit tota incendii hiſtoria, quæ prolixius exponatur, præſertim quum ſalva fide nequeat præteriri, atque miſerabiles præſtantiſſimorum virorum ruinas a Joh. Biſſelio congeſtas notabili exemplo collocupletet, aut literatorum novercantis fortunæ

næ ludibriis illuſtrium hiſtoriæ a Pierio Valeriano adornatæ & a Tholdio auctæ, nec non ab Exc. Dn. Lic. PLACCIO novis acceſſionibus exornandæ, nonnihil pariat incrementi.

LVI. Anno MDCXCI. quinto & vigeſimo Maji die noctem dimidiam diei vigilem junxerat VAGETIUS, dein cubitum iturus ſe atque ſuos Deo precibus commendaverat ardentiſſimis. Sic enim conſveverat nullum apud domeſticos vel ſuo exemplo atheiſmum profiteri, ſubductis rationibus hanc ſummam omnium faciens cogitationum: *Pulchrum eſt, audire doctum, pulchrius, haberi prudentem, pulcherrimum, eſſe pium.* Nondum abſolverat preces, cum lenem & odoris non injucundi fumum ſentiret, qualis ex domo proxima ſæpius per rimas parietis intergerini ſeſe ingerere conſveverat, atque hinc triſtis animum ſubibat cogitatio: Bone Deus: Si me jam dormientem obrueret incendium? Solet in animis piorum præſenſio quædam futurorum & præſagitio ineſſe nunc extrinſecus injecta nunc incluſa divinitus. Sua vero animi fortitudine ac ſpe optimorum ſe ſuſtentans, futura enim quæ homines incerta expectatione ſuſpendunt non timere nimis, ſed firmo placatoque animo expectare didicerat, mentem ad ſupplicationes revocavit, cum Servatore precatus: *Non ut ego volo, ſed quemadmodum Deo placuerit, ita fiat.* Hæc meditatus, omnium laborum & ſollicitudinum perfugio, ſomno ſe dedit, qui arctior, quam ſolebat, defatigatum complecte-

batur. Ex hoc autem, vix elapſo horæ quadrante, a pulſante lectum, neſcio quo, excitatus, ut Loti exemplo præſentiſſimum ignis periculum effugeret, atque cum Petro potiorem metallis libertatem tueretur, proxime a lecto flammam eſt conſpicatus, per rimas parietis, quem cum vicino communem habebat, erumpentem, convaleſcentem, atque ligna, ciſtas aliaque impedimenta haurientem. Errarunt procul, quotquot, non dicam malevolentia ſuffuſi & infuſcati, ſed ſuſtinenda aſſenſione præcipitati, omnem incendii originem e ſobriis Viri nunquam improvidi lucubrationibus derivarunt. Peroranda mihi foret hominis integerrimi innocentia, niſi & dies & incredibilis vicinorum bonorumque omnium conſenſio ipſum extra omnem culpam cauſamque poſuiſſent. Parum eſt in annalium monumentis verſatus, qui religioſos atq; innoxios exortæ deflagrationis reos eſſe peractos, quod vel ſola Neronis hiſtoria poterat edocere, ignorat.

LVII. Verum redeat, unde deflexit oratio. Ad primum flammæ inopinatæ conſpectum timore perculſus vehementiſſimo, affuſis aquis ignem reſtinguere allaborabat. Sed, cum mali origo lateret, laterem lavit & aquam cribro hauſtam conſumſit inaniter. Itaque plenus ſubitæ ac improviſæ formidinis nutrimenta flammæ huc illuc diſperſit, ortum exuſtionis indagaturus. Tum vero vires quaſi collegit ignis, accenſaque ligna, quæ loco erant mota, tantam

evo-

evoluto nudatoque integumentis vim intulerunt, ut neque pes neque manus ſuum amplius facere poſſent officium. Privat nimia mentis perturbatio humanum corpus ſenſu, & nervos adeo nonnunquam intendit omnes, ut noſmetipſos robore vincamus. Quocirca nec VAGETIUS, quantam corpus flammis ambeſum feciſſet jacturam, ante ſenſit, quam pro tribus ex ſorore prognatis, quos benigne alebat, in vitæ diſcrimen ſe intuliſſet, atque bis in ignem lapſus ſingulis conflagrationis periculo liberatis præſtitiſſet ſecuritatem.

LVIII. Nemo caſuum ludibriis eximitur, niſi quem honeſta mors in fidæ tranquillitatis portum ſubduxerit. Quod ſi in medias collapſus flammas vivicomburium fuiſſet expertus, honeſta Viri conſilia non eventu, ſed ratione vera & officio fuiſſent metienda, ipſeque in beneficentiæ curſu vitam reliquiſſet. Quid enim aliud vitā abſtuliſſe vel infenſiſſimi judicaſſent, quam fidem & benignitatem? Verumenimvero divina clementia memor promiſſi: *Quum ambulas per ignem, non conſumeris*; ardore flammæ illum perire noluit, qui omnem periiſſe diem erat arbitratus, quo neminem beneficio quopiam ſibi conciliaſſet. Amphinomo & Anapo, Siculis fratribus, cum Ætnæ incendio Catana patria deflagrare cepiſſet, parentes humeris injectos per medios ignes ſervantibus, flammæ nullam intercluſerunt viam:

Erubuere pios juvenes attingere flammæ,
Et quacunque ferunt illi veſtigia, cedunt.

Nec VAGETIO, de ſuorum incolumitate magis quam propriis bonis ſollicito, ignis nimio fuit impedimento. Intra ſuas quondam ædes fuerunt cremati, qui ultima mortis gloria indigni judicabantur inimicis. *Bartholin. Antiq. Dan. Lib. I. cap. III.* VAGETIUM vero ædibus conflagratis inſtar torris ex incendio erepti juſſit ſupereſſe Deus, ut gloriam conſequeretur conſtantis in extremo agone victoris.

LIX. Non potuerunt nudis pedibus ſuæ conſulentem ſaluti & ad B. D. FABRICII ædes confugientem conſpicati, quin admiratione obſtupefacti illud Domini de Joſua teſtimonium animo agitarent: *Nonne hic eſt titio ereptus ex igne? Zach. III, 2.* Vix enim egreſſus domo erat, quam flamma ventis adjuta in favillas redactura videbatur, cum illa corruens totam VAGETII Bibliothecam una cum ſupellectile univerſa & deſideratiſſimis B. D. JUNGII Manuſcriptis abſorberet, atque poſſeſſorem nullis uſuris deditum in ſortem redigeret pauperrimam. Præſtiterit deperditorum neſcire catalogum, quam triſtem non recuperandorum memoriam refricare. Quædam Joh. Volkelii ſcripta jure omni Magiſtratus Amſtelodamenſis ultricibus commiſit flammis, eo quod ſummi rerum omnium arbitri gloriam impugnabant. Verum Ariſtotelem, perpetuis Jungii notis illuſtratum, & Manuſcripta reliqua, Dei honoribus conſecra-

ta,

ta, flammis ceſſiſſe, ſera poſteritas æque dolebit, ac Tubingenſes male habet, libros Johan. Stofleri, inſignis Mathematici, omnes ac inſtrumenta incendio fortuito interiiſſe.

LX. Singularem FABRICIANÆ FAMILIÆ favorem per triginta jam tum annos fuerat expertus. Quamobrem Fabricianas ædes unicum ſibi ſtatuit perfugium. In his intermiſſum eſt nihil, quod ad reficiendum corpus miſere afflictum & curam valetudinis pertineret. Nec alii defuerunt tum Collegæ tum Fautores, qui animum redderent miſero, & aquam quod dicitur, adſpergerent. Inprimis Experientiſſimus Reip. Phyſicus, DN. D. JOHAN. GARMERS nihil eorum fecit reliqui, quæ priſtinam corpori redderent valetudinem. Unicum deſiderabatur ſenectutis præſidium, filius ſtudiorum gratia in alma Leucorea commoratus. Hic ergo quamprimum reverti juſſus, ut quiddam quaſi animulæ inſtillaret patri, tum ægritudine inopinato nuntio incuſſa tum itineris moleſtiis obſequio ſuperatis parentem lecto affixum, diarrhœa defatigatum & febri hectica, quam ex terrore contraxerat, laborantem invenit. Non potuerunt filio oculi dolere vehementius, quam cum cernerent coram ſui genitoris corpus omni ex parte exhauſtum, vulneribus confectum caput, utrumque brachium juxta cum manibus ambuſtum, pedes denique & crura usque ad femur adeo lacerata, ut nudas daretur arterias intueri.

LXI.

LXI. Mœrore conficiebatur filius, ſed noverat parens medium unguem afflictionibus oſtendere acerbiſſimis, neque ab eo, in quo conſtiterat Chriſtianæ conſtantiæ ac patientiæ gradu per tot cruciatus deturbabatur. Tantum igitur abfuit, ut in conſilium ſuarum cogitationum adhiberet deſperationem, ut vigorem animi divinæ opis fiducia retineret, nec unquam de pia deflecteret ſententia. Demoſthenes & Cato moleſtiis fracti manus ſibi injecerunt. Terentius Afer propter octo & centum fabulas naufragio merſas ſpontaneo interitu e medio eſt ſublatus. Antonius vero Urceus, Grammaticorum ſeculi quinti & decimi princeps, eo quod igni, illata muſeo clade irreparabili, opera prelo parata conſumſiſſet, cum Servatore fuit ſtomachatus ſibique dira imprecatus omnia. Sed langvore ſolutum corpus VAGETII, moderate humanos caſus ferentis, animus æterna ſuſpiciens ſuſtentavit fortiter & recreavit. Homeri Nepenthes ſive omnem animi ægritudinem adolens Helenæ medicamentum Petrus laudavit Petitus. Diceres eo VAGETIUM abundaſſe, quandoquidem in nulla, ne graviſſima quidem, tempeſtate ſuccubuit, perpetua mentis tranquillitate gaviſus. Quadrat in VAGETIUM illud encomium, quod Dion Marco Antonino Imperatori tribuit: *In omni vita ſui fuit ſimilis, nec ulla in re mutatus.* Simulatque perditorum cogitatio animum ſubibat, in mentem redigebat illud Tullii: *Eſt ſapientiæ magni-*

gnitudiniſque animi, quid amiſeris, oblivisci. Amicis ſuam συμπάθειαν declarantibus quandam Stoicorum ἀπάθειαν reliquit teſtatam, nunc Germanorum idiomate: Mein Heyland hat mehr für mich gelitten: nunc Latina uſus dialecto: *Anguſtus eſt animus, quem terrena delectant.* Religandis vulneribus horæ per dies ſingulos quatuor erant impendendæ. Nihil tamen quicquam cruciatibus permovebatur atrociſſimis, irretorto vultu quælibet conſpicatus. Dirosne ſuſtineret dolores rogatus, poſſe tolerari regeſſit, effecitque ut non pauci ejus exemplo confirmarentur. Quæ conſignanti venit in mentem binorum Senecæ effatorum recordari: *Illud eſt, quod imperitos in vexatione corporis male habet, non aſſueverunt animo eſſe contenti.* Et denuo: *Virtus tantum bonum eſt, ut non ſentiat corporum varias offenſiones.*

LXII. Inſtrumenta, quibus ſub aqua flammam conſervarent, non paucos tenuerunt ſollicitos. *Act. Erud. Lipſ. An. 1689. p. 485.* Nec nulla ſollicitudine fautores atque auditores VAGETII urgebantur, quibus mediis æſtu febrique jactatum refocillarent. Pietatem Æneæ, quod, flammis Trojam corripientibus, infirmum patrem reportarit humeris, celebret Claudianus!

- - - - Provexit in aſtra
Æneam Phrygio raptus ab igne pater.

Nullo mihi ſilentio prætereunda eſt tum aliorum, tum GYMNASII, inprimis CIVIUM,

nun-

nunquam digne ſatis ac meretur commendanda liberalitas, qua, ceu refrigeratione quadam infirmum Præceptorem ac, ſi affectum ſpectes, Patrem ad vitam certatim revocarunt. Spondet filius, me interprete, animum tanti beneficii memorem, quamprimum Deus vires fuerit voluntate non inferiores largitus.

LXIII. In extremo vitæ actu pietatem declaravit, humana deſpexit, & animo neutiquam trepidante inter dolores exquiſitiſſimos. tranquillum ex hac vita diſceſſum præſtolatus eſt avidiſſime. Brentius de valetudine ac morbo rogatus, reſpondere eſt ſolitus: *ſe meliorem appetere ac deſiderare vitam.* Eadem melioris vitæ fiducia erexit ſe VAGETIUS, expectatamque moleſtiis undique circumfuſis levationem invenit. Sivvardus Danus, ſed Huntyngdoniæ Weſtmerlandiæ Cumberlandiæ ac Northumbriæ quondam in Anglia Comes, armis ante obitum indui facinus cenſuit heroicum. *Vid. Thom. Bartholin. Antiqu. Dan. Lib. I. cap. IV.* Paria de Maximiliano Egmondano, Buræ Comite, Thuanus *Lib. V.* literarum monumentis conſignavit. VAGETIUS ne animi firmitas vacillaret, neve inermem hora deprehenderet inevitabilis, omne ſuum præſidium omnemque armaturam ex Redemptoris vulneribus unice petiit ac impetravit. Ab humano auxilio deſertus Medicis nuncium remiſit, diſcupiens Deo reconciliari unirique arctius. Sacris a plurimum venerando myſteriorum præbitore, DN.

M.

M. HIERONYMO MÜLLERO, Archidiacono ad D. Nicolai meritiſſimo, procuratus, compoſito conſtantique animo fatum eſt oppertus, jugum mortalitatis tantiſper ſuſtenturus, dum juſſu ejus, qui defatigationi modum ſtatuit, e ſtatione ſua evocaretur. Multi rerum cæleſtium ignari nec alia, quam quæ ante oculos ſunt ac inani ſpecie retinent homines atque fallunt, probantes, cæca nec ſapiente digna trahuntur vivendi cupiditate, vitam, ſi foret integrum, ultra terminos a natura conſtitutos producturi. Verum quotquot de ſtabili adipiſcenda hæreditate cogitant, ad exitum ſine ulla tergiverſatione parati, ſummo vitæ arbitro ſe totos permittunt, pro nihilo putantes jacturam, qua res caducæ finiuntur.

LXIV. Noſter epulo refectus diviniori, in ea erat cogitatione defixus, ut divinæ obſecutus voluntati ex hac vita, tanquam ex diverſorio, in patriam tranſiret, laboris vacationem impetraturus ac perpetua moleſtiæ omnis vacuitate gaviſurus. Equidem, ſi per vires languore diuturno exhauſtas licuiſſet, ſupremam de reculis, quas e cineribus civium Gymnaſii benignitas conquiri curaverat, voluntatem reliquiſſet teſtatam, ſed mortalis vitæ ſpatium ante confecit, quam teſtamentum abſolveretur. Etenim omnibus muneris ſui partibus expletis ad diem Junii duodecimum, media ſexta matutina, poſuit ſarcinam, animæ vitam meliorem ſitienti oppido gravem, in ſanctam cœleſtemque civitatem

tem adſcriptus. Incredibile memoratu eſt, quam parum doluerit mens inſtantem veteris hoſpitii jacturam, in quo integros octo & quinquaginta annos binosque dies fuerat commorata. In portum enim ſempiternæ felicitatis ſe receptura, lecto extulit corpus ac filio reliquit ſuſtentandum.

LXV. Quam caſus iſte Tuus, VAGETI deſideratiſſime, flebilis dicam an glorioſus? viciſſim me & affligit, & ſolatur! Tua per ignem inſtar auri explorata fides ac defæcata eſt patientia. Tribus jam tum vicibus vel damno me auxit ignis vel interitum eſt comminatus, nec habeo certum, quonam mortis ſpiculo confoſſus in hoc mundi theatro poſiturus ſim perſonam. Tu nunc portum tenes: Nos in alto jactamur, quorſum tempeſtas nos delatura ſit ambigentes. Tu vitam es conſecutus, quæ cœleſti æternoque gaudio perfundat: Nobis tranſigenda eſt ætas, in qua nihil ineſt, niſi temporis miſerrimi propagatio. Superaſti anxietates, nec ærumnas pertimeſcis: Nos debilitamur moleſtiis & frangimur, dubios rerum eventus præſtolati. Ut vero & nos ex via, velut errantes revocati, domum aliquando fortunato itinere perveniamus, ad Tuam effigiem componemus mores, quippe qui bonam exiſtimationem, tanquam virtutis & eruditionis obſidem, nobis reliquiſti. Certum eſt ad Tuum exemplar, ratione duce, affectus redigere in poteſtatem, lædere neminem, pertinaciam odiſſe, averſari ambitionem, nul-

nullas prenſare dignitates, impetrandæ felicitatis ſubſidia petere a pietate, nihil denique unquam committere, quod infenſiſſimo nequeat committi. Noluiſti tumulo Tuo illud Solonis inſcribi: *Amicos meos mortem meam planctu & lacrymis proſequi volo.* Quocirca deſinemus lugere nobis ereptum, quem, quamdiu non amiſeramus, fuimus amiſſuri. Fieri tamen non poteſt, quin vigeat inter nos memoria Tui ſempiterna, & ſvaviſſimæ virtutum Tuarum recordationis dulcedine perfruamur, Tibi rude donato & ab ærumnis abducto ſanctam quietem impenſe gratulati.

EDITORUM CATALOGUS A FILIO CONSIGNATUS:

1. D. Joachimi Jungii Iſagoge Phytoſcopica, Hamb. 1677.
2. Ej. Harmonica.
3. Ej. Logica Hamburgenſis cum admonitione Jo. Vagetii. 1680.
4. Ej. Faſciculus Schedarum, inſcriptus Germania ſuperior. 1685.
5. Rudolphi Capelli Rariora Becceleriana, 1684.
6. Johannis Andreæ Mauri nachdencfliches Buch wider die Mahometiſche Lehre / in Germanicam linguam translatum a Rudolpho Capello 1685.

7. Joachimi Jungii Faſcic.Schedar. inſcr.Mineralia. 1685.
8. Stephani Moltichii Analyſ.Dianoët.Paradox, Cic. cum examine Jo. Vagetii, 1687.
9. Ej. Analyſeum Dianoëticar. Exercitationes, 1687.
10. Obſervationes quædam ad Logicam generalem compendiaria methodo tradendam. 1688.
11. Martini Fogelii Lexicon Philoſophicum. 1689.
12. Joachimi Jungii Hiſtoria Vermium. 1691. Hoc ultimum operum mortalium fuit, cui tamen ultimam imponere manum incendio eſt prohibitus.

MSta Vagetii nulla ſuperſunt, niſi quæ paſſim apud Auditores delitescunt ex ore ipſius calamo excepta.

Θρηνῳδία
IN LUCTUOSUM OBITUM
CL. DOCTISSIMIQUE
DOMINI
JOHANNIS VAGETII,
Logic. ac Metaphyſ. in Gymnaſio Hamburg. Profeſſ. ſolertiſſimi, συμπαθείας ἕνεκα ſcripta
à
JOACHIMO HENNINGIO,
Scholæ Hamb. Con-Rectore,
XVI. Cal Jul. cIↄ Iↄc XCI.

* * * * * * *

Quid quisque vitet; nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas: Hoc monet elegans
Vates Venuſino Parente
Editus Auſoniis in oris.
Teſtatur illud *Vagetius* pium
Doctumque noſtri Gymnaſii decus,
Poſt Jungium, & ſemper canendum
Fogelium, Logices Profeſſor.
Is mane munus publicitus ſuum
Explebat acris; poſt repetens domum
Privata curabat fidelis
Commoda ſollicitæ Juventæ.
Et ſic diem, quam longus erat, ſacris,
Pro more, curis atque laboribus

Gnavus terebat, poſt quiete
Corpus & ingenium levabat.
Infauſta ſed nox illius optimos
Turbare viſa & rumpere circulos,
Cum flamma, ſpem præter, coorta
Corripuit tabulata tecti.
Somno ſolutus ſurgere is illico,
Et cara quævis eripere ignibus
Dum forte tentat, læſus illis
Vix fugit ad bene nota tecta.
Hic ſedulo curatus, at igneos
Senſit dolores, quos placida tamen
Eſt mente paſſus, donec atræ
Hora necis fuit inſecuta.
Iſthæc pii quis non doleat Viri
Ac innocentis fata miſerrima?
Incerta quis vitæ putando
Non trepidet, metuatque cautus?
Nam quod cuiquam contigit antea,
Poſt & cuivis accidere id poteſt,
Cum mille res, actusque noſtros
Caſibus expoſitos ſciamus.
In tot periclis, quæ miſeros manent
Ex parte quavis, quid facias? Deo
Te da, Voluntas ſemper ejus
Optima, dura licet vocetur.
Permiſit huic ſe *Jobus* in arduis
Tot rebus, & vicit patientia;
Vagetius Jobum ſecutus
Fecit idem, & bene ceſſit illi.

Nam

Nam pro caducis & pereuntibus,
Æterna nunc illum recreant bona,
Quæ non edax ignis vorabit,
Nec populare latro valebit.
Hoc ſicut illum, ſic quoque nos idem
Soletur, arctis cum premimur malis,
Qui ſe DEO credit tuendum,
Ignibus in mediis beatus.

PROGRAMMA
IN FUNERE
CLAR. ET DOCTISSIMI

HENRICI SIVERI,

MATHESEOS IN HAMBURGENSI GYMNASIO PROF.
P. ET TERTIUM
RECTORIS ANNUI
MERITISSIMI

JOHAN. VAGETIUM,

COLLEGAM SUUM CONJUNCTISSIMUM UNDE TRICESIMO
DIE IN ÆTERNITATEM BEATAM
SUBSECUTI
QUOD DUCEBATUR
DIE XV. JULII CIƆ IƆC XCI.
P. P.

HAMBURGI,
EX OFFICINA NEUMANNIANA.

I. N. J. C.

VINCENTIUS PLACCIUS

J. U. L. Phil. Prim. & Eloq. P. P. Collegii Profeſſorii primus, perque reſiduum hujus anni

D. V.

PRO-RECTOR

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ALterum hoc funus Profeſſorium eodem nunc menſe ducimus: hoc ipſo priori etiam funeſtius Gymnaſio noſtro, atque luctuoſius. A quo tamen diritate facile ſuperabatur. Quando vir egregius, & de re Scholaſtica, atque litteraria optime meritus JOHANNES VAGETIUS, prope ſexagenarius, inopinato incendio tantum non vivus combuſtus, certe ſic ambuſtus eſt, ut ſemiuſtulato corpore intra menſem inde mortem oppeteret. Languebat jam tum inſecutus nunc eundem Præclariſſimus Collega & Rector Gymnaſii HENRICUS SIVERUS adeo, ex multiplici morbo, ut ne ſufficeret quidem amplius, ſcribendo amiciſſimo Collegæ Programmati. Quod, me quoque tunc in Tuſculanulo meo ruſticante, ne a Profeſſoria quidem manu ipſi datum, eo me ſtimulat magis nunc, ut juſta perſolvere quomodocunque annitar junctim utrique, conjunctiſſi-

 mo

mo mihi, ac inter ſe invicem per tot annos Collegæ. Invitante ad hoc ipſum etiam triſtiſſima occaſione conjunctorum adeo recentiſſimæ memoriæ dierum emortualium, non minus quam concurrentium in utroque plurimorum, vitæ ac mortis memorabilium, tanta ſimilitudine, ac pene paritate, ut de alterutro dicenda, etiam in alterum congruentia, *comparationem virorum duorum laudatiſſimorum* non quæſitam ſponte offerant, imo obtrudant. Quam tamen ipſam multo etiam lubentiori animo nunc inſtituendam aggrederer; niſi duo magna præ aliis nunc non memorandis impedimenta nimis illum impræſens difficilem, ac prope irritum redditura conatum aliquomodo ſuſpenſum animum meum tenerent. Horum alterum eſt anceps nimis & delicata comparationum ejuſcemodi, maxime quod ad mores & merita, in univerſum ratio, id conjunctum habens periculi: ne in quo genere virtutis aut laudum alterutrum altero inferiorem oſtendas, in eo quaſi vituperium mortuo dixiſſe, imo vitii oppoſiti reum ipſum peregiſſe, interpretatione, uti peſſima quidem, ſic tamen in vulgus receptiſſima, videaris. Jam vero ſi quod unquam bonum æque, ac vetus dictum, bene ſervari, hoc in genere ſcribendi, dicendique meretur; ſane illud eſt, quo *de mortuis niſi bene dicere* vetamur. Hujus adeo præcepti, circa bene mortuos, evidens ſatis eſt ratio, atque ſolida: quod omnis alias detegendæ, ad cautelam aliorum viventium,

um, etiam forte abſentium, malitiæ, ſuboriens quandoque neceſſitas, in mortuo, non amplius, ut habet Proverbium, morſuro, plane ceſſat. Verum enim vero hunc quidem obicem, ita ex animabus æquorum & bonorum Lectorum, (quibus ſolis probari nos & defunctos noſtros ipſorum intereſt & noſtra,) removeri poſſe ſperamus: ſi primum in mentem ipſis revocaverimus, quam diverſa inter ſe ſint, ac infinito ferme diſcrimine diſtantia; inæquales in virtute mentis & morum progreſſus, eventus atque ſucceſſus, eventus atque ſucceſſus externe conſpicui: atque defectus internorum eo tendentium conatuum, aut ad oppoſitum illis vitium conſultæ declinationes. Enimvero ita cum virtutis humanæ univerſo ſtudio comparatum eſſe certum eſt: ut conatum quidem rectum & propoſitum afferre ad molimina vitæ noſtræ ſingula & univerſa omnes utique debeamus, mala vero conſilia tota mente deteſtari. At quousque præſtari poſſit eventus, atque ſucceſſus, incurrentium in ſenſus bonorum operum, id æque ac aliorum omnium negotiorum, ac artificiorum exitus, penes eum ſolum eſt ſitum, penes quem omnia. Qui proinde neque ex eo noſtra æſtimabit merita, quod æquos profectus, aut effectus cum aliis, (forte majoribus ad id præſidiis virium, occaſionum, adminiculorum, in oblatis rebus aut perſonis ad horas variantium, inſtructis, vel certe minori obſtaculorum mole impeditis) non fecerimus: ſed juſtiori longe

judicio, militiam etiam infortunatam valde, ſi ſpectes eventum, attamen ſtrenue fideliterque militatam, præ feliciori multo, at ſegnius depugnata pugna, proindeque rem cœptam pro completa, voluntatem pro facto coronabit. Hujus imitatores ſi præbuerimus nos, uti par eſt, non modo non meminerimus pie defunctorum peccata, quæ ipſe in profundum maris, ac pone ſe abjecturum, neque recordaturum unquam toties promiſit: ſed & minoris eos meriti, nedum peccati reos nunquam cenſebimus, qui eadem quæ alii ſunt aſſecuti virtutum conſpicua inſignia, perinde non impetravere; fortaſſis internis conatibus interim, & exercendi ſe in bono fidelitate, ac aſſiduitate ſtudia illorum multis modis ſuperantes. Hoc ita præmonito, priorem eluctati difficultatem, adornandæ nobis comparationis, reſtat altera, inſuperabilior etiam tanto, quanto penitior, & peculiaris magis eſt ſcriptioni noſtræ præſenti. Cujus prima jam notanda paritas utriusque defunctorum, in eo ſeſe offert, quod de vitæ ſuæ hiſtoria neuter quidquam memoriæ conſignatum hæredibus ſuis, aut nobis reliquit. Sive quod uterque famæ ſuæ ac laudationis poſthumæ parum æque fuerit curioſus: ſive quod VAGETIANA quidem incendium, ex quo nec amictum quidem, imo nec corpus ipſum ſervare poterat, conſumpſit: SIVERIANA vero inter tot alias chartas reperiri nondum potuere. Accedit quod VAGETII ſuperſtes *filius unicus*

cus, ut aliis *virtutibus paternis*, ſic *& modeſtia patriſſans*, peregre nunc exiſtit: nec cum SIVERI amicis, aut cognatis ſermones mihi miſcere, altero ab urbe lapide ſemoto, diemque ſepulturæ maturare jubente hoc æſtu, tempeſtive ſatis non licet. Sicut nec illa, quæ ad Hiſtoriam Gymnaſii pertinentia, vel impreſſa, vel manuſcripta, & in his *Programma utriusque inaugurale* nunc licet intueri Ut adeo nihil fere ſuperſit, præter illa quæ ipſe cum utroque vivo collocutus ſum, aut egi, & *quorum pars magna fui*, commemorare, quantulum nunc eorum memoria, neque fida ſatis, neque prompta, datur recognoſcere: ne nullam plane in hæc legentium memoriam, viros ſane memoria noſtra digniſſimos, demus. At enim & ad ſermones cum vivis habitos quod attinet, iterum utriusque modeſtia περιαυτολογίαν omnem fugiente factum eſt: ut non niſi ea quæ celari non poſſent, etiam conjunctiſſima familiaritate ipſorum utentibus innoteſcerent. Eorum præcipua nunc ſuccurrentia hæc ſunt, in quibus aut *natura*, aut *fortuna*, aut *induſtria ipſos* propemodum *æquavit*. Primum quod uterque honeſtis, atque Chriſtianis parentibus, ſed neque claritatis magnæ, nec opulentiæ, prognatus, quicquid deinde nominis nactus eſt, hoc omne juxta Deum ſuæ debuit virtuti. Niſi quod in quantacunque rerum domeſticarum tenuitate tamen educatio contigit utrique bona: & quidem in Schola noſtra publica Hamburgenſi primum, deinde in

Gym-

Gymnaſio quoque. Ubi uterque *Jungio* cumprimis ſeſe ſic probavit, ut non in diſcipulis modo, ſed in amicis mox eſſet, & ad alios informandos iterum commendaretur. *Taſſio* etiam uterque, ſed magis etiam SIVERUS, tanquam Mathematum ſtudio ſe totum traditurus, multum utebatur. Suos hoſce Præceptores etiam defunctos dudum, tanta veneratione conſtanter ambo ſunt proſecuti, ut ſcriptis eorum editis prælegendis, & Manuſcriptis recenſendis partim & edendis (ex quibus nunc editorum Indicem a Bibliotheca mea remoto dare non eſt integrum:) ambo immorerentur. *Henricum Vagetium* etiam uterque audivit. *Lambecium & Gutbierium*, quos VAGETIO etiam auditos memorat illius Programma, SIVERUS noſter eligendos ad Profeſſorium munus ſua ad Academias profectione antevertit. *Bunckius* vero ibidem memoratus nunquam Gymnaſii Profeſſorem egit. Sic itaque Præceptoribus propemodum iisdem hi noſtri uſi ſunt pari uterque, ac inſigni ſedulitate, conſtantia, & fructu, donec Academias adirent. Non easdem quidem, ſed eadem diſcendi pertinacia, & conſimili fructu eo, ut redux uterque ad docendos alios animum utiliter appelleret; quamvis in diverſis & locis, & generibus ſtudiorum. Nam VAGETIUS quidem anno ætatis ſuæ 29. *Scholæ Regiæ Verdenſis publicæ Rector* creatus eſt, quando SIVERUS hic Hamburgi Mathematica præcipue, nonnunquam tamen etiam Logica

gica Collegia, pro conceſſa pridem ad id a beato Taſſio & Jungio, legitima facultate celebravit; donec anno hujus ſeculi ſeptuageſimo quinto, *uterque Gymnaſii Profeſſor Publicus* eſt renunciatus: non tamen ſimul, ſed ita, ut defuncto prius Doctore *Martino Fogelio* ſub initium ejus anni jam inaugurato, ſub finem demum ejusdem VAGETIUS ſuccederet, Collegio noſtro Profeſſorio per ipſum, & nominatim quidem beato Doctori Michaeli *Kirſtenio* Præceptori meo quondam, tunc vero Collegæ honoratiſſimo, *mihique* commendatus; vocatis ad hoc ipſum a graviter jam decumbente, ac morti vicino. Nocte quæ mortem ipſius anteceſſit proxima, & quidem concubia. Tantæ neceſſitatis judicabat, præ omnibus id temporis aliis prævidendis candidatis, hunc quem nemo noſtrum aut Ampliſſimi Collegii Scholarchici noviſſet ſibi ſucceſſorem procurandum flagitare. Quod ad domeſtica noſtrorum pie defunctorum attinet: fuit uterque cœlibatus quam conjugii amantior. Nam VAGETIUS quidem, finito vix annuo primo conjugio, cum lectiſſima Virgine ANNA ex Nobili familia DE LITHE oriunda, nunquam licet oblatis ſatis bonis atque pinguibus conditionibus, ad ſecundas nuptias permoveri potuit: SIVERUS vero ne ad primas quidem, non quod cum Heinſio dubitaret, an litterato viro ducenda eſſet uxor, ſed quod gravi clauditate, ac graviori etiam hernia inteſtinali præpediretur. Solitariam igitur, ac fruga-

galem vitam uterque ſemper egit: & magis quidem adhuc VAGETIUS SIVERO. Neuter tamen adeo erat a converſatione,ac feſtivitate alienus, quin & convivia frequentaret, ac alea luderet, jocaque cum amicis æque ac ſeria miſceret. Quod vero magis ad rem pertinet, fuerunt *officii* ſui *publici* totis hiſce *ſedecim annis* uterque *fide ac diligentia docendi*, adeo pares, ut uter alterum ſedulitate ſuperaverit, non dixerim. Id habebant diſcriminis, quod VAGETIUS ſeveritate, SIVERUS feſtivitate majori uteretur, habens hoc a beato Jungio, quod inſipidiſſima etiam ſtudia, leporum amœnitate condiret. Cæteroqui vixere mecum & cum toto *Collegio Profeſſorio*, toto iſto tempore *ſine querela.* Quippe qui quod ſciam, neminem unquam geſtu, nedum verbo & facto quenquam offenderint. Adeo omnes facile perferre ac pati,ac quoties de aliqua re diſſentiendum videbatur, *comiter* & *modeſte* ſuffragii diverſitatem rationibus ſolis probare. *Candide, ſincere, plenaque fide & probitate* ſemper agere. Ut adeo ſimiles eorum ſucceſſores, mecum ab univerſo Collegio Profeſſorio exoptari, plane ſim certus. *Auditoribus* etiam *Gymnaſii* noſtri quantopere ſe probaverit uterque: quod ad SIVERUM quidem, conſtans eorum (pro ſtudii illius certe iniqua nimis nunc apud Juventutem plurimam æſtimatione) frequentia; quod ad VAGETIUM vero etiam *extraordinaria* in exutum exuſtis bonis *liberalitas*, atque *officioſitas*, æmulatione certa-

ta-

tatim omnium ſpontanea exercita, indubitato eſſe poteſt argumento. Ita quod ad ſummam & præcipuam vitæ ſuæ partem in tam multis pares, in aliquibus etiam extremorum vitæ paritas aliqua manſit. Quando non ambiguis accedentem paſſibus mortem, integrique menſis ſpatio ſenſim appropinquantem uterque potuit quaſi prævidere. Unde & ſacra ſynaxi animæ, ac condito etiam teſtamento reculis ſuis uterque proſpexit. Quamvis Vagetianum Teſtamentum morte præveniente conſummari nequiverit. Quod ad cauſſam mortis toto genere diverſam, & eam tamen aliqua ſimilitudo æquavit. Quando prior quidem acceptis ex uſtulatione vulneribus, poſterior ex paralyſi, dextra manu, dextroq; pede uti prohibitus, quaſi dimidia ſui parte ſibi præmoriebatur. Erat ſane mihi paucos ante mortem dies utrumq; viſitanti ſpectaculum ut in eo triſte, quod ſenex, & amicus collega uterque, nec dextram mihi jungere, nec cibum niſi aliena manu capere poſſet: in eo tamen etiam lætum, quod uterque tam forti animo ſua tam gravia incommoda perferret. SIVERUS ſane, poſt habitos aliquos alios de rebus aliis ſermones ſuper expectatione mortis hilari compellanti, reſponſum adeo plenum fiduciæ in Deum dabat; ut quod adderem præter votum conſtantis usque ad mortem continuationis non haberem. VAGETIUS vero etiam dolores ſuos, & cruciatus, cum jactura omnium bonorum, & in hiſce chariſſimorum ſibi Manu-

ſcri-

ſcriptorum ſuorum & Jungianorum, miraculoſa plane reſignatione, atque indolentia ferebat: ut nec ſuſpirio, nec verbulo ullo luctuoſo amiſſa proſequeretur, ſed Deum laudaret in omnibus. Ut appareret, ipſum *Theologiæ* non fruſtraneam operam navaſſe, ſed ex Apoſtoli præſcripto, *primos fructus* agricolationis ſuæ *ſibi præcepiſſe*. Et hæc quidem ſunt, quæ ad comparationem Virorum horum perinſignium nunc licuit in medium afferre. Cætera, ubi tempus ſiverit, ulteriori adhuc indagatione colligenda, maximeque vitæ alterutrius ſeorſim conſcribendæ memorabilia, vel *Hiſtoriæ Gymnaſii Hamburgenſis*, vel Viri Clariſſimi JOHANNIS MOLLERI Flensburgenſis *Cimbriæ litteratæ*, volente Deo fient acceſſiones. Interim nunc *ad funus* nupero die X. Julii defuncti SIVERI, quem die 12. Junii Vagetius anteceſſerat, omnes *eruditos & Cives peramanter, & honorifice invitamus. Cives* etiam *Gymnaſii* noſtri ſuam erga Præceptorem meritiſſimum pietatem publice teſtaturos utique ſpero, imo confido. Quod ut honori nonnullo pie defunctis, ita majori multo ipſorum cedet. Ante omnia vero & ipſos ſui boni gratia admonitos, & *ſingulos ac univerſos* hæc legentes, rogatos ſerio & *obteſtatos volumus*, ut totuplici virtute paribus (quibus aliæ multæ adhuc addi debuerant, ex cauſis ante dictis nunc ſilentio præmittendæ) *non indignos ſucceſſores Deum* datorem omnis boni orent, *exorent*

In Nomine Jeſu Chriſti.

AD

AD
SOLENNE FUNERIS,

QUOD

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
CONSULTISSIMOQUE

VIRO,

DN. DANIELI BÜTTNERO,

J. U. L. ET PHYSICES AC
POESEOS PROFESSORI PUBLICO CELEBERRIMO,

DIE XVI. SEPTEMBRIS DUCETUR,

NOMINE
COLLEGII PROFESSORII

INVITAT
EBERHARD. ANCKELMANN.
LING. HEBR. PROF. PUBL. ET
NUNC RECTOR.

HAMBURGI,
TYPIS CONRADI NEUMANNI
SENATUS ET GYMN. TYPOGR.

יהוה צדקנו

SI vitæ exceſſu vel penitus delerentur homines & interirent, vel corpus ſaltem ſine certa inſtaurationis ſpe exſtingueretur, graviſſimis ſane ducerentur cauſſis, qui non lugent modo defunctos, verum etiam prorſus indulgent dolori, nec in lacrymis modum aut terminum reperire poſſunt. Sed quod anima poſt mortem permaneat, ſapientiſſimi quoque Ethnicorum agnoverunt, qui voluminibus integris hac de re commentati ſunt, & multas nec pondere ſuo carentes rationes attulere. Revocanda ad vitam corpora negarunt plerique, ac non niſi ab inſanientibus defendi poſſe crediderunt: alii quaſi per umbram id ſuſpicati ſunt, ſed tam frigide ſuam expoſuerunt mentem, ut vel ex eo appareat, in graviſſimis illos erroribus, & maximarum rerum ignoratione fuiſſe verſatos. Inter Judæos olim celebris fuit Sadducæorum ſecta, quæ in negantem, proh nefas! ivit ſententiam, & rectius ſtatuentibus controverſiam movit, erroremque tuita diu eſt, ac propugnavit. At hodie dimiſſa ferme Sadducæorum opinio eſt, celeberrimique Judæorum Scriptores, paucis exceptis, etiam in eo conſentiunt, *mortem non eſſe interitum corporum, penitus ea tollentem atque delentem; diem vero venturum eſſe, quo, non alia quam quæ nunc circumferimus, corpora iterum cum animabus conjungantur.* Quamvis illud negari nequeat, quod veritatem variis nugis ſomniisque more ſuo corrumpant, ut vel ex illa de oſſicu-

ſiculo nunquam computreſcente & rore e cælo hujus rei cauſſa delapſuro fabula patet, quæ vehementer abſurda eſt, ac inepta, & vix commemorari obiter, nedum prolixe refelli falſitatisque argui & convinci meretur. Nos neque veterum Sadducæorum impietas, neque recentiorum, quos Judæi habuerunt, Magiſtrorum nugæ & fabulæ commovent, ſed ſtamus pronunciato DEI, quo, *poſt mortem ſuperſtites animos, & corpora vitæ aliquando reddenda eſſe*, accurate conſtat, ut omnis anſa dubitandi ſit ſublata, nec quisquam poſſit contradicere, aut repugnare, niſi pertinaciter impius & impie pertinax omnem Supremi Numinis reverentiam exuat & deponat. Illuſtre ſane DEI teſtimonium eſt, nec poteſt non mirifice audientes accuratiusque perpendentes delectare, quo Chriſtus omnes Sadducæorum argutias eliſit, atque ita confudit adverſarios, ut, quod regererent, non invenirent, אנכי אלהי אביך אלהי אברהם אלהי יצחק ואלהי יעקב *Ego ſum DEUS patris tui, DEUS Abrahami, DEUS Iſaaci, & DEUS Jacobi. a)* Vox plena conſolationis, quæ rerum omnium Conditori adeo nos curæ eſſe admonet, ut non viventium modo, ſed etiam defunctorum ſit DEUS. Nam ſi ab hero clementi ſervi, a parentibus propitiis liberi, ſibi non parum pollicentur, nec pollicentur ſolum, ſed exſpectant, nec exſpectant ſolum, ſed exſpectatione longe majora accipiunt: quid non a DEO, qui ſervorum

a) Exod. III. 6.

rum, qui filiorum nomine pios dignatur, nobis habebimus polliceri? Illene, qui improbos tot beneficiis afficit, qui vitæ uſuram ingratiſſimis tam diu concedit, filios ſuos, quorum ſe DEUM appellat, aut prorſus interire & exſtingui pateretur, aut corpus tamen, alteram hominis partem, daret oblivioni, & ſine ullo gaudii ſenſu per omnem æternitatem, quam nulla temporum circumſcriptio metietur, relinqueret? Illene corpus, quod non minus, ac animam, antequam tempus exiſteret, ſanguine Filii ſui pœnis æternis eripiendum decrevit, quod fœderis ratione DEO obnoxium, & ſanctiſſimi Spiritus templum fuit, in quo commoratus eſt & habitavit; oculos, qui legendis literis a DEO profectis; aures, quæ DEI verbis toties jam in caduca acerbitatisque pleniſſima vita fuerunt recreatæ; linguam, quæ DEUM laudibus celebravit, & reliqua membra, quibus ad Triunius DEI gloriam uſi fuerunt pii, aula cœleſti excluderet in perpetuum, nec ullo amplius beneficio dignaretur? Non id permittit affectus Ejus plusquam paternus in pios, & Filii DEI ſanguine unice confiſos. Paulus Hebræos edocens, quod DEUS non erubuerit, Patrum Θεὸς ἐπικαλεῖσθαι, rationem hanc ſubjicit, *urbem illis a DEO in cœlis præparatam. b*) Atqui non ſolius animæ, ſed totius hominis DEUS dicitur: nullam igitur partem a procuratione ſua volet exceptam, nec animam tantum, ſed corpus etiam in eam, quæ longe me-

b) Hebr. IX, 16.

meliori jure, quam Roma olim, URBIS ÆTERNÆ nomen gerit, introducet. Quod ſi jam pauciſſima verba hæc tantum ponderis habent, & id, quod volumus, tam clare, & luculenter conficiunt, quid dicemus, de tot aliis Codicis Divini teſtimoniis, *c)* quibus res ad vitam pie fortiterque agendam pulcherrima ſummeque neceſſaria ex inſtituto proponitur & inculcatur? Videtur omnino DEUS hominum imbecillitati voluiſſe conſulere, dum non paucis quibusdam, ſed innumeris ferme locis, eadem quæ nunc geſtamus corpora nobis olim reſtituenda eſſe, verbis ſignificantiſſimis, & quæ nihil exceptionum patiantur, edocuit; ne magnitudine & difficultate rei moveremur, aut fluctuaremus animo, ac idem nobis accideret, quod auditori Ciceronis evenit, qui Platonis de animo commentarios legens aſſentiebatur facile, ubi vero compoſito libro de animorum immortalitate cogitabat, elabebatur omnis aſſenſio, nec illa amplius, quæ legens probaverat, ſed alia omnia ſequebatur. De quo cum nobis jam certo conſtet, quid adeo eſt, quod calamitatibus, aut morbis, aut ipſa denique morte vehementius terreamur, cum eadem membta, quæ nunc per exiguum temporis ſpatium (ſiquidem cum æternitate componamus,) variis doloribus

c) Ijob. XIX. 25. 26 27. Pſal. XVII. 15. Daniel. c ult. v. 2. &c. &c. Joh. V. 25. 28. 29. VI 39. 40. 44. 54. XI. 25. 26. Rom IIX. 11. XIV. 9. 11. 1. Cor. XV. 20. 21. 22. 42. 43. 53. 54. 55. 2. Cor. V. 10. Philip. I 20. 21. Apocal. XX. 12. 13. &c. &c.

bus conflictantur, aut in pulverem redacta jacent, olim Supremi Numinis conſpectu, & ſempiterna felicitate, fruitura confidamus? Atque hoc ipſum fuit, cujus cogitatione, debilitatis proſtratisque viribus, ſe ſolatus eſt, animumque contra formidinem mortis firmavit ac erexit *Nobiliſſimus*, *Ampliſſimus*, *Conſultiſſimusque Vir*, *Dominus* DANIEL BUTTNERUS, J.U. L. & *Phyſices atque Poëſeos Prof. Publ. Celeberrimus*, *Fautor*, *Amicus*, & *Collega*, *dum viveret*, *conjunctiſſimus*. Qui quando rebus humanis nuper exceſſit, noſtri nunc eſt officii ire conſultum memoriæ, & elogio proſequi pie defunctum, ac univerſam vitæ imaginem paucis delineatam proponere, & poſteritati commendare. Itaque, *Mindæ* ſeculi hujus Anno XLII. 18. April. vivendi initium habuit, parentes probos ac conſpicuos nactus, *Patrem* quidem EVERHARDUM BUTTNERUM, civem, & non ultimæ ſortis mercatorem, ex THOMA BUTTNERO, qui itidem emendis vendendisque mercibus quæſtum fecit, & ELISABETHA SCHWERDT-FEGERIA prognatum, *Matrem* vero AGNETAM FISCHERIAM, CASPARIS FISCHERI & WAHLBURGÆ a SUTZEN filiam: qui nihil habuerunt prius, quam ut filiolus, quem DEUS dederat, DEO redderetur. Initiatus Chriſtiano ritu ſacroque ablutus fonte, *nomen* DANIELIS accepit, quod pactum cum DEO fœdus in memoriam revocaret perpetuo, & exemplo

Viri

Viri DEO cariſſimi ad veram minimeque fucatam pietatem excitaret. Ut primum dimidiata tentavit verba, dederunt operam, ut Chriſtianæ religionis capita diſceret, animumque tenellum diligentiſſime ſalutaribus monitis inſtruxerunt. Cumque felicis ingenii documenta mature daret, ſtudiis conſecravere, nec labori, aut ſumptibus ullis parcendum arbitrati ſunt, ne ætas diſciplinæ aptiſſima præterflueret, ſed iis artibus inſtitueretur puer, quorum fructus deinde per omnem vitam permaneret. Primo domi in patria literas hauſit, poſtea ad *Hervordenſem Scholam* amandatus eſt, ubi per triennium commoratus *Athenæo Bremenſi* civem dedit. Hic iterum ſubſtitit per tres annos, ac inſigni ſolertia incubuit liberalium artium ſtudiis, non facile tempus otio prætermittens, ſed eo totis enitens viribus, ut ad Præceptorum vota ſe componeret, ac quotidie novis doctrinæ acceſſionibus augeretur. Cœpit quoque *rerum naturalium ſcientiam* excolere, quæ non ſolum maxima ſuavitate commovet animos, ſed & inſignem affert utilitatem, ut eum, qui diligentius paulo navarit operam, non facile tædeat aut pœniteat laboris. Tempus jam videbatur, ad majora accingi, & in publicam Academiarum lucem progredi, ſtudiaque ſua, quibus eo usque tam feliciter illaborarat, ad quandam quaſi maturitatem perducere. Quare An. MDCLXIII. *Francofurtum ad Oderam* ſe contulit, & magno niſu *ſinuoſa juris volumina* excutere aggreſſus, ac inſigni ſoler-

tia & indefeſſo labore illud conſecutus eſt, ut caput exſereret inter commilitones, quorum permultos longo poſt ſe relinquebat intervallo. A. LXVI. *Mindam* redux non diu permanſit in patria, ſed tribus menſibus finitis abiit *Hamburgum*, & quæ didicerat cum aliis communicare inſtituit, quo viam ſibi tritam commonſtrando prodeſſet diſcendi cupidis, & docendi rationem ipſe perſpiceret, ac exercitatione quadam, cujus ad hanc rem ingens momentum eſt, complecteretur. Animam præparari doctrina, confirmari peregrinatione decet, ne libris perpetuo imminens omnem prudentiæ vim a commentariis arceſſat, verum urbes regionesque perluſtret diſſitas, & varios intueatur mores, atque rerum ſtatum habitumque ſolerter obſervet. Quod probe perpendens NOSTER haud prætermittendam occaſionem duxit, quæ LXIX. offerebatur anno, cum Generoſus Dominus Wulff von Brockторff evocaret Hamburgo, filioque ſuo præficeret, cujus tum ſtudia tum itinera moderaretur. Hunc igitur *Erffurtum* primo ad mercatum bonarum artium deduxit, ubi per tres annos & dimidium commorati ſunt, & egregiam quam ſibi comparaverat juris ſcientiam non tantum auxit NOSTER, & expolivit, ſed etiam ita demonſtravit, ut dignus Patribus videretur, cui ſummos in utroque jure honores capeſſendi LICENTIAM, quam vocant, publico ſolennique conferrent ritu. Atque ne ſolus is honor eſſet, adjecit alium Reveren-

rendiſſimus Moguntinus Princeps Elector, demandato *Extraordinarii Legum Profeſſoris* munere, quas partes magno cum ſtudioſæ gentis applauſu fructuque adminiſtravit, & diſſertationibus plurimis facem prætulit iis, qui nobiliſſimæ ſcientiæ cupiditate ducebantur. Datam autem Broctorſio fidem liberaturus A. LXXII. ad iter ſe accinxit, & cum curæ ſuæ commiſſo comite magnam *Germaniæ* partem emenſus eſt, mox *Italiam* adiit *Galliamque*, florentiſſimas urbes & Viros in quovis doctrinæ genere excellentes ſalutavit, oculisque ſubjecit ea, de quibus alii fama tantum ſolent accipere. Anno LXXIV. tandem in *Holſatiam* rediit, itinere feliciter & ex animi ſententia confecto, ut inde magnam voluptatem caperet Generoſus Parens, nec minus haberet gratiam BUTTNERO, & referret. Porro conceſſit *Kilonium*, & Scholas privatas aperuit, quibus multum profuit Civibus Academiæ, & biennium ferme conſumſit, permanſurus diutius, ni Nobiliſſimi BLUMII Filius intercesſiſſet, cui videndi *Belgii*, & *Galliæ Britanniaque* adeundæ cupido hic potiſſimum dux & moderator eligendus videbatur. Itaque ceſſit precibus BLUMII, nec itinerum moleſtiis territus eſt, quæ perlatæ afferunt delectationem, & incommoda priſtina dulci recordatione compenſant. Anno ſequenti revertit Kilonium, facile tamen alias ſibi ſedes quærendas intellexit, cum belli tempeſtas nondum pugnare in literas, & ſapientiæ ſtudia turbare atque im-

pedire deſiiſſet. Quare paruit neceſſitati, & illo difficilimo tempore, facieque rerum triſtiſſima, relicto Kilionio, *Hamburgum* venit, ubi jam olim triennium ferme exegerat. Grato tamen animo ſemper proſecutus eſt ſummam SERENISSIMI HOLSATORUM DUCIS DN. CHRISTIANI ALBERTI b. m. benevolentiam, qui ſpem luculentam certamque fecerat, fore, ut primo quoque loco vacuefacto ordinarii legum Profeſſoris ſpartam in hac celeberrima Academia nanciſceretur. Phyſicam & Poeſin publice in *Hamburgenſium Gymnaſio* profitendi munus Ampliſſimi DN. Scholarcharum Collegii decreto deferebatur NOSTRO A. LXXVIII. 24. Octobr. quam provinciam paulo poſt ingreſſus eſt ſolenni ritu, nec in ea adminiſtranda ullis laboribus, quorum patientiſſimus erat, pepercit. Cum enim verſaretur in foro, & cauſſis agendis operam daret Vir in Jurisprudentia verſatiſſimus, permagnam diei partem occupabant collegia multa, & varia, quibus præibat Auditoribus, & commonſtrabat rationem ſtudiorum, ac quæ didicerant diſſerendo diſputandoque illis inculcabat. Quam multos ſtiterit, qui non ſolum privatim, ſed & publice, vel orationibus ad numeros redactis, vel diſſertationibus ex rerum naturalium ſcientia petitis, ſui periculum fecerint, vel nobis tacentibus notum eſt, & prælectionum noſtrarum indices ſatis teſtantur. Nec de privatis laboribus, quos in auditoribus inſtituendis colloca-

ca-

catos habebat, quicquam minuere ſolitus eſt, cum accederent curæ Rectoratus, quem bis geſſit, geſturus tertio, ſi venturam æſtatem licuiſſet attingere. Imo morbo laborans graviſſimo, quotiescunque ſpes aliqua recuperandæ valetudinis affulgebat, adeoque vix undecim diebus ante, quam rebus evocabatur humanis, conſilia de lectionibus inſtaurandis agitavit, & illud tulit graviſſime, quod diuturno prohiberetur malo, quo minus tueri partes & officio facere poſſet ſatis. An. LXXIX. uxorem duxit, lectiſſimam Virginem, BARBARAM, DIETERICI BOHLMANNI mercatoris primarii filiam, cum qua conjunctiſſime ſvaviſſimeque convixit. Octo omnino liberos ex ea ſuſcepit, quorum dimidia pars cœlo jam olim ceſſit, & nunc cum Parente, procul omni dolore, gaudio vere ſolido ac ſempiterno fruitur: filius unus & tres filiæ adhuc ſunt ſuperſtites, ac deſideratiſſimi Parentis obitum, cum matre vidua acerbe lugent. Utebatur valetudine ſatis commoda, & firmo corpore, iisque prorſus viribus, quæ vegetam ſenectutem pollicerentur. Verum quid incertius, quid inconſtantius eſt hominum valetudine, quæ caſibus repentinis patet, nec unquam verſatur in tuto, ſed vitri inſtar, cum maxime ſplendet, frangitur, & tum præcipue oſtendit, quod fuit? *Sex menſes* ſunt, ex quo NOSTER vehementi laborare cœpit morbo; qui diuturnus fuit, & varius, ac tandem totius corporis viribus exhauſtis vitam intercepit. Ipſa,

qua

qua CHRISTI de morte triumphus ab Eccleſia celebrari ſolet, hebdomade, *ardente* corripiebatur *febri*, ut vel temporis ratio ægrotum ſolari, vitæque melioris afflicto corpori quondam reddendæ admonere videretur. Hæc tres circiter menſes traxit: receſſit tamen, ut ſpe duceremur haud levi, infra fore malum; fractoque morbo vires paulatim redituras. Verum *tuſſis* & pectori incumbens anguſtia ſucceſſit, quæ, quamvis interdum leniretur, nunquam depelli potuit, donec omne depopulata corpus denique ſpiritum extorqueret. *Obitu* placidiſſimo ſolutus eſt *die 9. Septemb. hora 3. matutina*, plenus ſpei ac fidei, cum LIV. *annos* & V. *menſes* vivendo confeciſſet. Ante hos XIIX. annos læti gratanteſque præſtitimus recens deſignato Collegæ officium, & ex hac tabula publica indiximus conſtitutum ſolemnibus diem: nunc triſti lugentique animo, proh dolor! ſupremo fungendum eſt officio, quod nobis ex conſuetudine veteri, & Rectoratus, quem iterum gerimus, ratione incumbit. O. O. *Viros Honoratiſſimos*, ut pompam funebrem, quæ *die* XVI. ad *Ædem Nicolaitanam* ducetur, prolixe comitari & proſequi velint, peramanter & honorifice rogamus, atq; invitamus. *Gymnaſii Cives*, ut vivi Præceptoris opera uſi ſunt, ita defuncti exequias vel non moniti frequentes exequentur. P. P. Hamb. die XVI. Septemb. An. Chr. MDCXCVI.

IN

IN FUNUS
M. DAN. ARNOLDI,*
RECTORIS SCHOLÆ JOHANNEÆ BENE MERITI.

Hier liegt der Jugend Haubt/die Blume der Gelehrten/
Der wohlberedte Mund / den wir mit Luſt anhörten/
Herr Arnold/ unſer Ruhm/ die Fackel dieſer Zeit/
Verhüllet in ein Tuch der letzten Sterbligkeit.
Apollo ſelber wird durch dieſen Fall bewogen/
Und hat ſein güldnes Haar mit ſchwartzen Flor bezogen.
Sein gantzer Helicon legt ſich an unſern Strand/
Und ſpielt ein Todten-Lied mit Kunſt gelehrter Hand.
Die Wayſe Schule klagt um ihres Vaters Gaben/
Ach! ſagt ſie: Kan ich ihn denn niemahls wieder haben/

Den

*Natus Bergedorfii A.1595.21.Jun. Con-Rectorem Scholæ Luneburgenſis geſſit ab A.1622. Hamburgenſis ab A.1623. atque deinde Rectorem ab A.1641. Uxor 1.) Margaretha Ditmaria, vidua a Con-Rectore M. Jo. Starckio relicta, ex qua ſuſcepit filios quatuor, filias duas. 2.) Gertrudis, vidua relicta a Benedicto Glückio, Pharmacopolii Senatorii præfecto. Diem obiit ſupremum A. 1651. 18. Junii.

Den allerbeſten Freund? ach! nein es iſt zu ſchwer;
Vergeblich rufft man nur die Todten wieder her.
Wenn du gleich ſüſſer noch als Orpheus würdeſt ſingen/
So könt' es keinem doch die Seele wiederbringen/
Die ſchon dem Charon hat ſein Fahr-Lohn zugeſtellt/
Hielt ſie gleich noch ſo viel bey uns und bey der Welt.
Wie wann die Lilie prahlt auf ihrem bunten Bette
Mit aller Blumen Schaar des Sommers um die wette/
Und durch ihr weiſſes Kleid an Zieraht ſchöner lacht/
Als vormahls Salomon in ſeiner höchſten Pracht;
Der rauhe Boreas/ der Stärckſte ſeiner Brüder/
Die Felder überſtreicht/ und reiſſet ſie darnieder;
Die Neſſel aber ſteht/ wie wenig man ſie ſchätzt/
In ihrer vollen Blüht/und bleibet unverletzt:
So läßt ſich auch an uns der Grimm des Todes ſpühren/
Er pflegt gemeiniglich die Beſten weg zu führen;
Er rafft die Tüchtigſten aus jedem Alter hin:
Witz/ Tugend/ Frömmigkeit bricht nichts nicht ſeinen Sinn.
Ihr auch/ Herr Arnold/ war't den Lilien gleich zu ſchätzen/
Wie könnt uns der Geruch von Eurer Kunſt ergötzen!

In ſolcher Lieblichkeit/ und angenehmer Zier
Kommt unverhofft der Todt/und nimmt Euch weg von hier:
Wir trauren oder nicht/ wir tröſten oder klagen/
Ein jeder muß das Joch an ſeinem Halſe tragen/
Das ihm hat aufgelegt der Sünden ſchwere Schuld.
Drum laßt uns dieſes auch ertragen mit Gedult.

Peter Lütkens.

PRO-

Digitized by Google

PROGRAMMA
IN FUNERE
Adm. Rever. Ampliſſimi, & Clariſſimi
VIRI
DOMINI
M. HENRICI DASSOVII,
Poſt alias alibi obitas Honoratas functiones
Scholæ Johannææ Hamburgi
RECTORIS
optime meriti
Rogatu amantiſſimæ ejus viduæ
propoſitum
Nomine Profeſſorii Collegii
à
JOHANNE VAGETIO,
Log. & Metaph. P. P. & ejus anni Rectore,
Exequiali
Die IV. Auguſti Anno V. Æ. C. clɔ Iɔc LXXX.

HAMBURGI,
Typis GEORGII REBENLINI, Senatus,
Gymnaſii, & Scholæ Johannææ Typographi.

EPheſios, cum dimittendus eſſet, quem fideliſſimum experti erant animarum curatorem, præco ille ad impetrandæ Dei gratiæ & animarum ſalutis doctrinam inter gentes promulgandam Chriſto peculiariter electus, non potuiſſe ſine gravi dolore in lacrymas quoque, amplexus, & oſcula erumpente, triſtiſſimum illud oraculum ſuſtinere, *non ſibi porro faciem* illius tam deſiderati doctoris *conſpectum iri*, Res eſt a Spiritu Sancto tantopere comprobata, ut in hiſtoria propagatæ per Apoſtolos & præcipue per Paulum de Filio Dei Jeſu Chriſto notitiæ, Act. 20, v. 38, in perpetuam ejus memoriam & piorum informationem judicaverit eam eſſe perſcribendam. Factum eſt proximis his diebus Erepto nobis in vigente adhuc ætate viro Clariſſimo, Scholæ Johannææ per 19. annos Rectore Fideliſſimo, & juventuti ſtudioſæ, Collegis, Amicis, Conjugi; merito ſuo longe deſideratiſſimo Dn. Mag. *Henrico Daſſovio*, ut nimis heu! certum ſit ex lege mortalitatis regreſſui ex mortuis nullum iter naturæ uſitatum aperiente, Carendum eſſe dum hic erit mundus, Aſpectu, voce, Conſiliis, congreſſibus, convictu, Præceptoris quidem & Studiorum directoris optimi, Diſcipulis; Fideliſſimi Gubernatoris, & difficultatum ſuborientium mitigatoris, Collegis; Humaniſſimi & Candidiſſimi ubi res exigebat Monitoris atque Adjutoris, Amicis; Mariti exoptatiſſimi & lætorum una triſtiumque conſortis unicique vitæ parentibus pariter atque liberis orbæ ſolami-

nis, Uxori ejus amantiſſimæ. Non ſine acerbo dolore & flagrante diuturnioris tanti boni uſurpationis deſiderio, diſceſſum hunc, omnibus his accidiſſe, haud diſſimulamus, Satis liquido ſcilicet ex Epheſiorum exemplo & permultis ſacrarum literarum locis edocti; pietatem, gratam ſervantium defunctorum memoriam cum deſiderio Dei tamen voluntati acquieſcente conjunctam haud quaquam Deo diſplicere, imo complurium verarum virtutum indivulſam eſſe comitem. Sicui Rigor vel ſtupor potius animi ad omnia eventa ita obfirmatus, ut motus ille perpetuo videatur expers, vel Fortitudo, vel Æquanimitas, vel Conſtantia vel Prudentia viſa aliquando fuit; Ignoſcendum eſſe iſti opinioni exiſtimare homo gentilis fortaſſe potuit. Non poteſt autem recte inſtitutus Chriſtianus, quin hoc ipſum agnoſcat manifeſtum ſpecimen lapſorum in ſtultitiam ſeculariter ſapientium, ipſis illis in rebus, in quibus maxime ſibi videbantur ſapere. Tametſi enim Experientia, vana clamans omnia, nihilque hac in vita omni ex parte beatum, nihil rerum bonarum, quæ corporis & fortunæ dicuntur, homini etiam omnibus viribus in id quod virtutem illi vocabant incumbenti, vel in horam eſſe certum, imo tametſi certum eſſet, vix pauciſſimorum tamen hominum vere bonorum eam eſſe ſortem, in qua acquieſcere mens humana ſine ullo mutationis, aut acceſſionis deſiderio poſſit, Convinceret omnes, nullam eſſe hac in vita cor-

po-

poris fortunæque veram beatitudinem, nequaquam tamen erat hæc idonea cauſa cur exiſtimarent, Fato, aut nulla divina rerum ad corpus & fortunas attinentium cura, fieri, quæ vel id vel has ſpectabant, omnia, adeoque nec vitari nec mutari mollirive ulla ratione eorum quicquam poſſe, & proinde, beatiſſimus eſſe, h. e. miſeriarum certarum & magnarum, cum non poſſit ipſas, ſenſum ſaltem minuere quantum liceat, qui velit, ei remediū haud ſupereſſe aliud, quam utparato ad omnia animo, peſſima quæque expectet, quippe ad quæ ſit natus & conditus homo, & cum eveniant ea negligat; Nulli rei præter virtutem, quæ ſola excuti nolenti nequeat, tanquam ſtabili, devovendam cum ſpe & deſiderio eſſe mentem. Poterat enim utique fieri, ut Dei & curæ ejus circa humana rationem homunciones omnis revelationis vere divinæ exſortes non ex toto haberent perceptam; Fieri poterat, ut haberet Deus, etiam in ſtudio virtutis quale illi ſectabantur, juſtas affligendi variis caſibus hominem cauſas; Inquirendum ergo fuerat in religiones, annon veſtigia certa voluntatis Dei erga humanum genus alicubi reperirentur expreſſa. Nulla vero religio magis ingerebat ſe nolentibus etiam in oculos animosque quam Judaica, utpote ab omnibus aliarum gentium religionibus quam maxime diverſa, tum ritu (cui quis non tanquam ridiculo & abſurdo putabat inſultandum?) circumciſionis, tum vacuo imaginibus Dei Iſraelis cul-

tu atque templo, tum ita obſtinata a rebus ſapidiſſimis pariter ſaluberrimisque compluribus abſtinentia, ut nec intentata per exquiſitiſſimos cruciatus morte expugnari ea poſſet. Cum ergo gentem ita ineptis cæterorum opinione deditam ritibus, nulla virtute cuiquam nationi concedere, demonſtrarent Danielis, Mardochæi, Maccabæorum, Philonis exempla, Juſtiſſima utique hæc erat cauſa, cur inquirendum unus quisque deberet credere in traditionum iſtarum ita mordicus ab egregiis etiam iſtis viris receptarum fontes. Dum enim damnabant abſurditatis religionem, antequam in ejus principia inquiſiviſſent, Certe conveniebat in illos Scomma illud quod in Claudii Supinitatem jecit Seneca, quando, *Non alius* ajebat *Potuit citius Diſtere cauſas Una tantum Parte audita Sæpe & neutra*, * Nam ſi audire eſt ita audire ut rem liquido habeas perſpectam nel ſuam quidem partem audiſſe dici illi poterunt. Tantulum ergo ſanæ rationis illi ſi adhibuiſſent, qui ſapientiæ ſtudio ætatem ſe devoviſſe profitebantur, (quanto vero plus in res quasvis longe minoris momenti ab iisdem impenſum eſt!) ad Sacram Scripturam, adeoque ad Dei, ſortisque humanæ veram notitiam utique illi fuiſſent perducti, agnoviſſentque, dum eripit mortalibus bona deſideratiſſima Deus, Commonefieri eos, non ſibi ſe illa debuiſſe, Dei fuiſſe gratuita illa dona, ei propterea deberi gratiam, ei preces pro-

* In Apocolocyntoſeos verſibus quadratis.

pro reparatione & reparatarum conſervatione, eſſe offerendas, ei cum adſunt illa, eum deberi honorem, ut recte iis utamur, ei amorem, ei deſideria humanæ mentis in totũ eſſe conſecranda; Cum vero nihil boni tanquam debitum nobis a Deo poſſimus poſtulare, qui rei ſumus offenſæ in eum commiſſæ multiplicis, & nunquam præſtitæ, qualem præſtare tenemur, obedientiæ, Fiduciam in Chriſtum, cujus merito atque interceſſione propitium habemus Deum eſſe alendam, ut ea erecti quicquid rebus noſtris expedit, propter eum concedi nobis & petamus a Deo & voti compotes impetremus. Ali porro fiduciam Chriſto nixam ſi volumus, utique frequenti meditatione miſeriæ & indigentiæ noſtræ promiſſionumque & beneficiorum Dei in verbo ejus perſcriptorum omnino eſt opus. Quibus h.m. conſideratis effectum ſimul erit, ut nec ex Chriſtianis inſultare quisquam dolori ex virorum humano generi utilium obitu concepto poſſit uſitato iſto, ut aliquando Caſſii, ita ſemper cujusvis mortalium dicterio: *CUI BONO?* Utut enim deſiderio noſtro revocari defunctus nequeat, ſunt tamen inter compſures alias illæ ſatis graves cauſæ quas modo commemoratas vidimus reliquæ, cur extingui illud non debeat. Vellere capillos, Contundere pectora, faciem unguibus ſcindere, gentilitium eſſe novimus. Plane non moveri malis juſte humanum genus urgentibus, profanum eſt, impium eſt, giganteum, eſt & violentum, nec aliorum quam qui

data opera Deo & naturæ bellum indicere haud reformidant. At ita profiteri dolorem ut agnoſcamus juſte eum divinitus immitti, gratiam Dei propter Chriſti interceſſionem implorantibus patere ad ſarciendum etiam quodvis damnum, ac paterne nos fovendos, etiam in omni jactura divinitus permiſſa, & humanum eſt & pium; præſtitit id Jacobo Joſephus, Jonathani David, Joſiæ Jeremias, & præſtitum in bonis defunctorum Deus ipſe numerat, * dum Jojakimo nil tale eventurum loco gravis pœnæ denunciat.

Fuiſſe vero beatum Dominum Rectorem Mag. DASSOVIUM inter eos, quorum diutius retinendorum deſiderio bonus quisque jure teneatur, notius eſt, quam ut prolixe commemorari nunc, aut poſteritati alio quam provocationis ad publicam notitiam teſtimonio debeat perſuaderi. Erat in eo religionis ſinceræ pius ardor, erat linguarum & Eloquentiæ egregia notitia, erat patiens laborum & æquus moleſtiarum arbiter animus, erat docendæ & regendæ juventutis dexteritas haud vulgaris, cum auctoritate ſingulari conjuncta. Nota eſt ejus in demandato munere aſſiduitas, & intenta in omnem illius ornandi occaſionem circumſpectio. Nota cum Collegis concordia, erga illos imo omnes in univerſum bonos fides, candor, humanitas, obſervantia. Nota eſt in conjuges & liberos pietas. Nota, & recenti, receptæ tripli-

* Jer. 22, 18.

plicis mutationis in primæ claſſis laboribus, exemplo comprobata, ejus in conformando ſcholaſtico cum Gymnaſtico cætu ad amolienda quæ induſtriorum profectibus obſtare poterant impedimenta facilitas & promptitudo, ut enim in dijudicandi arte, in literatura Hebræa, & Mathematicis diſciplinis perfici magis poſſet lectionibus Gymnaſii juventus, & Logicæ compendium tironibus utilius, ut ſurrogaretur ei, quod aliquot annis receptum fuerat, & Linguæ Hebrææ Geometriæque atque Arithmeticis rudimenta, ut noviter inſtillanda ſumerentur, non admiſit tantum, ſed, qua potuit, etiam adjutor fuit.

Sunt hæc profecto talia, quæ non reperiuntur in omnibus cum animo, qui ut moleſtiſſimas ſcholaſticas functiones, præcipue illam, quæ quicquid in toto cœtu minus probandum videtur, ejus tanquam ſola rea, criminationibus omnium eſt expoſita, Rectoralem dico adminiſtrationem, ſubire ut velit, poſſit adduci, ita juncta, ut, tanquam Sicula conſimilium virorum eſſet meſſis, jacturam eorum obitu vel nullam, vel eam quam reparare, noſtra ſemper habeamus in poteſtate, ſit exiſtimandum.

Dedit vero talem *illum* nobis ipſa hæc, in qua juſta nunc reliquiis ejus fiunt, *urbs noſtra*. In hac enim die *3. Sept. Anni* a nato Redemptore, ut vulgo numeramus 1627mi lucis hujus uſuram ille accepit, *Patre* natus Viro Adm. Rev. Doct. Ampliſſimo Dn. *Mag. Henrico Daſſovio, Verbi* Dei apud

eccleſiam *templi* noſtri *Nicolaitani* in annum usque 27mum *præcone* fideliſſimo, cum antea ſesquiannum Buxtehudæ eccleſiam docuiſſet in locum Dni. Davidis Vagetii pie defuncti 3. Febr. 1619. ſurrogato; *Matre* vero *Ilſabe*, ex honeſtisſima *Weingirtnerorum* gente, ſed *qua* nimis propere anno ſc. *1628. 26. Octob. orbatus* ſoli Domini Parentis relictus fuit curæ, qui proinde virtutibus Chriſti nomen profeſſo convenientibus ut per piam educationem filiolum imbueret, omni ope allaboravit, Cumque ad Eruditionem ingenium ejus deprehenderet aptum, Præceptoribus quibus confidebat, idoneis eum tradidit informandum. *Anno* quippe ætatis 13. i. e. Chriſti nati *1640 Stadanæ Scholæ commiſſus eſt*, *Præceptore ſimul uſus* Viro jam tum doctiſſimo, nunc Nobil. Ampliſſ. Conſultiſſimo, Dno. *Johanne* von Köme / *Regiæ Majeſtatis Sueciæ* jam a multis annis ibidem *Secretario* fideliſſimo pariter & ſummis æque imisque gratiſſimo. Perſtitit vero in illuſtri illa ſchola dum parentem in vivis habuit. Poſtquam autem currente ætat. anno 18, Chriſti ſcilic. *1645.* die *8.* Julii etiam illum amiſiſſet, *in ſcholam* Electoralem *Niſnenſem* conceſſit, ubi cum Græce Latineque elaborandis exercitiis oratoriis juventus provectior aſſidue exerceretur, commemorare ſolitus eſt, ita cupide ſe uſum eſſe ea occaſione, ut ſummo mane excitari ſe, & parata ſimul, quæ res tempusque poſtulabat, invenire munuſculis impetraret. Triennium ergo ibi cum in excolendo ſtrenue per utri-

utriusque linguæ ſolidam peritia, Eloquentiamque ingenio ſumma cum laude exegiſſet & matura jam gravioribus ſtudiis ætas academicam lucem poſtulare judicaretur, anno ætatis 21. Chriſti 648. *Wittebergam adiit*, Impenſo etiam ibi in Theologiæ Studium triennio, anno æt. 24. Chriſti 1651 *Gieſſam* ſe contulit, utrobique graviſſimorum virorum convictu paſcendi inter corporis curam etiam animi, & rerum ſcitu maxime neceſſariarum cognitione perficiendi, ſervandique ſimul morum honeſtatem, & famam a periculis & ſuſpicionibus muniendi captans occaſionem. Wittebergæ enim Celeberrim. *Oſtermanni*. Gieſſæ vero D. *Menzeri* (filii) initio, poſt Juſti *Feurbornii*, utriusque SS. Theolog. Doctorum egregiis de re eccleſiaſtica meritis jampridem Clariſſimorum *fuit inter Commenſales*.

Nec defuerunt diutius, continuatæ tam conſtanter induſtriæ & piæ morum ſanctitati, probatæque omnibus modeſtiæ, ſua præmia. Namque Anno æt. 25. Chriſti 1652. *Gieſſæ Laurea Magiſterii ſumma cum laude eſt condecoratus*, eodemque anno *Scholæ Spirenſis* Electus *Conrector*, functionem accepit & cum laude ornavit, usque dum ætat. 29. Chriſti 1656. a Generoſiſſimo Comite Alt-Leiningenſi (*ſ. Leiningæ veteris*) *Concionatoris Aulici & Superintendentis munus* ei deferretur, quo itidem cum laude functus eſt.

Cum vero ad Scholæ *patriæ Rectoratum*, *M. Petro Weſthuſio*, de ea longe meritiſſimo, idoneus

quæreretur *Succeſſor;* tantum potuit apud Beatum Daſſovium amor patriæ, ut inter alios competitores, viros doctiſſimos pariter, & ſcholaſticæ gubernationi alibi cum laude jam aſſuetos, & ipſe nomen ſuum profiteretur, & delatam ſibi functionem iſtam utut arduam & laborioſam odiisque & criminationibus, etiamſi quam optime adminiſtretur, facile tamen obnoxiam lubens *acceptaret.*

Facile erat ex propoſito ab ipſo Deſignato Rectore programmate ad orationem inauguralem invitatorio, ipſaque mox oratione inaugurali *16. Maji 1661*, ab ipſo habita, ominari, ſequacibus & erectis ingeniis ad omnia in ſtylo, & oratoria facultate requiſita, qualem optare poterant, obtigiſſe Ducem, id quod ita factum fuiſſe, vivos teſtes citare illos omnes poſſumus, qui & examinum ſolennitatibus & quandoque etiam extra illas tum ipſum tum quos producebat ipſe Adoleſcentes ligata ſolutaque oratione audierunt vivide & eleganter de variis materiis diſſerentes.

Vixerat vero huc usque cœlebs, & ita per 4. an. etiam hic perſeverabat, Aſt Deo ita dirigente anno ætat. 38. Chriſti *1665. ſociam vitæ* elegit lectiſſimam Virginem *Henrici Mülleri Negotiatoris* hac in urbe *primarii, filiam Barbaram,* eamque *20. Aug.* ſolenni nuptiarum ritu ſibi junctam, fidelem habuit prudentem & induſtriam rei domeſticæ curatricem, geminam ex eadem ſuſcepit prolem *filiolum Henricum*, *filiolamque Margaretam*

tam Barbaram, ſed *mox* non his tantum verum 19. *Decembr*. 1669. ipſa *etiam dilectiſſima conjuge orbatus*, triplicique, intra breve tempus, afflictus plaga, ſimul orbitatis & viduitatis acerbitatem eſt expertus.

Reſtituit tamen jacturam illam Deus, conceſſa 1671. 6. *Febr*. in *alterum matrimonium*, pudiciſſima virgine *Cæcilia*, *Negotiatoris* itidem ex noſtratibus *primarii* Domini *Alberti Böſchii* paulo ante defuncti relicta *filia*, & eo quoque ex matrimonio nata *filiola* matri cognomine, i. e. *Cæcilia*, in ſeptimum usque ætat. annum ita ſuperſtite ut optata omnia de ea promitteret indoles ad omnia quæ ſexum illum decent perquam egregia. Oblectamen per illud tempus utrique parentum inſigne illa præſtitit, ſed tanto acerbiore *funere anno nupero* illis fuit *efferenda*. Tulere tamen orbitatem pii parentes, & pater quidem iteratam cum debita obſequio Dei patientia, & infracto ad omnia officia animo, ſolatium ex reſtitutionis non iterum terminandæ indubitata ſpe captantes, Donec, quanquam non ſibi, nobis tamen qui relinquimur, diſcipulis inprimis, Amicis, &, ante omnes, piiſſimæ conjugi, heu! nimis cito filiolam inſecutus, & ipſe ad Parentes ſuos, ad conjugem priorem, ad prolem dulciſſimam, imo ad Chriſtum, & omnes qui cum Chriſto vivunt, colligeretur.

Quæ ex *annorum* 52. *menſium* 10. & 21. *dierum Ærumnis in* ſolida & *manentia gaudia translatio* beatæ *ejus animæ obtigit* 29. *Jul. labente veſpertinâ hora unde-*

de-

decima, cum *ardente febri* decimo die ante, i.e. 19. Jul. correptus, parum autem proficere quicquid fida experientiſſimi Medici, & piiſſimæ conjugis cura reparandæ valetudini moliebantur, animadvertens, Sacroſanctæ Cœnæ viatico ad beatum ex hac vita diſceſſum ſe inſtruxiſſet.

Corpus dum corruptioni videtur tradi, mortalitatem exuet, reddendum animæ cum Chriſtus apparebit incorruptum, & majoribus quam optare poſſumus dotibus glorioſum.

Terra id *mandabitur* die *hac 4. Aug.* nec dubitamus, quin amor Viri, & converſationis inculpatæ meritorumque memoria effectura ſint, (quod pro debita ſingulis obſervantia, & officio impenſe rogemus) ut honorificentiſſima præſtantiſſimorum ex omni ordine Virorum frequentia exequiale illud officium cohoneſtetur; Neque minor nos tenet fiducia dicatam linguarum & artium Meliorum culturæ, tum Gymnaſtico noſtro, tum Claſſico Scholæ in cœtu juventutem, memorem ſe fidelis operæ in ſe aut ſuos æquales tot annis impenſæ, ſuo quoque confluxu ad idem officium, eſſe teſtaturam.

Ille jam decertato certamine coronam gloriæ cum elogio illo ſui Redemptoris *Euge ſerve fidelis! ingredere in gaudia domini tui*, expectat, Nobis vero Deus ad peragendum quicquid certaminis reliquum eſt, vires animumque ſuppeditet, Viduam mæſtiſſimam & omnes in luctum conjectos efficacibus ſuſtentet & erigat ſolatiis, proque ſua pietate & virtute quicquid jacturæ

fa-

factum eſt, publice & privatim in ſolidum reſarciat; denique diu ab omni luctus publici materia immunes ut præſtemur, omnes omnium ordinum, Commoda cujuscunque loci publica ſerio promoventes, viros, annis & viribus clementer augeat, tandemque beato vitæ exitu ad gaudii gloriæque eadem apud Chriſtum & beatos angelos triumphantesque Electos nos omnes ſocietatem perducat, nunquam deinde ſeparandos!

JESUS.

LECTORI S. D.

D. CAPELLUS P. P.

Quem autorem habuerit *Sapientiæ Liber*, hic jam non disquiro. Sapientiæ minime vulgaris hominem fuiſſe, exploratum eſt compertumque. Quisquis ille fuit, magnas ſententias & gravia molitus eſt verba. Collegerit aphoriſmos aliquot Salomon Rex hunc in librum translatos, acceſſerit his aliquod a Philoſophiæ in Populo tum DEI Doctoribus auctarium, aut hæc ad Sophiam hortamenta dederit nobis Philo, aut alius quidam Hebræus, ex Salomonis mente, aut qualia ille dictare potuerit aut dicere. Neque de tempore quo is ſcriptus aut aliis circumſtantiis, nimium ſollicitus ſum hodie,

die. Prodierit Hebraice, ſed poſt obſignationem infallibilis Canonis; ſit ab anonymo in græcum tranſlatus ſermonem, non hæc me cura fatigat. Theologicus liber eſt, minime tamen Canonicus. Apocryphus eſt eritque, utiliſſimus tamen in vita & moribus, inque pretio habitus ſemper, idque jure meritoque. Nonnullas graviſſimi libri ſententias quas adoleſcens memoriæ mandavi, repetere ſubinde ſoleo, & feci idem nuper etiam aliquoties inter amicos, ex Sectionis IV, 7. 8. 9. 13. & 14. commatibus, quando Pl. Rev. clariſſ. & præcell. Virum, DN. GODFRIDUM VOIGTIUM in S. Theol. Licentiatum & Scholæ Noſtræ Johannææ Rectorem viſitavi, quem 38. ætatis anno expleto, pedetentim propius ad beatam *ἀνάλυσιν* accedentem & agoni appropinquantem depræhendi. Mihi domum meam reverſo & ex animo propter hujus Viri acerbum caſum & imminentem jacturam triſti, (dolebam enim ejus & Scholæ vicem ſimul) aliud ex alio, ut fit, regrediebatur in memoriam, ex loco antea a me indicato, qui ita ſe habet. *Δίκαιος*, inquit Autor libri Sapientiæ, *ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, ἐν ἀναπαύσει ἔσαι. γῆρας γὰρ τίμιον, ὐ τὸ πολυχρόνιον, ὐδὲ ἀριθμῷ ἐτῶν μεμέτρηται. πολιὰ δὲ ἐςι φρόνησις ἀνθρώποις, καὶ ἡλικία γήρως βίος ἀκηλίδωτος. τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσε χρόνυς μακρύς. ἀρεςὴ γὰρ ἦν Κυρίῳ ἡ ψυχὴ αὐτῦ. διὰ τῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσυ πονηρίας.* *Juſtus*, inquit (qualis Hiob, & omnes coram Deo per Meſſi-

am

am & in illo juſti) *ſi praeoccupatur morte*, (quam immaturam nonnulli dicere audent, ſuô tamen non DEI judicio, qui diſceſſus hujus graves cauſſas, Gloriæ ſuæ convenientes, ipſique morienti utiles & ſalutares habuit,) *in refrigerio erit, quieſcens a laboribus & ab omni tutus & liberatus malo.* Ejus enim anima, ſtatim in ipſo emigrationis momento, ſicuti anima Lazari, tranſit ad æternam & ineffabilem gloriam: corpus vero hic relictum quieſcit & unionem cum anima in Adventu Judicis expectat. *Senectus enim venerabilis, non debet tantum computari diuturnitate temporis aut annorum numero.* Nequaquam. *Sapientia* potius *in humano genere, pro canitie reputari debet, & vita immaculata pro ſenili ætate.* Ad amuſſim Verbi Divini examinata & probata vita hominis, in qualibet ætate veneratione digna eſt, non minus quam ſenilis ætas. Homini vitæ integritati ſtudenti ſcelerumque puro, quavis ætatis ſuæ parte, honor ab omnibus debetur & exhiberi debet. Neque enim autoritas & dignitas, tam in annorum numero, quam vera ſolidaque pietate & vitæ bene anteactæ gloria conſiſtit. Nulla ætatis humanæ pars felix eſſe poteſt, pietate caſſa aut deſtituta virtute. Illuſtr. Heinr. Ranzovius, ſenis felicitatem, hoc diſticho complexus eſt:

Vita ſenis: 1. libri, 2. domus, 3. hortus, 4. lectus, 5. amicus,
6. Vina, 7. nepos, 8. ignis, 9. mens hilaris, 10. *Pietas.*

Decadem eudæmoniæ & euzöiæ ſenilis, quæ clau-

claudit *Pietas*, ſi abſit, ſi exulet, novem antegreſſa nihil moror. Omnia penes illum fuerunt, ſunt & erunt, penes quem eſt vera & ſolida Pietas, quæ utilis eſt ad omnia, habens promiſſionem hujus & æternæ vitæ. *Quidam in juvenili & virili ætate mortui ſunt, brevi temporis intervallo perfecti redditi, longaque expleverunt tempora, quia bene impenderunt & collocarunt exactæ ætatis annos, ideoque perinde eſt ac ſi diu vixiſſent.* Quæ alii vix longa abſolviſſent ætate, hi paucis peregerunt annis. Pervivant, quibus DEUS hanc gratiam largitur, ad ſummam ætatem extremamque ſenectam & centeſimum prope ætatis annum: hi breviter & recte vixiſſe contenti, re bene perfecta vitaque peracta, in juvenili & virili ætate humanis rebus, tot viciſſitudinibus ſubjectis valedixerunt. Spectandum eſt, non quam diu ſed quam bene vita ab illis acta ſit, & bona brevisque malæ præferenda, magnæ licet longæque. Non annis, ſed Pietatis & Virtutum exemplis & ſpeciminibus, menſuremus ætatem illorum hominum. Satis diu vixit, qui vixit bene. Multos DEUS diligit, qui juvenes moriuntur. *Placebat DOMINO anima juſti, propterea properavit illam educere, de medio malitioſorum & iniquorum hominum.* Amat DEUS, perfectioni inchoatæ hic deditos homines novos, regenitos & renovatos, æternam perfectionem anhelantes & expectantes, qui ſe DEO mancipant exutis vitiis, memores ejurati ſatanæ ſervitii. Sed quid ago? Quo me æſtus conſideratio-

tionis hujus periochæ abripit? quam mihi meditationis ardor paraphraſin hujus loci ſuggerit dictitatque? Vides quorſum hæc tendant, & facile intelligis, quem in finem hæc a me dicantur, LECTOR. De DN. L. VOIGTIO, Scholæ Johannææ Hamburgenſis per annum unum annique circiter dimidium Rectore loquor, cujus antea injeci mentionem. Hujus vitæ curriculum breve admodum, cum egomet nunc mecum in animo conſidero, ut aliquid in chartam, prout ſub ſtilum venit, conjiciam; & laude digni viri memoriam tuear: concedo illum paucos vivendo annos confeciſſe, benequè peractæ vitæ Voigtianæ curſum, anguſtis triginta annorum terminis concludi: ſed in tam brevi exiguoque vitæ ejus ſpatio, inſignia pietatis, virtutis & eruditionis documenta, tanquam in diademate gemmas invenio & conſidero. Novimus illum Delitii in Miſnia, An. C. 1644. m. Aprili Honeſtiſſimis natum eſſe parentibus, *ABRAHAMO VOIGTIO* Mercatore integerrimo, qui Caſtiſſ. Virginem *SIBILLAM SCHMIDIAM*, uxorem duxerat, pie denati *DN. VOIGTII* Matrem. profeciſſe in Schola Altenburgenſi, inque illuſtri tandem Leucorea nunquam mihi ſine encomio dicenda, percepimus. Ibi literis incubuit magno ardore, & Philoſophiæ Magiſter renunciatus; paulatim inclaruit, datis editisque ore & ſtilo eximiis in Theologia & Philoſophia Sana & Sobria ſpeciminibus. Aſſiduus in oratione, lectione & meditatione. Con-

cionator, declamator & diſputator, publice privatimque, prout res, ratio & occaſio ferebat, in palæſtra illa probe ſubactus, moribus antiquis ſtiloque Majorum, rem bene gerebat. Natus annos quatuor & viginti, a Sereniſſimo & Celſiſſimo Principe ac Domino, Domino GUSTAVO ADOLFO Duce Megapolitano, ad regimen Scholæ Guſtrovienſis vocatur, prævia quorundam Excellentiſſimorum Profeſſorum, (quibus virtutes ejus innotuerant,) commendatione. Paruit lubens, & officio hoc cum laude per annos tredecim functus eſt. Honorem Licentiati in Sacroſancta Theologia, in inclyta Giſſena, (quam Deus tueatur & omni felicitate augeat,) legitime, Anno ætatis ſuæ 35, Chriſtiano vero 1678. obtinuit.

Anno Chriſtiano hujus XVII. Seculi 80, m. VIIIBR. electus & vocatus Scholæ Johannææ Rector ad nos venit, ſolemni introductione in hoc officio confirmatus, ſequentis anni 81. Februario currente. Quam difficulter a Clementiſſimo Suo Principe dimiſſionem obtinuerit, loquantur alii. Qua diligentia, & fide, per menſes ſeptemdecim ærumnoſo hoc munere functus ſit, ipſe teſtis eſſe poſſum, quamvis tot adſint teſtimonia, ut meo hic jam non ſit opus. Loquantur oculati & auriti. Sed quid ego ad homines provoco? DEUS Ipſe loquetur; Ipſe teſtis erit & Judex. *Euge ſerve fidelis*, huic quoque dicturus, qui tales המשכילים ומצדיקי הרבים, ſui oris temonio probatos, cœleſti ſplen-

ſplendore ornabit. In conjugio, vixit per annos 14. ex Nobili & virtute conſpicua virgine *Lidumilla Jani*, Pl. Rev. & Nob. Viri Dn. *Danielis Jani* Epiſcopi ſive Superattendentis * Eccleſiæ Guſtrovienſis & in Sacris inque Conſiſtorio Conſiliarii filia cariſſima tres reliquit filias: *Annam Catharinam* natu maximam, tum *Magdalenam* & *Mariam Eliſabetham*; mœſtæ matri, honeſtiſſimæ præſtantiſſimæque fœminæ aſſidentes: quæ ipſa, lacrymis ſine fine obortis, creboque ſingultu verba animo devorat, in hoc luctu inopinato acerbiſſimoque. Vidi ipſe & audivi flebiles queſtus puellarum Matrem imitantium, manantesque ordine lacrymas, ſerio & ex animo profectas. Non hic dolis confictas, non falſas aliquot lacrymulas vi expreſſas habes. Decubuit, Deo ſic volente, per tres fere hebdomadas, & 7 Julii animam ſuam a DEO Patre creatam, ſanguine Chriſti lotam & a Spiritu Sancto

 il-

* Epiſcopi nomen deductum eſt vel ab ἐπισκοπέω vel ab ἐπισκέπτομαι. ἐπισκοπεῖν per *ſuperintendere* exponit Auguſtinus, de C. D. lib. 19. Erit ergo officium Epiſcopi: *videre quid fiat, viſitare, inviſere, obſervare, conſiderare. & ſpeculari.* Vocabulum in negotiis politicis apud Athenienſes teſte Svida uſitatum & apud Romanos teſte Cic. in ep. ad Att. Superintendentis voce utitur Hieronymus. Stridon. Epiſt. 8. ad Euagr. ἐπισκοποῦντες inquit, *id eſt Superintendentes.* Et Perſæ ſuos habebant Epiſcopos Hom. Plut. Arrian. hac voce uſi ſunt. Vide comm. Leonh. Coquei ad Aug. de C. D. l. 19. c. 19. Apud Chriſtianos Sacri Præſules, Præſides & Antiſtites, quibus in certo loco, totiûs Eccleſiæ cura incumbit, Epiſcopi vel Superintendentes, (potius quam Superattendentes) dicuntur.

illuſtratam, DEO Suo & Noſtro, matutinis horis reddidit. Efferetur corpus ejus & terræ in Templo Nicolaitano mandabitur m. Julii d. 12. Decumbens, toto morbi tempore, plus de Schola quam de domo ſua ſollicitus erat, ſubinde ingemiſcens: *Sancte Spiritus, rege teneros & flexiles animos & illumina puerorum corda.* Vidi decumbentem, ſimulque exemplum pietatis & patientiæ.

Non diu hic fuit VOIGTIUS, ſed quomodo fuit quæſo? Tribus dicam verbis quæ in bona cauſſa ſufficere Pindarus judicat. *Scholæ præfuit, multis profuit, obfuit nemini.* Cito dimiſſionem a DOMINO SUO impetravit ſervus hic fidelis. DEUS illum nobis oſtendit tantum, quemque ad breve depoſuerat tempus, repopoſcit ſubito inſperatoque, & translatum in cœleſti ſchola collocavit. Profectus eſt in Patriam, relicto hujus terræ diverſorio. Vidit nullam manentem civitatem in his terris inveniri poſſe, ideoque futuram inquiſivit & invenit, factus cœli civis, ubi verum piorum πολίτευμα eſt. Viator erat, tranſiit.

Vita viatoris quaſi tranſitus, omnia finem,
Quicquid hic immundus mundus honorat, habent.
Tranſit honos, tranſit fortuna, pecunia tranſit,
Mente Deo ſimilis, corpora tranſit homo.
Tranſivere patres, ſimul hinc tranſibimus omnes:
In cœlo Patriam, qui bene tranſit habet.

Tu-

Tu vero Lector, τ' ἀνώτερα καλλίω & illud. Plus ultra, Tibi in memoriam revocans quotidie, cœleſtia amare diſce & quærere. Terra domus non eſt animis accommoda noſtris, Altius it noſtræ conditionis honos.

Verſamur hic in ſchola & dum vivimus diſcimus quotidie. Proficimus enim in dies ſingulos, & pietate, ſcientia prudentia & experientia aucti, promovemur indies, de claſſe in claſſem; perque Eccleſiam & Scholam, tanquam Cœlo admotam ſcalam, aſcendimus ad Angelorum & Beatorum hominum conſortium; ubi DEUM PATREM, FILIUM ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΝ ET SPIRITUM SANCTUM. ſine fine intuebimur & ſine intermiſſione laudabimus, cujus cauſſa creati ſumus. Ibi Brabeum dabitur intuitu DEI perfruentibus Pietatis Cultoribus.

Diſcamus hic illam euthanaſiam, difficilem quidem ſed neceſſariam, in quam bis peccare non licet. Inſtituamus ſæpe & accurate, veram mortis meditationem, ad quam Chriſtiana nos Philoſophia invitat & Scriptura Sacra ducit. ita moneo, ſuadeo, rogo. Ita DEUS ipſe imperat & jubet. Noſtra res agitur. Mors, propter multos incertosque caſus, quotidie imminet.

Tu vero, Maxime JESU, Δέσποτα vitæ noſtræ, qui hunc ſervum tuum mature, 39. ætatis ſuæ anno, rebus tamen & mandatis tuis bene expeditis, voluiſti ἀναλύειν, & *Gottfridum* Noſtrum in virilis ætatis initio, ἐν εἰρήνῃ hinc migrare juſſiſti: oſtende nobis ſucceſſorem ſcholæ regen-

dæ artificem, Voigtianis inſignitum virtutibus, id eſt pium, ſolide doctum, didacticum perſpicuum & diſciplinæ conſervandæ artificem: & quos Johannææ Scholæ, ex mera gratia largitus es, Doctiſſimos omniumque bonorum encomio dignos Viros, diu ſuperſtites, quæſo relinque, & diutius nobis concede. Tuque idem Doctor Summe, qui nos verbo efficaciſſimo, exemploque Tuo maximo artem bene moriendi Ipſe docuiſti, ſine tuo ductu nobis incomprehenſibilem plane & inimitabilem;

Cum jubes nos emigrare,
JESU chare tunc appare,
O Amator amplectende,
Temetipſum tunc oſtende,
In cruce ſalutifera!

quo ego voto, eoque ſatis devoto, mei Bernhardi Clarævallenſis, hic jam finio. Deproperabam Hamburgi, A. C. 1682. m. VII. d. 10.

A καὶ Ω.

I.

Der dem Leben ſetzt ein Ziel/
Hat der frommen Leute viel
Offters jung von hier geriſſen:
Wie Herr Voigt mit zeiget an/
Ein von uns betrauerter Mann/
Der der Weißheit war gefliſſen.

2.

Und von Kindes beinen an/
Als Kind/ Jüngling und als Mann/

GOt

GOttes reines Wort geliebet:
  Der auf dem gelahrten Plan
  Als in wahrer Tugend Bahn
Unermüdet ſich geübet.

3.

  War ſein Thun nicht Sittſamkeit/
  Zierligkeit und Redligkeit/
In des Höchſten Furcht gegründet?
  Wahrheit/ des ſtudirens Ziel
  Jhm gefiel/ traun nicht zu viel.
Dieſes ſchlages man jetzt findet.

4.

  Ach nun liegt entſeelet hier/
  Unſer Schule wahre Zier/
GOtt hat uns den Mann genommen.
  Doch/ er iſt zur Herrligkeit/
  Und zur wahren Seeligkeit/
Frühe durch den Todt gekommen.

5.

  Freue dich Erlöſte Seel/
  Schlaffe ſanfft Leib in der Hoel/
Alles ſich zum Ende neiget:
  (JEſu/ froh und los von Pein/
  Laß' uns Ewig bey dir ſeyn!)
Bald der Richter ſich uns zeiget.

Extat & ſcriptum, quo memoriam & funus B. Voigtii decoravit meritiſſimus ad templum S. Jacobi Paſtor, L. Antonius Reiſerus, ὁ μακαρίτης. Id una cum Catalogo ſcriptorum Voigtianorum præfixi ejus Thyſiaſteriologiæ A. 1709. a me in lucem editæ.

FLEBILE OFFICIUM
Socero præſtitum,
Sive
ELOGIUM FUNEBRE
Viri Clariſſimi, atque Doctrina, Dexteritate & fide Excellentis

JOANNIS SCHULTZE,

Gardelegienſis,
Joannei Hamburgenſis per annos XXVI. RECTORIS præclare meriti,
Scriptum Gymnaſii nomine
à Genero mœſtiſſimo,
Et ſucceſſore
JO. ALBERTO FABRICIO, D.
Prof. Publ. & h. a. Gymnaſii, Scholæque RECTORE.

HAMBURGI,
TYPIS CONRADI NEUMANNI
SENATUS ET GYMN. TYPOGR.
Anno MDCCIX.

Quod per biennium hactenus ſeriis votis precatus a Numine immortali eſt SCHULTZIUS noſter ὁ μακαρίτης, cum pertinacis morbi vi immedicabili aſſidue toto illo tempore conflictatus, ut *ſi ita DEO videretur, pro vice remedii obitus celer eveniret, ne amarius eſſet morte quod viveret:* (a) Hujus tandem deſiderii ſui participem eum reddidit nupera dies XXVI. Januarii, felicem εὐθανασίαν illi Divina benignitate per CHRISTUM concedente. Certe non minus ei, aliquanto juniori licet, expectata mors contigit, quam Aurelio illi olim Amphictyoni, ſeptuageſimum annum ætatis agenti & podagricis macerato doloribus, cujus Epitaphium vetus hodieque ſupereſt, hoc mortem jubilo excipiens:

Veniſti tandem, vita mihi dulcior, & me
Solviſti morbis triſtibus, & podagra.

Ἦλθες ἐμῆς ζωῆς γλυκερώτερε, ὅς μ' ἀπέλυσας
Νούσων, καὶ καμάτων, καὶ μογερᾶς ποδάγρας.

Pulchrior autem longe & verior vox hæc eſt in ore Chriſtiani hominis, qualem ſe per vitam omnem præbere ſtuduit noſter, in ſempiterna gaudia a Domino ſuo ſtatim ex grabato emortuali intromittendus, quam in Sardoniis labiis Amphictyonis cujuspiam ex eorum numero *quibus ſpes poſt mortem nulla ſupereſt.* 1. Theſſ. IV. 13.

Quantumcumque vero dulcis & beata mors illi accidit, non poteſt tamen non acerbus videri

 obi-

(a) Ennodius Epiſt. VIII, 42. ad Avien. Sirmondus in notis p. 34.

obitus nobis viri tam bene meriti, memoria vero ejus digna, quam diligenter conſervemus, gratoque ſtudio proſequamur. Ipſe quidem in animis ſuorum quos incredibili charitate complexus eſt, id reliquit deſiderium ſui, ut his quam longa vita erit, tamdiu quoque ſuavis ſit futura & ſancta ipſius recordatio: tum fide ſua atque cura qua in munere ſuo functus eſt aſſidue, hoc effecit certe, ut in omnium qui ab ore ejus pependerunt, mentibus ſemper ſit hæſiturus. Juvat tamen quantum in nobis eſt memoriam ejus etiam conſignare ſtylo, & tenue hoc monumentum SCHULTZIO ponere, atque ſi fieri licet ad poſteros transmittere, quo nomen ipſius nobis quidem chariſſimum ab interitu & oblivione prohibeatur, quod tanto facilius obtinere nos poſſe ſperamus, quoniam & dignos laude Viros Muſa mori vetat, & ipſe non neglexit ſcriptis etiam publice editis de pube Scholaſtica & ſacrarum litterarum Studioſis bene mereri, memoriamque ſui famæ inſerere.

Ortum debet JOHANNES SCHULTZE Gardelebiæ, opido Marchiæ celebri, quæ non paucos eximios viros protulit, amantiorem patriæ neminem: Itaque quicquid mitteret in litteras, quid in lucem ederet, Gardelebienſem ſe libenter profitebatur atque hoc ſemper præ ſe ferebat. Hujus fratri CHRISTOPHORO SCHULTZIO, Archidiacono ad S. Mariæ templum meritiſſimo νῦν ἐν ἁγίοις, Chronicon Gardelebienſe Germanica lingua Anno MDCLXVIII.

MDCLXVIII. Stendaliæ vulgatum in acceptis referimus, cui locupletando bene multa collegit noſter, quæ nuper Gardelebiam ad virum Clariſſimum transmiſſa a me ſunt, quem de rebus hujus civitatis commentarios moliri ac præ manibus habere, cum voluptate intellexi.

Pater fuit JOHANNES SCHULZE Senator ac denique Procos. Gardelebienſis, cujus libellus qui *Nutricula Pietatis* inſcribitur, Anno MDCXXXII. lucem vidit Brunſvigæ, compoſitus in gratiam generoſorum tum adoleſcentum de KISLEBEN & de MAHRENHOLTZ, quorum ſtudiis moderandis præfectus fuerat. Patruelem habuit GODFRIDUM SCHULTZE, qui Reip. Hamburgenſi fuit a rationibus belli, & vel propter rerum ſacrarum ac civilium Chronicon eleganter & cum delectu multa paucis docens, cui non intra Germaniam erudito innotuit? Patruus LAURENTIUS SCHULTZE, locuples atque integerrimus Mercator & GODEFRIDUS SCHULTZE Bibliopola frequentatiſſimus, inter cives Hamburgenſes paucis ſuo tempore ſecundi extiterunt. Neque avum præterierim JOHANNEM SCHULTZE Gardelegienſem & proavum LAURENTIUM SCHULTZE Stendalienſem mercatorem, quorum ille Anno MDCXXXVII. hic Anno MDLXXXV. diem ſupremum obiit. Avo ELISABETHA nupſerat, ANDREÆ BU-

NE-

NEMANNI & TECLÆ MOLLERIÆ filia, proavo ANNA BEYEN.

Mater MARGARETHA LEMPELIA, prognata fuit parentibus M. CHRISTOPHORO LEMPELIO Archidiacono Gardelebienſi ad S. Nicolai templum MDCXL. extincto, & BARBARA SCHREIERIA, Bibliopolæ Francofurtenſis MELCHIORIS SCHREIERI filia. Matrem noſter ſeptuagenariam amiſit, cum Luneburgi adhuc ipſe verſaretur Anno MDCLXXXI.

Horum parentum ſuorum curam ac ſollicitudinem ſæpe eum prædicare memini, ita nihil illi reliqui fecerunt, ut poſtquam ſacro tinctum baptismate prima vitæ, diſciplinæ & pietatis rudimenta deponere feciſſent, eundem filium ſuum recte educatum dignæ arti vel laudabili vitæ generi aptum redderent applicarentque, quo poſſet utile aliquod ſocietatis humanæ membrum honeſta conditione evadere. A Studiis litterarum quidem dehortati potius ſunt initio, quam ut ad illa pueri animum impellendum perſuadendumque ſibi exiſtimarent. Poſtquam vero ipſum ſua ſponte viderunt ad ea ſtrenue excolenda accenſum ferri, & domeſticis præcipue exemplis quæ jam memoravi incitatum ad eruditionem velut ad ſcopum ſibi propoſitum alacriter contendere, libenter non modo moræ vel impedimenti nihil ipſi injecerunt, ſed quantum in illis fuit, egregie etiam juverunt ac proſecuti ſunt currentem.

De

De Præceptoribus ſuis hæc eum annotaſſe reperi, quæ ex chirographo ipſius verbis referre placet, ut de grato ejus in doctores ſuos animo teſtentur: *In Schola Patria Viris præclariſſimis, M. JOHANNE KESSELHUDIO, tunc ibidem Rectore & poſtea moderatore Scholæ ad S. Ægidium Brunſvicenſis, ac denique Cœnobii Riddagshuſani Priore; fratre item germano CHRISTOPHORO SCHULTZE tunc ejusdem Scholæ Conrectore, & poſtmodum Eccleſiæ Marianæ Archidiacono, nec non M. JONA SCHULTETO, qui ex Conrectore Rector, & deinde Eccleſiæ Neobrandenburgenſis Superintendens factus, in linguis ac diſciplinis bonisque moribus, fideliſſimis uſus præceptoribus, horum merita per omnem vitam ſingulariter mihi veneranda duxi. Reliquerat vero etiam Rector ante Gardelegienſis JOHANNES GEORGIUS KETTENBEILIUS, Græcæ linguæ multo doctiſſimus, tantum ſui apud me deſiderium, ut cum ille Zellerfelda Luneburgum vocatus eſſet, ipſum eo ſequutus fuerim, ubi ſub eo, Johannei Luneburgenſis Rectore, atque Conrectore ALBERTO SCHULTZIO, feliciter profeciſſe me gaudeo. Illo tempore, è civibus aliquis matrem ſuam deteſtando facinore plusquam viginti vulneribus miſere trucidaverat, quod ſcelus dignumque ſupplicium de ſcelerato homine ſumtum, Oratoria Panegyri perſecutus cum fuiſſem, Ampliſſimi Proceres Luneburgenſis Reip. qui præ ceteris honoris cauſa me audiverant, orationem hanc meam in rei memoriam exhiberi atque in acta referri juſſerunt. Neque vero demigrare Luneburgo volui, antequam & in Michaëlitano Gymnaſio Viros celeberrimos au-*

auſcultarem in Theologia L. JOACHIMUM HECHTIUM, in Politicis D. DANIELEM CLAASENIUM, & in Oratoriis JUSTUM OLDECOP, atque ARNOLDUM NOTTELMANNUM. Dehinc Anno MDCLXVI. contuli me in naſcentem tum Academiam Kilonienſem, cujus ſollennibus inaugurationis cum interfuiſſem, per aliquot deinceps annos ingenti commodo meo frequentavi, lectiones ſummorum Virorum, PETRI MUSÆI, CHRISTIANI KORTHOLTI, PAULI SPERLINGII, DANIELIS GEORGII MORHOFII, SAMUELIS REYHERI, CÆSONIS GRAMMII, aliorumque.

Dum Kilonii ſtudiorum cauſſa verſatus eſt, haud eſt omittendum, per non breve tempus illum uſum fuiſſe optato atque liberali hoſpitio D. MATTHIÆ CLAASENII, Archiatri Ducis Sereniſſ. Holſatiæ feliciſſimi, cujus amorem, curam & conſilium ſæpe grata memoria recoli ab ipſo ac celebrari audivi. Memini etiam ab illo narratam plus ſemel rem forte non indignam quæ hoc loco a me referatur. Nimirum per ſomnium aliquando viſus fuit ſibi noſter invadente neſcio quo confoſſus ac per terram proſtratus, id ſomnium in prandio hoſpiti commemorat, Claaſenius non plane contemnendum hoc, quamlibet ſomnium, ſed ut domi ſe ea die contineret, ſuadet. Sub veſperam, erant enim ut æſtiva tempeſtate dies productiores, invitatur forte abſente hoſpite ab illius liberis ut in rheda paulisper animi gratia excurrentes comitaretur. Dum ante cœnam domum re-

revertuntur atque perexiguo ſpatio ædibus abſunt, primus noſter rheda proſilit, neſcio quam ob cauſſam eos præventurus. Interim ex altera platea perſequentes ſe duo ſtudioſi ſtrictis gladiis accurrunt, quorum unus per veſtem noſtri ſed corpore intacto gladium ſpectantibus qui in rheda erant, & graviſſime læſum non dubitantibus transverberat. Interim divino beneficio ſervatus noſter nec hilum læſus erat, ab hoſpite autem ſuo contemti ſomnii conſiliique cauſſa reprehenſionem tuliſſe viſus eſt ſibi non omnino præter meritum.

Antequam Kilonia diſcederet, A. 1670. menſe Majo in conflictu publico litterario aſſeruit interpretationem verborum Evæ Geneſ. IV, 1. *Habeo virum Jehovam.* Aſſeruit autem præſide celeberrimo ac ſumme Rev. viro HENRICO OPITIO, Theologiæ hodie in Kilonienſi Academia meritiſſimo Profeſſore & Conſiſtorii Eccleſiaſtici aſſeſſore graviſſimo, cujus annis DEUS benigniter addat annos, ut egregiam Bibliorum Hebraicorum quæ jam ſub prælo ſunt editionem, & plura alia quæ in Eccleſiæ uſus jam pridem meditatur opera præclara ad umbilicum perducere poſſit. In illo conflictu adverſarii partibus functus eſt inclytus ille profectione in Orientem ſuſcepta & præclara linguarum Hebraicæ & Arabicæ cognitione CHRISTIANUS RAVIUS, cujus manu conſignata teneo quæ cum noſtro deinde communicavit quadraginta argumenta pro interpretatione alte-

tera, quæ verbis Evæ hunc ſenſum tribuit: *Habeo virum a Jehovâh.* At habeo etiam Soceri mei manu exaratam reſponſionem, quam argumentis illis quadraginta oppoſuit.

Frequentibus lucubrationibus id jam conſecutus erat noſter, ut etiam cum vellet dormire non poſſet ſed inſomnes noctes duceret. Itaque profectione pro remedio uſus in Boruſſiam iter ſuſcepit & præclarorum virorum litteris commendatitiis inſtructus, Lubecæ, Wiſmariæ, Roſtochii, Stetini, Gedani, Elbingæ & in Regiomontana Academia facilem ad doctos Viros, quos propius noſſe geſtiebat, habuit aditum. Hinc recreata poſt gravem morbum valetudine, celebriores Germaniæ urbes & Academias inviſit, & ſimili commendatitiarum ſubſidio Clariſſimis Viris innotuit. Jenæ paulo diutius commoratus eſt, ubi cum ſupra laudato OPITIO renovata conſuetudine & D. CASPARIS SAGITTARII cognati ac fautoris ſui amantiſſimi conſilio uſus, in Celeberrimorum Virorum D. JOHANNIS MUSÆI, FRIDERICI BECMANNI, JOH. ANDREÆ BOSII, ERHARDI WEIGELII, JOH. CASPARIS POSNERI ſingularem ſe inſinuavit benevolentiam atque amorem. Autor illi erat idem SAGITTARIUS, ut Magiſtri Philoſophiæ titulo ornari ſe pateretur, quod non tam aſpernatus eſt, quam longius iter adhuc in mente volventi Academicum auctoramentum parum ex uſu ſibi fore exiſtimavit. Dedit inde ſe

in

in viam, & Ratisbona petens Vindobonam ſpectavit Auguſtiſſimi IMPERATORIS Regiam & in illa Bibliothecam vere Auguſtam, non mediocri uſus humanitate illuſtris Viri PETRI LAMBECII cui a BOSIO & SAGITTARIO commendatus erat. Ab hinc Hungariam petiit, eodemque tempore fuit Poſonii, cum præclarus ille D. REISERUS noſter ob Confeſſionem conſtantem Evangelii duros ibi carcarceres perpeſſus capitali ſupplicio afficiendus eſſet, quod, cum carnifex manum jam ad ictum feralem extendiſſet, exilio deinde ſubeundo permutatum eſt, unde magnus ille Vir interjecto tempore Eccleſiæ hujus urbis noſtræ ad D. Jacobi Paſtor meritiſſimus, quoad Hamburgi una cum noſtro vixit, non minus familiarem & conſtantem cum illo amicitiam coluit quam cum anteceſſore ejus B. VOIGTIO, cujus funus etiam triſtiſſimo Vale eſt proſecutus. Volebat jam ſocer poſt uſurpatas oculis Poſonium, Jaurinum & alias Hungariæ urbes, per Bavariam & Tirolim An. MDCLXXIV. generoſos juvenes Romam ad Jubilæi ſollennia comitari, ſed prope Oenipontem hærenti contigit eum revocari ab hoc conſilio per inſomnium, quod & tum & ab eo tempore ſemper pro divino eſt interpretatus. Scilicet viſus eſt ipſi pater jam moriturus cum gravi indignatione & comminatione interdicere ne ad illa loca pergeret in quo cum comitibus ſuis graviſſimā animæ ac ſalutis poſſet facere jacturam. Dum anxius animi & conſilii

incertus quid faciendum cogitat, en redux ex Italia amicus fidei ſuæ creditos juvenes nobiles domum ducturus eum deprehendit, & poſtquam varias itineris Italici eo præſertim tempore moleſtias & miram Romæ omnium rerum caritatem expoſuiſſet, ſocero demonſtrante juvenes quos ſecum habebat Romam tamen neceſſario tendere debere, licet ipſe non videret quomodo eas comitari poſſet, ita inter illos convenit, ut permutatis mutuo liquidis rationibus noſter alterius vice juvenes illos nobiles domum ducendos acciperet, alter pro ſocero Italiam peteret iterato itinere, & hujus curæ demandatos Romam proſequeretur. Vix Auguſtam Vindelicorum dum in patriam iterum tendit Socer attigerat, cum redduntur ipſi litteræ fratris manu ſcriptæ, quæ nunciabant Patrem (illa ipſa ſcilicet nocte qua inſomnium viderat) diem ſupremum obiiſſe, & matrem atque neceſſarios omnes vehementer deſiderare ut quam poſſet celerrime domuitionem maturaret.

In Patriam delatum & omnia alia cogitantem Scholaſtici ſtatim labores conſtrinxerunt. Nam commendatione ſingularis Viri ABRAHAMI HINCKELMANNI, Rectoris tum Gardelebienſis, poſtea Paſtoris ad Stæ. Catharinæ apud Hamburgenſes meritiſſimi, Conrectura ei oblata eſt Scholæ Saldriæ in opido Brandenburgo. Paucis menſibus interjectis, cum laudatus HINCKELMANNUS Gardelebienſem Recturam cum Lubecenſi permutaſſet, Gardelebiam revocatus patriæ ſcholæ Recturam

gesſ-

geſſit per annos ſex circiter, quo tempore ultra decimeſtre ſpatium ſimul concionum ſacrarum vices ſibi imponi paſſus eſt, cum B. M. FRIDERICUS GESENIUS Superintendentis Gardelebienſis muneri valedixiſſet & Præſulatum Generalem Parchemenſem in ducatu Megapolitano fuiſſet ingreſſus, obortæque interim neſcio quæ controverſiæ vocationem novi Antiſtitis nonnihil differrent ac producerent. Circa annum MDCLXXXI. extincto ſuo quondam Præceptori ALBERTO SCHULTZIO, Conrectori Scholæ Luneburgenſis, ſucceſſor datus eſt, quo tempore Recturam ibi gerebat Vir. Cl. M. JOHANNES CHRISTOPHORUS LAUTERBACHIUS. Luneburgo Hamburgum eum deduxit Divina benignitas, ubi major laborum atque vitæ Scholaſticæ pars exigenda illi adhuc reſtabat. Nam poſt acerbum L. GODOFRIDI VOIGTII obitum, Ampliſſimi SCHOLARCHÆ ipſum præ cæteris delegerunt qui Scholæ Johanneæ Voigtii loco præeſſet, itaque a Magnifico SENATU ad hoc munus ornandum vocatus, & a SummeRev. Miniſterii Seniore Scholæque Ephoro B. D. DAVIDE KLUGIO præmiſſa Oratione *de Scholæ bono Rectore*, ſolenni ritu introductus eſt ſub auſpicium anni LXXXIII, qua in ſplendida Panegyri *de Præſidiis bonæ mentis* verba fecit. Ab eo tempore fidei ſuæ atque induſtriæ documenta non inficianda Ampliſſimis SCHOLARCHIS & univerſæ Civitati exhibuit Examina publica quinquaginta. Orationes habuit XXV,

in quibus parentales nonnullæ, ut quas Summe Rev. Miniſterii Seniorum, laudati KLUGII, SAM. SCHULTZII, & cujus mortem noviſſime communi luctu proſequebamur JOANNIS WINCKLERI memoriæ conſecravit. Hæc poſtrema & cum Concione funebri exſcripta typis, & a Rever. cive atque amico noſtro HENRICO PIPPINGIO *Eccleſiaſte* Lipſienſi diſertiſſimo doctiſſimoque Memoriis Theologorum Sæculi ſeptimi decimi, inſerta eſt.

Quanta fuerit Soceri in munere ſuo diligentia & dexteritas, quantus integris viribus fervor, quanta non dicam fides ſed fidei ſummus quidam ardor ac contentio, quam incredibile perſpicuitatis & catecheticæ methodi in uſum vertendæ ſtudium, quanta cautio ut memoria non modo ſed judicio etiam atque intelligentia complecterentur diſcentes ea quæ ipſis proponebantur, malo ſtare diſcipulorum illius quos in prima claſſe Johannei noſtri habuit plures quingentis, quam meo teſtimonio. Probum & DEI reverentem, pacisque quantum in ipſo eſſet ſtudioſum, amantemque ſuorum teſtari poſſum, qui nunquam cum ipſo in gratiam redii. Idem aliis Concordiæ autor erat aſſiduus, nunquam durior niſi ubi forte legibus & ſtatutis Scholæ derogari aliquid exiſtimaret. Ad inſerviendum aliis etiam vix de nomine cognitis promtiſſimus, in ſublevandis egenis, præſertim neceſſariis ſuis beneficus ac liberalis. Si quid

tem-

temporis ab ordinariis & concatenatis muneris ſui laboribus ei ſupereſſet, hoc nulli rei libentius & cum majore voluptate impendebat quam meditationi ſacrarum litterarum, in quibus nihil inexcuſſum geſtiebat relinquere, & quarum deliciis animum ſuum quotidie paſcebat, nec ſatiari illis poterat. Eſt mihi in manibus Codex Novi Teſtamenti quo uſus eſt majoris formæ Græcolatinus a capite ad calcem notatus ejus manu, & pluribus locis difficilibus lucem affundens. Sed luculenter etiam de ſingulari ejus in ſacras litteras ſtudio ſcripta ipſius pleraque in lucem edita, tum longe plura quæ manu exarata adhuc ſuperſunt, poſſunt fidem facere. Typis exſcripta ſive in Scholarum ſive in ſtudioſorum ſacrarum litterarum uſus hæc exſtant, quorum in præſenti recordor:

Sylloge ſacrarum tam Catecheticarum quam Exegeticarum Exercitationum in varia Sacra Scripturæ dicta. Hamb. 1700. Syllabum ſingularum videre licet in Novis litterariis Germaniæ A. 1707. p. 171.

Examen Catecheticum Compendii Locorum Theologicorum D. Leonhardi Hutteri, ibid. 1706. 12.

Pietas Symbolica, ſive Catechiſationes ex tribus Symbolis Oecumenicis & Auguſtana Confeſſione ibid. 1706. 12.

CHRISTUS deprecans non deprecans. Hamb. 1694. 8.

Hiſtoria Pharaonis indurati. ib. 1704. 8.

Von heylſamen Schul- und Kirchen-Weſen. ib. 1703. 8.

Ciceronis librorum de Officiis Anatome Philoſophica. Hamb. 1700. 12.

Anatome Philoſophica Paradoxorum Ciceronis. ibid. 1702. 12.

Tabulæ Synoptica Troporum figurarumque Rhetoricarum cum exemplis. ibid. 4.

Tabula Cebetis, cum verſione latina qua verbum verbo redditur. ibid. 1694. 12.

Mythologia Metrica & Moralis, ſive fabularum Auctores quindecim latini veteres & recentiores qui CCCL fabulas vario carminis genere deſcripſerunt. Hamb. 1694. 12.

Fauſti Andrelini Epiſtolæ Proverbiales & morales. ibid. 1700. 12.

Inedita longe plura reſtant, ut *Examen Catecheticum in omnes lectiones ſive pericopas Evangelicas per totum annum: Expoſitio Epiſtolæ ad Romanos & Hebræos, Epiſtolæ ad Titum & Epiſtolarum ſeptem quæ Catholicæ vocantur, tum Commentationes de peccato & blaſphemia in Spiritum S. Paulus non legis opera ſed operum legem, meriti proprii opinione nitentem caſtigans atque damnans. In locum Joelis Actor. II. allegatum. Facula Hiſtoriæ de baptiſmo CHRISTI, & publice inchoato ejus munere Prophetico, usque ad primum feſtum Paſchatos quod Servator Hieroſolymis in illo munere Prophetico ab ſe celebratum voluit.*

Connubio ſibi junxit Anno M DC LXXIX. Gardelebiæ Virginem nobiliſſimam quam vere per omne tempus conjugii, poſtremis annis maxime expertus eſt DOROTHEAM, cujus pater MARTINUS Anno MDCLXIV. defunctus,

ctus, avusque JOHANNES & proavus JOACHIMUS FALCO Conſulatum in patria obierunt: frater unicus, Vir Nobiliſſimus MARTINUS FALCO præfecturam hodie gerit opidi & ditionis Aarendſee, atque ut diu rebus proſperis gerat precor. Mater MARGARETHA BECKERIA Anno MDCLXXXV. extincta binorum Conſulum Gardelegenſium uxor & filia Conſulis, neptisque judicis Provincialis Obsfeldenſis. Ex hoc matrimonio unicam ſuſcepit Anno MDCLXXX. Gardelebiæ adhuc agens prolem MARGARETHAM, quæ digna iis parentibus ſollicitudine educata Anno MDCC. mihi nubſit, atque filias duas, unam majorem natu Anno MDCCV. CATHARINAM DOROTHEAM, alteram Anno MDCCVII. JOANNAM FRIDERICAM feliciter divino beneficio enixa eſt, quarum auſpicatis incrementis omnium rerum ſator, altor atque educator benedicat.

At ſocero, ingraveſcente ætate, ſexagenario jam propior cum fieri inciperet, natura & conſtitutio tota corporis, quod alioqui non plane infirmum acceperat, variis modis quaſſari labefactarique cœpit. Itaque ut illi quoad poſſet ſubveniret, & labantem caſam fragilem utcunque ſuffulciret, rupturamque minans veſtimentum ſarcire quodammodo conaretur, ærumnoſum (ut ſolebat ſemper appellare) iter ad Thermas nobiles Emſiæ, (Naſſoviæ hic vicus eſt) Anno MDCCIV. ſuſcepit, nulla alia re-

moleſtiam viæ magis levante, quam quod comitibus uteretur optatiſſimis, B. Seniore Summe Rev. Miniſterii JO. WINCKLERO, cui paucis poſt reditum menſibus defuncto, ut ſupra dixi, parentavit: & Rev. JUSTO CORTHUMIO digniſſimo & meritiſſimo ad S. Nicolai Eccleſiaſte, cujus ætati multos precor annos Eccleſiæ commodo adjiciat Divina benignitas! Reverſus domum non multo melius habere cœpit, ſed magis etiam ſubinde affectas vires conqueſtus eſt, quamvis officii ſui partes aſſidue interim ac diligenter obiret: at Calendis Martii Anni MDCCVI. hora octava matutina (quæ etiam nuper ipſi fatalis fuit) inter ipſos labores Scholaſticos, cum locum claſſicum 1. Joh. V. 7. de tribus in cœlo teſtibus pro adorando SS. Trinitatis myſterio interpretaretur, repentino gelidi aëris impetu perculſus & velut apoplectico conſternatus ictu ſufflaminatum linguæ uſum ſenſit, qui divino beneficio & ſalutari præſtantiſſimi Medici dexteritate reſtitutus quidem eſt paullo poſt, nunquam tamen ab illo tempore de integra valetudine gratulari ſibi noſter potuit. Mox hydropis ſigna quædam ſe prodere, brevi iterum evaneſcentia: inde ſenſim deficere vires animi memoriæque, jam citra cauſam mœror & Melancholiæ per intervalla urgentis paroxyſmi, hinc acceſſus epileptici circa lunæ phaſes recurrentes frequenter, & jam acrius jam remiſſius corpus afflictum proſtratumque concutientes. Hiſce malorum vicibus

ja-

jactatus eſt optimus Vir a feſto die usque quo CHRISTI in cœlos evecti memoriam Eccleſia celebrabat A. MDCCVII. usque ad illud tempus enim, affectis licet viribus, munere ſuo pro virili fungi neutiquam neglexerat. Denique per aliquot abhinc hebdomades ſubinde occupans eum lethargus, imminens propius lethum ſignificavit, ipſi profecto lætum, & multis millenis ad DEUM ſuſpiriis expetitum. Placide igitur in CHRISTO obdormire ei datum eſt die XXVI. Januarii paullo ante nonam matutinam, cum exegiſſet annos LXI. menſem I. dies VIII. Epitaphium quod manu ſua conſignaſſe eum ſibi reperi, idoneum huic narrationi colophonem imponet:

Unum, Viator, Verbum!
Satis me Naturæ vixiſſe oppido experior,
dum me rerum in vita fungendarum
ut moleſtia ſic ſatietas
totum capit.
Mearum quod fuit partium, quantum per DEI gratiam
potui,
ſincera fide feci.
Uni nunc DEO exſolvi meo lubens cupio:
Quem
Creatorem meum
Redemtorem
&
Paracletum
Æternis celebrare laudibus
unice anhelo.

Utinam illud contingat
etiam Te,
Et hominum redemptorum nemine non,
Sanctiſſimis Sodalibus!

Exuviæ inferendæ tumulo ſunt die V. Februarii, quibus in templum S. Petri comitandis audeo ab Ampliſſ. Patronorum Fautorumque benevolentia, non infrequentem deductionem expetere & polliceri.

EPI-

EPICEDIA,

Quibus

MEMORIAM

VIRI CLARISSIMI

DOMINI

M. ZACHARIÆ MOSERI,

Brandenburgo-Marchici,

Qui poſt multos, eosque graviſſimos labores, quos Magdeburgi in Gymnaſio, ut Sub-Conrector, per quinque annos; Chilonii in Holſatia, ut Rector, per quatuordecim annos, & Hamburgi, ut Con-Rector, per triginta quinque annos, magna cum fide & laude exantlavit: tandem pie & placide in CHRISTO Salvatore ſuo obdormivit, & Hamburgi in æde D. Nicolai ſepultus eſt A. C. H. cIↄ Iↄc LXXXII. prid. Cal. Dec. cum tranſegiſſet annos ætatis LXXXI. & VIII. Menſes.

Gratæ, ſi qua futura eſt, debitæ pietatis atque officii memores commendare voluerunt

nonnulli quondam ejus Collegæ

HAMBURGI,
Typis REBENLINIANIS.

Digitized by Google

TU quoque nunc animam reddis, *grandæve Möſere,*
Atque jaces gelida contumulandus humo!
Quam cito *Daſſovium* es, noſtrumque ſecutus Amicum
Voigtiaden, quo non carior alter erat!
Luſtra decem, ac quatuor curaſti gnaviter annos
Munus, quo gravius vix onus eſſe queat.
Tres urbes, totidemque Scholæ tua dogmata norunt,
Tradita diſcipulis dogmata ſana tuis,
Nunc ſperata tibi, per fine carentia ſecla,
A tam difficili eſt parta labore quies.
Hic quoque, quod grata memorabas mente, licebat
Ante obitum emerito poſſe quiete frui.
Felix, mundi inter curas æternaque, quoddam
Qui ſpatium, in CHRISTO quo recreetur, habet!
In pretio quondam Lacedæmone cana ſenectus
Eſt habita, ut veterum ſcripta probata docent.
Hamburgum quoque habet Prytaneum, quando labore
Et ſenio fructos paſcit alitque viros.
Hoc ſtimulet juvenes, & queis maturior ætas,
Officium ut faciant ſedulitate pari.
Ipſe tuus Succeſſor ego, ſim viribus impar,
Et ſtudio tamen & cedere nolo fide.
Sit modo, quo numen non eſt præſentius ullum,
Amplius auxilio præſidioque DEUS.

Hic robur laſſo, vireſque ſubinde miniſtret,
Deficiat mentis ne vigor ante diem!.
Hic doceat malefacta pati, & maledicta modeſte
Ferre, quibus lacerat turba profana Scholam:
Turba profana, cui volupe eſt nil tale merentes
Et premere, & variis excruciare modis.
His tu, morte pia, curisque malisque *Möſere*
Liber, in ætherea vivis agisque plaga.
Quam bene ſunt tibi res verſæ! quis ſpernere mundum
Negligat, ac ſuperis invigilare bonis?
Gratulor hanc ſortem, nec enim lugere beatum
Hæredem Cœli, municipemque decet.

JOACHIMUS HENNINGIUS,
Con-Rector.

SO ſchleußt der werthe Mann Herr Möſer ſeinen Lauff/
Da unſer Kirchen-Jahr faſt bey dem Ende ſtehet:
Er läſt das ſtreitend' Heer/ uñ ſchwingt ſich Him̃el-auf
Zur Schaar/ die nur im Sieg und Freuden-Sprüngen gehet
Und ſtetigen Triumpff. Was uns Jairus Hauß/
Des Schulen-Oberſten für bitter-ſüſſe Lehren
Gab neulich an die Hand/ die ſind nun bey ihm aus:
Von Schwermuth Tod' und Schmertz darff er nicht weiter hören.
Chriſt-Ehr- und öffentlich zur Erden wird gebracht
Der kalt' erblaſſte Leib/ im Sarg und auf der Baaren:

Biß auf den groſſen Tag/ der da iſt ohne Nacht/
Der groſſe Mutter Schooß ihn doch nur ſoll verwahren.
Dann wird ihn wecken auf/ der ſchon den frommen Geiſt
Hat gnädig aufgefaßt/ der Heyland der Erlöſer
(Wie ER die Seinen doch aus allen Nöthen reißt)
Hat auch mit ſtarcker Hand ſchon ſeinen alten Möſer
In ſein Reich heim geholt. * da er nun nimmer kennt
Faſt-Buß-und Bete-Tag. Trägt in der Hand die Palmen
Und auff dem Haupt die Kron: hält herrlichen Advent/
Zeucht zu dem Heyland ein/ ſingt Lob- und Freuden Pſalmen/
Hält Danck-Feſt' ohne Zahl/ geht ein durchs Perlen-Thor
In das Jeruſalem/ das droben: mit Verlangen
Erwartend/ biß der HERR auch rufft den Staub hervor/
Und den verklährten Leib die Seele wird umfangen.
Du wohlverdienter Mann/ haſt vier und funffzig Jahr
In Lehr und Leben hie geſchienen weit u. ferne;

Da

* Es wird geſehn auf des ſeel. Herrn Wunſch/ den er offt auf ſeinem Tod-Bette geführet:

Komm/ ach/ komm doch mein Erlöſer/
Hohle deinen alten Möſer.

Da wirſt du ewig/bey der Außerwehlten Schaar/
Recht ein Jairus ſeyn/ und leuchten wie die Sterne.

M. Frantz Hinrich Meſchmann.

ET tu, felici tandem tua tempora curſu,
Möſere, emenſus, cœlica tecta ſubis?
Sic eſt. Annoſus requiem captare Viator
Mavis, quam dubios ſollicitare pedes.
Feſſus eras dudum ſpatioſæ munere vitæ;
Votaque cum Chriſto vivere ſemper erant.
Quid mirum? ſi Cymba fugax, defuncta procellis,
Optato varium flamine claudat iter?
Quem juvet inſano jactarier æquore, terris
Si liceat quaſſas applicuiſſe rates?
Sunt ſolvenda ſuis etiam tentoria vinclis,
Quando præ caſtris civica vita placet.
Nulla ſalus bello; pax poſcebatur, Olympum
Quærebas; nec enim Patria mundus erat.
Præſtat ſervitio libertas aurea triſti:
Nec cœlo quicquam dulcius eſſe poteſt.
Solve proin felix, oris diſcedito noſtris:
Et, quod anhelabas, nunc ſatiare bono.
Cum tibi migranti jam tum poſtremus adeſſem,
Vaſaque ſpectarem compoſuiſſe viæ;
Ipſe animo forti reduces nos eſſe ferebas
Ex Sion captos: ſpesque levabat onus.
Utque erat excellens ſemper tibi muſica curæ,
Sic ejus nec tunc immemor artis eras.

Vita-

Vitalem, vitam quam ducimus, eſſe negabas;
Dignior hæc mortis nomine vita tibi.
Ipſi, quod res eſt, tecum, defuncte, fatemur:
Nil niſi mors vita eſt, morsque ſalutis iter.
Sic morimur vita; in vitam ſic morte redimus.
Sicque mori vitæ, vivere mortis erit.
Mutaſti vitam vita meliore; perennis
Gaudia ſunt vitæ nobiliora piis.
Pergimus ex primis annis migrare coloni,
Quo tandem puncto juſſerit ire DEUS.
Felix quisque, fidem qui non migraverit! Illi
Æternum vere vivere vita dabit.

Joachimus Gerſtenbüttel/
Cantor.

Monumentum Môſerianum.

Mitte moras, mea Muſa memor, modulare melisma,
Mœroris mandat moliri metra Minerva,
Materiem multam mœrendi Morta miniſtrat,
Morta metens mucrone malo mortalia membra
Môſeri, multum macerati mole malorum.
Magnaevi Manes modulantia metra merentur,
Maeoniosque modos. Memoraret Muſa Maronis
Maſcula Môſerum. Metrum mea Muſula molle
Mittit. Melpomenes magnus meritusque Miniſter

Mu-

Muſicolis multis monſtravit munia mentis
Manſuetae, multis Muſas, moresque modeſtos.
Morigeros molli movit moderamine, mulctans
Moroſos, metuitque minus mala murmura mundi.
Mandatum munus macies, morbusque moleſtat;
Miſcebat medicus medicamina multa Machaon,
Multiplicant morbi molem magmenta maligna.
Magnanimus meminit moribunda mente Monarchae
Mundi; meta manet, memorans, medicina manetque
Mors Mediatoris mihi, me meliora manebunt.
Mendae me mordent, morſo metanoea medetur,
Meſſia miſerere mei, miſerere miſelli.
Magnus Muſarum marcet, moriturque Magiſter
MOSERUS. Malas madidat moeretque marita;
Moeremus merito meditata mente manuque.
MOSERUS: minuat moeſtas meditatio mortis
Mentes; mortales morimur, majorque minorque
Migramus. Macerat Martis monſtroſa Megaera
Mundanos, minitans majus miſerabile mundo:

Me mellita manus mactat mercede micante
Meſſiae, mulcentque meam modulamina mentem,
Multum mutatus miror myſteria magna.
Mittite mœſtitiam, moneo, mortalia muto.

In manſuram mortui memoriam modulabatur mente manuque moerentibus

Paulus Georgius Krüſike /
Põeta Nobilitatus & Scholae Hamb. Collega Tertianus.

VEra ſenectutis flos autumnalis imago eſt,
Si quando nobis tardior ire ſolet.
Scilicet a variis venientibus ille procellis
Cogitur, & noctis frigore, multa pati.
Sic, quibus in gelido vehementer corpore morbis,
Et ſine fine, ſenex excrucietur, habet.
Quamvis ille ſatis vivax, patiensque malorum
Sit flos, æſtivus quæ tolerare nequit;
Attamen ingenti ſuperatur frigore tandem,
Demittitque, anima deficiente, caput.
Talis in autumno floris durabilis inſtar
Mõſerus, noſter charus amicus, erat:
Vivax & vegetus; tamen illum ſerior ætas
Conſuetis miſere preſſit iniqua malis.
Nunc autumnalis, prenſantem vulnera Chriſti
Ulnis & votis, exanimavit hyems.
Flos qui conciderat cum verno tempore, multo
Pulchrior, haud dubie, quam fuit ante, redit.
Sic quoque Mõſerus noſter, cum vere reſurget
Æterno, clarus, clarificante DEO.

Renatus Cruſius,
Præceptor quintæ Claſſis.

Ad

Viri Clariſſimi Doctiſſimique

DN. JOACHIMI HENNINGII,

Guſtrovienſis,

qui

Anno 1634, die 18. Julii in mundum natus; a Muſis anno ætatis 19. ex Lyceo patrio in Gymnaſium Stralſundenſe traductus, indeque a. 1656. in Greiphsvvaldenſem, anno 1658. vero in Hafnienſem Academiam profectus, ibi a Bangiis, Bartholinis, Brochmannis, Ernſtiis, Borrichiisque, in deliciis habitus, atque poſtmodum, ut Vir literarum & librorum peritiſſimus, Eruditis Hamburgenſibus commendatus, ab anno 1669. die 21. Maji Johannei Hamburgenſis, pro prima claſſe Sub Rector; deinde ab anno 1681. Con-Rector, digniſſimus fideliſſimus: nec minus cum M. Friderici Hoffmanni, Scholæ tum temporis Collegæ, Filia Eliſabeta, matrimonio junctus, atque trium liberorum, uniusque Filiæ Virginis etiamnum ſuperſtitis, pius Pater: denique, poſt duram optimæ informationis ſortem, anno 1698. die 30. Aprilis, pie defunctus vita, animam magna cum fiducia DEO commendavit,

benevole frequentandas cohoneſtandasque Exequias, ad diem VI Maji,

una cum defuncto Collega,

RECTOR

Cunctiq; Collegæ Johannei Hamburgenſis, pro conteſtando communi in Beatum Collegam affectu, etiam atque etiam invitant, rogant, orant

---

Typis CONRADI NEUMANNI, Senatus, Gymnaſii & Scholæ Typographi, 1698.

DEFUNCTI,
de Mundo, in Mundo,
Ultima.

Sta, Viator,
& jacentem audi:
non ore amplius, ſed per lapidem,
tecum nunc loquentem.
Ego, usque huc homo de Schola,
multa ſum antea ore locutus ad homines, velut
ad lapides:
ſaxeam mentem mihi obvertentibus multis,
quos omni conabar ſtudio
homines facere.
Fatum certe, per juventutis inſolentiam, Scholæ
doctoribus haud inſolens:
Cum & Magiſtro Magiſtrorum omnium
Optimo,
non niſi Vera, Bona & Salutaria,
ſemper monenti,
quondam, in ipſo templo,
reſponderi cœptum ſit
lapidibus.
Forſan vero etiamnum queretur lapis hic
lapidibus:
quandoquidem illi, inter homines, lapidibus
pejores ſunt,
qui
vel Præceptores, vel Parentes,
recta monentes, audire,

ſervi-

ſervitutem atque jugum eſſe, dicunt:
libertatem affectantes,
ad ea etiam, quæ ſunt peſſima.
Verum,
O cæcas hominum mentes! O pectora cœca!
Vera libertas eſt, Parere bonis legibus:
nulliſque mancipari vitiis.
Quid igitur?
Præcipitari lubet, an Refrenari?
Ut nunc in mundo tempora ſunt,
mores certe ruinam poſcunt, & invitant.
Ergo, munde, peri, ſanctis monitoribus aſper:
Non niſi jure peris, quando perire cupis.
Quid miramur,
ſuperiorem tonare aërem tempeſtatibus,
quoad, e terra, vaporibus liber patet exitus?
Scholam ne ſinite indomitam eſſe,
quietam qui Rempublicam vultis.
Petulantia juvenum, licentia civium,
denique peſtilentia eſt Urbium.
Sunt, fateor, quibus, per officium, incumbit, illi
malo, partim coërcendo, partim coërcentes
protegendo, mederi.
Quid vero facias,
ſi quis ſuos arceat, ne coërceantur?
&, (ſi coërcentur, ut corrigantur,) eos monitoribus
auferat, hisque iraſcatur, &, pro gratia,
odium rependat?
Ea ſcilicet lege recte quidem dicunt,
aliquem non valere huic malo mederi,
ſi quando ipſum audere illud nolunt.

Ex alto (libertatis dicam an licentiæ?) tecto,
atque munimento,
cuivis puero facile eſt, vel Herculem, in loco
plano, ludum facere.
Interim vero
quod ſi Pueros coërcere parvos non eſt leve
negotium;
quanto erit majus periculum, & onus,
Adultiores refrenare?
viribus animi ac corporis,
(addo: fortunæ etiam,)
ad audaciæ obluctationem, inſanum quoddam
calcar addentibus?
Præſertim,
ſi antiqua exempla inſuper argumentum
præbent, quod licentia illa, ac prava conſuetudo,
multis retro annis natales debeat.
Quali malo inveterato obicem ponere, &
torrentem ſiſtere,
æque magni res laboris,
& ſucceſſus plane deſperati eſſet,
ſi, quorum manus ſunt majores, admovere eas
ſubinde tergiverſarentur:
ut,
patientiam precari, & certam mercedis ſpem in
cœlo facere,
unum foret beneficium, & plenum ſolatium.
Sane vero & bonum:
quoniam ſic intermitti, ac deſinere, neſciat
ſuſpirium hoc:
Cupio ſolvi, & eſſe cum Chriſto.

Fa-

Facillimeque ita queat fieri, pro diſſolvendi
hominis miniſterio,
& Choleram, & Phthiſin & Hydropem,
& quid non?
commodius invaleſcere.
Meam ego partem ſatis magnam habui,
ut voto minimum ad metam properare
neceſſum fuerit.
Quam nunc tandem conſecutus vere mihi gaudeo, incruentus quidem, ſed haud parum
cruciatus, fortunæ Scholaſticæ
martyr.
Relictis autem Collegis meis,
ſingularis fidei, & ſubſidii, etiam coram Deo,
memor, mitiora precor, atque meliora,
toto animo.
Abi nunc, Viator,
& nuncia, per plateas omnes, omnibus,
me, amicis & fautoribus gratum, inimicis &
hoſtibus amicum,
cunctisque & ſingulis bene precatum,
diſceſſiſſe.
Si qua in mundo benevolentia pro me ſupereſt,
eam exſequiis, & relictæ filiæ unicæ,
poſtremo hoc verbo
obnixe rogo.

MEMORIA
VIRI CL.
DOMINI
FRIDERICI
HOFMANNI,

DE ERUDIENDA JUVENTUTE
OPTIME MERITI MAGISTRI
SUPREMÆ PIETATIS CAUSSA,
FAUTORIBUS ATQUE AMICIS EJUS
COMMENDATA

A

JOACHIMO HENNINGIO,
GUSTROV.

HAMBURGI,
LITTERIS PFEIFFERIANIS,
ANNO MDCLXVII.

SI ob præclara in Remp. merita, optimos quosque ac præſtantiſſimos Viros præ cæteris obſervamus, colimus & diligimus, quamdiu hac lucis uſura fruuntur; immo vero ab obitu etiam, omni pietatis atque benevolentiæ affectu memoriam eorum proſequimur: nefas utique fuerit, debita iſtiusmodi humanitatis officia illis denegare, qui omne tempus, omne ſuum ſtudium ac curam eo conferunt, ut Reſp. felici optimorum ac præſtantiſſimorum Virorum provehtu queat abundare. Bonos & eruditos Scholarum Magiſtros hoc nomine comprehendi, quivis eruditus facile intelligit; certe pro viribus id erat agendum omnibus ac ſingulis, qui erudiendæ Juventutis ſpei ſeſe admoveri patiuntur, ut tenella ætas a primis ſtatim annis, ſinceræ pietatis & probitatis ſtudium cum ſalutari literarum cultura quam diligentiſſime conjungere diſceret, in ſperatum boni publici emolumentum. In iſtorum numero, quamvis non adeo ſit amplus, ſi quis alius, ſuum merito nomen profiteri poterat elatus nuperrime, non ſine acerbo omnium bonorum luctu, doctiſſimus atque clariſſimus Dn. FRIDERICUS HOFMANNUS, qui per quinque fere luſtra lectiſſimam ampliſſimæ hujus civitatis pubem, tam publice, quam privatim, aſſidua & vehementi occupatione, ſingulari dexteritate, magna deñique utilitate, ſi ad æquos & intelligentes rei Scholaſticæ arbitros ſit provocandum, tam vivendi honeſte, quam optime diſcendi rationem

docere allaboravit. Hujus tam eximii pueritiæ rectius formandæ artificis vitam, ſtudia & mores, beatumque ex hac vita diſceſſum, intermittere non potui, quin qualicunque hac ſcriptione, Fautoribus atque Amicis ejus, quos reliquit quam plurimos, exponerem: non quod illud magnopere judicarem neceſſarium, quandoquidem ipſe ſibi virtute & recte factis immortale apud gratam poſteritatem comparavit nomen, ſed ut amici ob raram integritatem deſideratiſſimi beatis manibus juſta quodammodo perſolverem, veniam interim mihi pollicitus, ſi præ graviſſimo mœrore, qui hunc animum inter ſcribendum ſæpius ſolicitavit, facultas, quæ admodum eſt exigua, voluntati ſatis prolixæ per omnia non reſponderit.

Natus itaque eſt HOFMANNUS noſter ſeculi hujus anno decimo tertio, in agro Quernheimienſis Cœnobii, quod in Weſtphalia ad Epiſcopatum, ſeu ut nunc appellari audio, Ducatum Mindenſem pertinet, Patre Viro optimo JOHANNE HOFMANNO, Matre autem honeſtiſſima fœmina GESA BECKMEJERIA, iisdem aviti agelli hæredibus pariter & cultoribus: Felix utique vitæ genus, ſi intra ſuam ſeſe continere novit innocentiam! Prima Parentum optimorum cura fuit, ut filiolus recens natus ſacro Baptiſmatis lavacro tingeretur; in quo quidem ſalutari opere perficiundo DEUM ac homines habuere propitios, teſte præter reliquos, in literis ſuis Venerabili Viro Dn.

FRI-

FRIDERICO CLINGIO, dicti modo Cœnobii tunc Paſtore, & quod ex nominis etiam impoſitione apparet, infantis Suſceptore, primæque ſimul ejusdem pueritiæ moderatore. Hanc ubi exceſſiſſet, egregiam ſtatim in eo Parentes animadverterunt indolem, & ad excolenda liberalium artium ſtudia maxime idoneam. Quamobrem, etſi filium natu majorem jam ante in bonis literis erudiendum curarent, (qui Paſtoris in patria munus poſtea conſecutus, & ut ſibi perſvadent amici, adhuc eodem fungitur,) non dubitarunt, & hunc alterum filium iisdem Muſarum ſacris conſecrare, maxime cum ex divina benignitate, ſumtus ad eam rem ſi non ſuperflui, ſaltem neceſſarii ipſis ſuppeterent. Bono igitur augurio adoleſcentem miſerunt Hervordiam, quæ urbs eſt in Weſtphalia ſatis celebris, inque bonæ fidei Præceptoris diſciplinam tradiderunt. Depoſitis ibi literarum rudimentis, cum ſummo Parentum atque Amicorum conſenſu Hameloam conceſſit, quod iſtius oppidi Scholam præ aliis florere cognoviſſet. Hic quam pius, probus atque diligens fuerit diſcipulus, vel ex unico videre eſt Rectoris Scholæ Hamelenſis teſtimonio, quod cum modeſtiſſime petiiſſet ad Scholam Mindenſem abiturus, illud enim ab advenis non immerito ſolet exigi, hujusmodi tulit reſponſum: *Quidni, mi adoleſcens tuo ſatisfacerem deſiderio, qui ne nutu quidem, toto quod hic vixiſti tempore, me offenderis, dignus propterea, cujus honeſtiſſimi conatus non meo tantum, ſed omni-*

omnium bonorum favore ac patrocinio ſubleventur. Et hactenus, inclinatis quidem patriæ rebus, nondum tamen prorſus jacentibus, bene cœpta ſtudia promovendi tolerabilis fuerat occaſio; donec tandem fatalis illa bellorum calamitas, quæ atrociſſimi inſtar turbinis, atque violentiſſimæ tempeſtatis, omnem omnino Germaniam ipſos triginta annos ita afflixit, ut plurimis in locis ne nunc quidem penitus ſit erecta, priſtinoque nitori ſuo reſtituta, in Weſtphaliam quoque penetraret. Hinc adeo fiebat, ut cariſſimi ejus Parentes non modo omnibus exhaurirentur facultatibus, verum etiam, impotentiſſimi militis ſævitia, ſolum vertere cogerentur. Terruiſſet alium, atque ab omni ſpe per literas emergendi dejeciſſet, quod HOFMANNUM mirifice confirmabat. Cum enim videret, parum, aut nihil prorſus adjumenti a Parentibus amplius eſſe expectandum, divino fretus præſidio ſua ſe virtute involvebat, &, quæ in patria terra negabatur, in peregrina quærebat liberales diſciplinas perſequendi commoditatem. Atque hoc ipſi inſtitutum adeo ceſſit feliciter, immenſo Dei beneficio, ut optime ſecum eſſe actum aliquando mihi affirmarit voluntario iſto exilio. Namque Hamburgum delatus vigeſimo circiter ætatis anno, Gymnaſiique factus alumnus, antequam unde viveret, ipſi eſſet proſpectum, rariſſima ſane in divinam providentiam fiducia, ductu & auſpicio celebratiſſimorum tunc temporis Profeſſorum JUNGII præcipue, TAS-

SII

SII & VAGETII, quid ſtudia tam Philologica, quam Philoſophica ſibi vellent, intelligere demum penitius cœpit, quorum antea exiguam tantum umbram captaverat. Nimirum hoc in plerisque quas dicunt, Scholis trivialibus objici ſolet diſcentibus impedimentum, quo minus ad majora veniant paratiores, ut inani aliqua perſvaſione pulchre ſibi ſapere videantur: ut primum vero in celebritate atque conſpectu Excellentiſſimorum in omni diſciplinarum genere Virorum vivere occeperunt, idem illis ſolet accidere, quod noctuæ oculis caligantibus ad clariſſimum Solis lumen. HOFMANNUS igitur ſuo in dictis ſtudiis, quibus ob ſingularem utilitatem atque jucunditatem magnopere delectabatur, cognito defectu, aliquo etiã errore, integrum quadriennium, quod nobile ſolebat appellare, ſupra commemoratis Doctoribus totum ſeſe committebat. In primis ingenti JUNGIO factus familiaris veræ Philoſophiæ rationem quam diligentiſſime traditam feliciſſime arripiebat. Jamque maturus Academicis exercitiis non tam ſibi, quam Præceptoribus viſus Roſtochium migrabat, cujus urbis Academia tunc temporis longe erat florentiſſima. Ibi quam diligentiſſime Jungianis literis commendatus Theologorum ſuæ ætatis Anteſignano D. JOHANNI QVISTORPIO, (qui advenæ non ſolum de commodo proſpexit hoſpitio, verum etiam cum Excellentiſſ. DN. Collegis magno fuit in omnibus adjumen-

mento,) S. Theologiæ ſtudium gnaviter aliquandiu excolebat. Namque illud laborum metam ſibi propoſuerat, ex quo, vigeſimo ætatis anno habita in agro Mindenſi concione, non plane ſe ineptum ad id deprehenderat. Roſtochio iterum ſeſe recipiebat Hamburgum, quod ob ſumtuum penuriam, (nihil enim ibi præter victum, diligens informatio diſcipulorum referebat,) Academiarum ſtudia diutius continuare non poſſet: cumque alia ratio & vitam tolerandi, & diſciplinas liberales perdiſcendi non eſſet reliqua, privata optimorum adoleſcentum inſtitutione, cui ſuperiori ſexennio jam erat aſſvetus, ſeſe ſuſtentabat, Hoſpitibus uſus perquam liberalibus & humanis, quorum præſtantiſſimi filii beati Viri operam adhuc grata mente prædicant. Miſſis autem diſcipulis, ipſe Præceptor non erubeſcebat incomparabilis JUNGII eſſe diſcipulus; cujus etiam conſilio atque autoritate, (nam Patris loco ad extremum vitæ ſpiritum, tantum Virum habebat,) omiſſis paullatim concionibus Theologicis, quarum tamen non poſtremus erat artifex, Scholarum commoda pro virili ſibi habebat commendata. Rectiſſime enim judicabat vir ſummus, & veteranus Didacticus, hujusmodi pene ad illum perſvadendum uſus verbis: *Vides mi HOFMANNE, Theologiam ſuis gaudere amatoribus ac cultoribus bene multis, nullumque eſt periculum, ne in tanta illorum multitudine Eccleſiis noſtris aliquando deſint verbi divini Præcones. Scholarum*

au-

autem incrementa paucis admodum, ex omni literatorum numero cordi ſunt atque curæ, ut mirum non ſit, veterem, eamque veram eruditionem ſenſim intercidere, cum non exiguo Reip. (cujus partes Schola, Eccleſia, Curia, Forum, domus cujusque privata,) detrimento. Tu igitur, qui tot jam annos privatam habes Scholam, non adeo, quod præfiſcine dictum, infeliciter, quique ad hæc ſtudia multum potes conferre utilitatis, ſi temet, ingeniumque tuum laboris patientiſſimum rectius novi; age in Dei Opt. Max. bonorem, eximiumque emolumentum boni publici, quod omnibus, quantum poſſunt, promovendum, iis totum te dare memento; utrumque enim munus tam Eccleſiaſticum quam Scholaſticum, ſi diligentius ſit adminiſtrandum, ſingulos requirit homines. Nec eſt, quod te deterreat aut injuſtiſſimus cui plerumque obnoxii ſunt Ludi magiſtri, contemtus, aut præmii non raro pro exantlatis laboribus ſane graviſſimis, vilitas: quidquid ingrati homines negaverint vel honoris vel præmii, Deus olim abunde compenſabit, omnis boni operis optimus Brabeutes. Hac aut non multum diſſimili cohortatione inflammatus indies functioni Scholaſticæ magis magisque ſeſe præparabat, ne quando ad eam delatam illotis, quod ajunt, manibus accederet. Non multo poſt accidebat, divina, procul dubio, ſic diſpenſante providentia, (huic enim ceu ſacræ cuidam ancoræ usque innitebatur,) ut ex inferioribus Scholæ Hamb. Præceptoribus diem ſuum obiret DN. JOHANNES HESTERBERGIUS, cujus partes, quamvis ob inſignem eruditionem ſuperioribus eſſet digniſſimus, ipſa non diffitente

te invidia, Fautorum atque Hoſpitum conſilio & auxilio, qui datam a fortuna occaſionem non temere a manibus dimittendam cenſebant, poſt longam deliberationem, tandem ſuſcipiebat. Præterea pertæſus multiplicium, quas publica officia obeuntibus triſtis ſolitudo creare conſuevit, moleſtiarum, relictam ab Anteceſſore viduam ELISABETHAM ex præclara Langermanniorum familia adſciſcebat vitæ ſociam m. Oct. cIↄ Iↄc XLIII. poſtquam duos ante menſes a CL. tunc temporis Scholæ Rectore M. DANIELE ARNOLDI muneri ſuo, ſolenni ritu eſſet præfectus. Jamque Spartam, quam nactus erat, ſtrenue ornabat, pro tenellæ ætatis, quam regebat, captu, cum ſub primi ſtatim anni finem, cariſſimam uxorem una cum ſuſcepto ex ea filiolo amitteret. Verum hanc repentinam domus calamitatem benigniſſimi Numinis clementia firmiori ac feliciori ſolabatur matrimonio, quod Anno Ch. cIↄ Iↄc XLVI. Id. Apr. cum Nobiliſſimi quondam atque Experientiſſimi urbis Medici D. JOACHIMI CORTENII filia, ornatiſſima tum Virgine CÆCILIA contrahebat. Namque cum illa annos prope XXII. dulce ſimul & fœcundum habuit conjugium VII. liberorum Pater, ex quibus tres filiæ honeſte ac liberaliter eductæ cum unico filio ſuperſunt, optimique Patris immaturum obitum, cum Matre longe mœſtiſſima, graviſſimo luctu proſequuntur, effuſis ſubinde lacrymis & lamentabili gemitu ingentis deſiderii do-

lo-

lorem indicantibus; quibus certiſſimus, idemque diligentiſſimus Orphanorum Pater atque Viduarum Curator magno eſſe dignetur tum ſolatio, tum præſidio!

De moribus defuncti, quod illi etiamnunc in omnium animis ſunt ſcripti, quotquot eum familiarius noverunt atque amaverunt, multa afferre, videtur ſupervacaneum; id tamen pro conſcientiæ veritate aſſerere auſim, (arctior enim inter utrumque, ob communia maxime ſtudia, erat neceſſitudo,) fuiſſe eum ſine fallaciis integrum, & ſine fuco officioſum, affabilem, humanum, pacis atque concordiæ, quantum in ipſo erat, amantiſſimum, omnibus comem, nulli gravem. Præcipue autem pietatis in DEUM, qua una virtute omnes reliquæ virtutes continentur, erat ſtudioſiſſimus, eamque vita magis & factis, quam inani verborum jactatione, qua, ſeculi moribus, multi ſunt contenti, exprimebat. Et ut pauciſſimis complectar, quæ pluribus hoc loco poſſent commemorari, ſincerus in omni vita Chriſtianus non tam dici, quam eſſe contendebat.

Porro quam diligens fuerit in demandato officio, præter Ampliſſ. DN. Scholarchas, Clariſſimi ejus Collegæ, Civesque Spectatiſſimi uno ore affirmant; quin ipſi diſcipuli, ſi per ætatem bonum ſuum noverint, fideliſſimi Præceptoris jacturam moleſte ferent. In primis vero Patrem, eundemque Magiſtrum ſuum vehementius deſiderat atque deplorat unicus X. ann. fi-

lius optimæ ſpei; in illo enim erudiendo, quidquid unquam a publicis lectionibus lucrari poterat otii, impendebat, eam omnino inſiſtens viam, quam Excellentiſſ. Virorum ſecutus autoritatem, cui ubique tutiſſime paremus, ante quinquennium commonſtravit tribus editis libris, de quibus ipſe in pererudita ad Nobiliſſ. Amicum epiſtola ſic ſcribit: Ne *idem tumulus, qui corpus nomen meum obruat, neve videar omnino omnem ætatem in pulvere ſcholaſtico fruſtra contriviſſe, ſcripſi tres libros, optimo quidem animo, ſed ſtudio forſan meliore, quam judicio. I. eſt de ratione docendi diſcendique Grammaticen præpoſtera atque perverſa, nec non de hujus mali cauſſis & remedio. II. Manuductio brevis ad Lingv. Lat. III. de inflexione vocum &c.* His addenda imperfecta quidem, at vero perelegans eſt *Tractatio de miraculoſo avium in conſtruendis nidis artificio*, huic enim contemplationi a puerili admodum ætate fuit deditus; digna profecto, quæ cum erudito orbe communicetur, id quod etiam, data opportunitate non negligetur ab acerrimo quodam Naturæ Speculatore.

De ſummis in Philoſophia honoribus, quos juvenis non inertia ſed judicio neglectos, ante XIII. annos, Roſtochii ætate provectiore, graviſſimis de cauſis ſibi petiit conferri, luculentum extat Excellentiſſ. Theologi D. AUGUSTI VARENII teſtimonium, quod hoc loco adducere nimis foret longum.

Reſtat ut pauciſſimis exponam, quem vitæ finem habuerit optimus HOFMANNUS longio-

giori vita digniſſimus, ſi immortali mortalitatis humanæ arbitro ita placuiſſet. Valetudine uſus erat ab ineunte ætate ſatis firma, usque ad conjugii tempus, in quo bis graviſſimo morbo ita implicitus fuit, ut vita prorſus eſſet in dubio. Confirmatus autem, DEO cum Medicorum opera ſuam opem conjungente, hujusmodi quidem vitæ diſcrimen poſtea non ſubiit, levioribus tamen Hypochondriorum ſymptomatis fuit obnoxius. Labente autem hoc anno circa Paſchatos feſtum febre tertiana per aliquot hebdomades affligebatur, quæ cum tandem remiſiſſet provida Experientiſſ. Medici cura Hæmoptyſis ſequebatur, verum & huic aliquod inventum remedium, donec poſtremo lenta ſ. tabes ſ. febris omnem fere medicinam reſpuens, jam ante debilitati corporis vires prorſus proſterneret, cum non obſcura mortis denunciatione. Quod cum præter Medicos & Amicos, ipſe quoque animadverteret ægrotus, conſtituta prius re familiari, longumque valere juſſis cariſſima uxore & liberis, ad ſolius animæ ſalutem omnes ſuas curas & cogitationes convertebat, devotoque S. Cœnæ uſu ad beatum ex hac vita diſceſſum ſeſe præparabat. Durante perdifficilis morbi pertinacia, ne minimum quidem impatientiæ ſignum edebat, ſed in benigniſſimi Numinis voluntate unice acquieſcebat, perſvaſus quam certiſſime, eam ſemper eſſe optimam, licet nobis iniquis interpretibus alia non raro videatur. Binis ante obitum horis cum omnia

viderem conclamata, interrogabam, num quid noviſſima inſtare perſentiſceret? Quod ubi capite leviter inclinato teſtaretur, quæ pro re nata ex ſacris literis ſuccurrebant, de immenſa amoris atque miſericordiæ divinæ erga genus humanum magnitudine, de contemtu mortis, de præſentis vitæ cito tranſitura calamitate, deque futuræ gaudio ſempiterno &c. jam animam agenti amico, ſed adhuc integris ſenſibus prædito in memoriam revocabam. Quæ omnia ubi conceptis verbis approbaſſet, tum vero letali ſudore totum corpus occupante, ut nulla adhibita vi conſumtus ignis, extingvebatur die II. Octobr. hor. IX. veſp. cum tranſegiſſet annum ætatis LIV. & aliquot menſes. Funus ſeptimo die poſt deducebatur pompa, quamvis cœlo pluvio, frequentiſſima, quod relicti in animis bonorum deſiderii non vulgaris illuſtre erat documentum. Sepultus in Templo D. Cathar. glorioſam cum omnibus piis Reſurrectionem expectat.

SCHOLAE
quæ HAMBURGI ad D. Johannem eſt.

JUSTUS DOLOR.

Heu!

Heu!
Vulnus! Nec ſimplex quidem!
COLLEGIUM SCHOLÆ
hoc ipſo anno
Recenti vix redintegratum,
Vergente duobus jam funeribus mutilatum,
laborat, dolet, ingemiſcit.
Ecquid enim gravius
quam vicina mole coonerari?
Ecquid dolorificentius
quam ſui corporis Decus & Delicium ſimul
amittere?
Venerandos puto Collegii Seniores.
Quorum alter
FRANCISCUS HENRICUS
MESCHMANNUS,
Theologus DEO addictiſſimus,
Philoſophus Ornatiſſimus,
Magnæ Vir Virtutis atque Eruditionis,
&
ſi quis alius,
Summe Pietatis Chriſtianus.
Claſſis Secundæ Præceptor Publicus,
Fidus, Aſſiduus, Doctiſſimus.
Diſcipulos ſuos
non ſeveritate ſed pietate,
non verberibus ſed virtutibus
regens,
usque dum cœlitus ei Vacatio fieret

Ætatis LVIImo Muneris XVto
Anno.
Alter
RENATUS CRUSIUS
itidem Theologus præclare fundatus,
Vir Græce atque Latine Doctiſſimus,
& in vario rerum ac fortunæ genere exercitat9.
Quem non minus ſermonis gravitas quam morum venuſtas egregie commendabat:
Pietas ornabat: Fides probabat: nemo non amabat.
Claſſis Quintæ Præceptor Publicus
diſcipulos veluti liberos
amore magis & pudore, quam vel minis vel metu retinens:
ita tamen, ut nec vultu gravitatem diſſimularet,
nec opere diſciplinam negligeret:
Donec iſtac ſparta ſolveretur
Ætatis LVIto Muneris XIIItio anno.
Hos Tales Viros,
Ætatis ac Muneris ſpatio ita æquales,
Moribusque adeo pares,
ſibi uno hoc menſe Decembre ambos per mortem ſurreptos Schola dolet:
Anhelatque ex intimo pectore
propediem & (quod DEUS faxit!) feliciter redintegrari.
Denique
qua eſt in Magiſtros illos pietate,
piis manibus honorem,
& pro viduis

Illu-

Illuſtris hujus Urbis publicam privatamque benevolentiam communi nomine etiam atque etiam rogat, obſecrat,
Anno Luctus
a Chriſto Nato MDCLXXXIIItio
Jo. Schultze, R.

NOn ita Jeſſidæ Jonathan, Phocæus Oreſti,
Theſeus Perithoo junctus amore fuit:
Junxerat ut nos cana fides, eademque voluntas,
Et pietas variis officioſa modis.

Lux, quæ Collegas, ea nos quoque fecit amicos,
Pars MESCHMANNE; animæ dimidiata meæ!
Tertius accedens paulo poſt, candide CRUSI,
Firmabas ſolidæ fœdus amicitiæ.

Nunc ſubito diſſolvit idem melioribus annis,
Quæ nihil egregium mors ſinit eſſe diu!
Quæ doctrina Viros, qvæ laus decorabat honeſti,
Quæ morum gravitas, quis pietatis honos!

Hæc mecum Schola noſtra ſibi nunc luget ademta
Munera, non quovis invenienda loco.
Nil ſed agit dolor & luctus, migrabimus omnes,
Hinc ubi defunctos ultima fata vocant.

O bene compoſiti felices! lætus, ovansque
Ipſe ſequar, placidæ cum venit hora necis.
Ultima lux quando ruituro fulſerit orbi,
Pectora jungentur diſſociata nece.

Quam bene tunc nobis erit,o ſuaviſſimi Amici,
Quanta voluptatum flumina,quanta ſalus!
Molliter interea in tumulis, precor,oſſa quieſcant,
Atque mihi liceat dicere triſte VALE!

Ipſe memor veſtri, veſtrisque fidelis amicus,
Dum memor ipſe mei,dumque ſuperſtes,ero.
At tu CHRISTE, Scholæ Collegas ſuffice noſtræ
Et ſtudiis ſimiles, & pietate pares.

Viribus ut junctis, & amica mente feramus
Cuilibet impoſitum grande docentis onus.
Sic Urbi ſobolem dabimus doctamq; piamque,
Nec labor in DOMINO noſter, inanis erit.

id quod ex animo vovet

Joachimus Henningius,
Con-Rector.

Sonnet.

JEtzt da die Tage kurtz/ die Nächte lang und kalt/
Seid Ihr/ O Seelger Freund'/der Winter-Zeit entgangen.
Ihr habt die Ewigkeit bey Chriſto angefangen/
Und eueren Advent zu ihm vollendet bald.
Hie/ wo die Gottesfurcht bey vielen/ leider/ alt/
Drückt uns bald dis bald das; darum wir auch verlangen
Daheim bey dem zu ſeyn/dem wir mit euch anhangen/
Von dem kein Todt uns ſcheidt/ kein Mangel noch Gewalt.

Zwar

Zwar ſeyd Ihr unverhofft uns ſchon zuvor gekommen;
Doch wartet unſer nur vor GOttes Angeſicht /
Weil unſer Wandel auch bereit dahin gericht /
Wir folgen wallend nach mit allen lieben Frommen.

Joachim Gerſtenbüttel/
Cant. Hamburg.

Mnemoſynon Meſchmannianum.

MEſchmannus moritur majorum more modoque,
Multiſciam mentem Morta maligna metit.
Melpomenes moritur magnus meritusque Miniſter,
Mortonae meſſus mortificante manu.
Maxillas multi madidant, moeretque Minerva,
Moeonides multa moeſtitiaque madent.
Miſcet moerores miſerandos moeſta marita,
Moerorisque melos Muſa modeſta movet.
Meſchmannus: mentem moerentem mittite, mollit
Morta meos morbos, morsque medela mihi.
Maturus morior, moerorem mittite, mortem
Maturaverunt marcida membra meam.
Mundus Mavortem, miſeras mortesque, minatur,
Molitur molem multiplicare mali.
Morte manumiſit me mollifluente, miſellum
Mancipium Muſae, mancipiumque mali.
Mors miſeris mundi maleſani meta malorum,
Meſſiae Manes mancipo morte meos.

Manna mihi magnus mundique Monarcha miniſtrat,
Meſſiæ modulor mellifluumque melos
Macte modis multis, multum memorande Magiſter,
Mutata mitra magnificaque micans.
Multijugis meritis merito monumenta mereris,
Miſſo molitur marmore Muſa metrum.
Multorum maneas merſus miſtusque medullis,
Meſchmanni maneo mente manuque memor,

f.
Paulus Georgius Krüſike/

Schuldiger Nachruhm
Dem
Weyland Wohl-Ehrenveſten / Vorachtbahrn und Wohlgelahrten
Herrn
M. GEORGIO BUSCHIO,
Der Schulen zu S. Johannis allhier wohlverdientem Collegæ tertio,

Wel-

Welcher im Jahr 1600. von Chriſtlichen Eltern allhier in Hamburg auf dieſe Welt gebohren/nach wohlgelegtem Grunde der Gottſeligkeit / guter Künſt und Sprachen auf Univerſitäten Anno 1620. verreiſet/ und zu Wittenberg und Roſtock rühmlich ſich verhalten / alſo daß er Anno 1625. der freyen Künſte Magiſter ernennet worden / worauff er hernach von dem weyland Wohl-Ehrwürdigen und hochgelahrten Hn. M. Martino Willichio, zu S. Cath. Paſtore und des Wohl-Ehrwürdigen hieſigen Miniſterii Seniore ins Hauß und bey ſeine Kinder aufgenommen/ und abſonderlich/ wie ers öffters rühmlich erwehnet/ gute Gelegenheit erlanget / in der Hebräiſchen Sprache dermaſſen ſich zu üben/ daß er ſelbige/ auch mit den gelehrteſten Rabbinen zu reden ſich nimmer geſcheuet / Nachdem er ferner in den Jahren 1627. und 1628. zu Leiden ſich auffgehalten/ und auffs ſtudium Medicinæ vornehmlich befliſſen/ hat er im letztgemeldtem Jahre am 31. Martii ſchrifftlichen Beruff zum Collega bey hieſiger Stadt-Schule erhalten / welchem Göttlichen Beruff folgende er ſolch Ampt angetreten/ und in die 42. Jahr rühmlich verwaltet / da denn die (Tit.) Herren Scholarchæ, in Betracht ſeines kümmerlichen Alters/und erwieſenen treuen Fleiſſes Ihn/ auf rühmliche anſtändige Conditiones, ſolcher mühſamen Arbeit erlaſſen haben; Seinen Eheſtand betreffend hat er erſtmahls Anno 1629. die Ehr- und Tugendreiche damahls Jungfer Eliſabeth Rudouen/ von Kyritz aus der Marckt bürtig geheirahtet / und mit derſelbigen gezeuget 5. Söhne und 2. Töchter / worvon der Sohn/ den er als Doct. Medic. etliche

Jahr

Jahr mit Freuden bey ſich geſehen / und 2. Töchter / auſſerhalb dieſer Stadt wohnhafft / annoch im Leben; Als nun Anno 1645. er Wittwer geworden / hat er ſich Anno 1652. anderwerts verheirathet mit der Viel⸗Ehr⸗und Tugendreichen damahls Jungfer Margaretha / des Weyland Wohl⸗Ehrw. und hochgelahrten Herrn M. Nicolai Hardkopfii, bey S. Nicolai allhier wohlverdienten Paſtoris und Rev. Miniſt. Senioris, geliebten Tochter / mit welcher er einen Sohn der allbereits verſtorben / und 1. Tochter ſo annoch übrig iſt erzeuget / hat ſonſt geſehen 9. Kindes Kinder / und 1. Kindes Kindes Kind. Ubrigens ſeinen Wandel Gottſelig und Chriſtlich geführet / biß ihn GOtt nach ausgeſtandener 7. Tägiger Schwachheit / darinn er das hochwürd. Abendmahl bußfertig und andächtig genoſſen / ſanfft und ſelig aufgelöſet hat am verwichen 16. Junii dieſes 1677. Jahrs Nachmittags um 1. Uhr / ſeines Alters 77. Jahr.

Zum Andencken ſeinem hiebevor getreuen Præceptori und nachmahls wehrtem Freunde

Am Tage der Begräbniß /

Als den 22. Junii

auffgeſetzet von

M. Hinrich Elmenhorſt /

bey S. Cath. allhier älteſten Prediger.

Hamburg / gedruckt bey Michael Pfeiffern.

Und

UNd ſolte dieſer Mann ſo unbelobet ſterben?
Das läſt die Danckbarkeit und meine Pflicht nicht zu;
Sein treues Lehren konts vor manchem Jahr erwerben /
Daß ich zu ſeinem Dienſt mehr ſoll/ als itzt ich thu.

Die Sand-Uhr körnert weg das anvertraute Weſen;
Den Schwämmen drückt man aus/ was ſie in ſich gefaßt;
Von ſeiner Redligkeit kan durch mich hier man leſen/
Ich hab ſein Vater-Amt mir nützlich angemaßt.

Nicht will ichs in den Sand / auch nicht ins Waſſer ſchreiben/
GOtt weiß wie ſehnlich ihm mein Hertz ergeben war/
Ein Lehrer iſt wie Berg voll Hermons-Thau; Sie bleiben
Gewurtzelt ins Gemüth/ auch wehrt noch auf der Baar.

Das Leben iſt/ nechſt GOtt/ den Eltern beyzulegen;
Weñ als mit Mutter Milch uns eingeflöſſet wird
Der wahre Glaub an GOtt / auch GOtt-gefälligs Leben;
Denn führt uns weiter fort ein weiſer Schulen-Hirt.

Er zeigt der Sprachen Art/ er formet unſer Sitten/
Er tränckt mit Nectar uns/ermuntert das Gemüth/
Von Laſtern zieht er ab/ mit ſtraffen/lehren/bitten;
Mit reitzẽ weißt er an zur ſchönſten Tugend-Blüt.

Sonſt

Sonſt ſtellet manches Buch / durch Sprache Zier-
lichkeiten
Den ſchnöden Laſter-Gifft verdeckter Weiſe hin;
Der Todt iſt in dem Topff; nur Weißheit kan bereitē,
Und kluger Lehre Saltz/was labt der Jugend Siñ.

Wir wehlen dis und das/ und dürfften wohl verkauf-
fen
Die theure GOttes-Gnad für ſchlechtes Linſen-
Muß;
Wir würden in die Grufft des tieffen Unglücks lauf-
fen/
Ein Lehrer warnet uns/ und leitet unſern Fuß.

Die Wolluſt zeigt die Bahn durch Laſter; bringt ver-
derben;
Ein Lehrer führt den Weg durch Dörner zu der
Ehr'.
Die Trägheit hält uns auf; Der Lehrer lehrt erer-
ben
Die Weißheit durch den Fleiß und Künſte durch
die Lehr.

Syrenen ſpielen viel zu ſchläffern ein die Jugend/
Denn wachet der / der uns den frechen Willen
zwingt/
Verſtopfft das Ohr mit Zucht / und führet uns zur
Tugend
So wird Verführung ſelbſt durch gute Zucht um-
ringt.

Ach/daß die Weißheit nicht im blühen unſer Jahre
Mit uns vermählet iſt! Wir würden nur den Kern

Der

Der hohen Wiſſenſchafft erwehlen/ und die Wahre
Der Tugend; eitles Thun das bliebe von uns fern.

Schau/ Jugend/ Blumen an/ auf welchen Nahmen ſtehen;
Die Lehrer/ welche dich in Schulen aufferziehn/
Da kanſt du Redlichkeit/ Gedult/ Fleiß/ Arbeit ſehen/
Sie lehren dich den Stanck der argen Laſter fliehn.

Wie/ wenn bey Abends-Zeit der Wege Lampen glimmen/
So ſcheint der Künſte Licht/ das ſie belobet macht;
Ihr Fleiß vereinbart ſich wie reine Sayten ſtimmen/
Und hat den faulen Stoltz ſchon längſt ins Grab gebracht.

Streut Blumen auf das Grab/ wenn ſolch ein Meiſter fället/
Der frohen Blum-Geruch in ſeinem Leben gab;
Cypreſſen Trauer-Strauch werd' um die Leich geſtellet/
Doch daß den Lorber-Bund er in der Grufft auch hab.

Legt Herrn Magiſter Buſch mit recht zu dieſes rühmen:
Er Vater/ Lehrer/ Hirt; Er Wächter Licht und Blum;
Ich will ihm itzt ſein Grab mit dieſem Verß beblühmen;
Hier liegt der Lehrer Kern/der Tugend Eigenthum.

Wie mancher ſaurer Blick ſein Leblang ihn betrübet/
Wie Demuth und Gebeth/ wie Fleiß ihn auffgebracht/
Und wie der bitter Neid an ihm ſich offt geübet/
Das hat ſein redlichs Thun den Frommen kund gemacht.

Auf Dornen gieng er her/ und kriegte Roſen-Kronen/
Manch bittres Aloe macht' ihn in Tugend ſchön;
So weiß der hohe GOtt ſein Wander-Volck zu lohnen;
So ſchallet Echo dar ein liebLichs End-Gethön!

Ich dencke noch der Zeit/ als er gleich ſchwangren Bäumen
Uns Blüht und Früchte gab; ſein Schatten kühlt' uns an;
Sein Rauſchen muntert' auf/ er wolt' uns nicht verſäumen/
Mit unverdroßnem Fleiß that' er's der fromme Mann.

Gleich wie des Nilus Fluth den dürren Staub benetzet/
Und bringet neue Krafft ins abgeſtorbne Land;
Gleich wie der dünne Schnee der Felder Krafft erſetzet/
Das gute Fruchtbarkeit ſich in dem Erdreich fand.

So that Herr Buſch bey uns: Ihr werdets noch wohl wiſſen
Die damahls gleiche Jahr mit mir zu häuff gepaart/

Wie

Wiewohl uns dieſer Mann vom böſen abgeriſſen /
  Und wie die freye Zucht ſein Guts in uns bewahrt.

So offt ich ſieder dem ſein graues Haupt erblicket/
  Hab ich den weiſen Mund mit Andacht angeſehn/
Und meiner Seufftzer Krafft dem Höchſten zugeſchicket:
  Es müſſe ſeinem Hauſ'/ HErr/ ewig wohlergehn!

Zwar ſeines Leibes-Krafft ward kümmerlich gekräncket
  Durch lang geübte Müh; die Vater-Stadt erkant/
In hoher Gunſt ſein Werck. Wo man der Leute dencket
  Im Alter/ wird mit Luſt die Jugend angewandt.

Noch dient' er jedem gern mit mancher Sprache Gaben/
  Er lehrte was der Jüd'/ und Griech und Römer ſpricht;
Wer Guts-Thun iſt gewohnt/ will nimmer Ruhe haben/
  Biß daß die Sterblichkeit den Lebens-Faden bricht.

Für allem aber dacht' er ſeine Kron zu halten/
  Und werden reich in GOtt/ er ſehnte ſich zur Ruh/
Der abgelegte Leib der würde zwar erkalten/
  Die unverderbte Seel eilt' ihrem JEſu zu.

Zu dieſer letzten Reiſ' hielt er ſich recht bereitet/
  Genoß ein beſſer Mahl/ als dort Elias kriegt/
Da er nach Horeb gieng. Wer hier durch JEſum ſtreitet/
  Mit JEſu lebt und ſtirbt/ hat letzlich wohl geſiegt.

Genießt der Ewigkeit/ ihr Lehrer meiner Jahre
  Die ich nicht zwölffe zehlt'; Ihr habt mich letzt gehört
Da ich euch JEſum zeigt'. O! wenn ich einſt erfahre/
  Was eure Seel itzt ſieht/ ſo bleibn wir ungeſtört.

Indeß beehr ich euch durch dieſe Verſ' im Grabe/
  Die Jugend hatte mich mit Gütern nicht verſehn/
Ihr nahmt mit mir vor gut ſo wenig ich euch gabe.
  Dis dancken ſchreib ich itzt/ und ſoll/ weil ich ſteh/ ſtehn.

GOtt ſchütte reichlich aus des Troſtes reiche Schätze
  Auf die Frau Wittw'/ Herrn Sohn/ und Töchter/ und wer mehr
Um dieſen Tod ſich grämt; Kein Unfall ſie verletze/
  Sey ihrer aller GOtt/ krön ſie mit Schmuck und Ehr.

F I N I S.

1520239

[illegible] Goo[illegible]